
GODEFRIDI HECHTI

GERMANIA SACRA ET LITERATA

SIVE DE
ORIGINE AC PROGRESSV REI SACRAE
ATQVE POLITIORIS IN GERMANIA DOCTRINAE
EX AEVO MEDIO

COMMENTARII

Quibus
INSIGNIORES IN VTRAQVE VICISSITVDINES
TVM VIRI PARITER AC SCRIPTORES
LINGVIS ELOQVENTIA POETICE
CVM PRIMIS HISTORIA
IN GERMANIA CLARI
ILLVSTRANTVR





VITEMBERGAE
APVD GODOFREDVM ZIMMERMANN
CIↃ IↃ CC XVII

ILLVSTRISSIMO
ATQ. EXCELLENTISSIMO
DOMINO

DOM. GEORGIO

S. R. IMP. COMITI
DE

VVERTHERN

DYNASTAE COMITATVS BEICHLINGAE
ET CLIENTELARVM FROHNDORFII GROS
SENHVSII NEVENHEILINGAE KROPPE
NII FRAVENDORFII KREYNITII
ETC
S. CAES. MAI. ET ROM. IMP. IANITORI
HEREDITARIO
POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS
AC SERENISS. SAXON. EL. PRINCIPIS
SVMMO STATVS MINISTRO ATQ. IN SAN
CTIORI PVRPVRATORVM SENATV
CONSILIARIO INTIMO ET
CANCELLARIO
THVRINGIAE PRAEFECTO SVMMO
HEROI TOGATO

COMITI AC DOMINO SVO
PERCLEMENTI

ITEMQ.

PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DOM. IO. AEGIDIO
LIBERO BARONI ET BANNERESIO
DE
ALEMANN
DYNASTAE CLIENTELARVM SCHMIDEBERGAE ETC.
POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS
AC SERENISS. PRINCIPIS EL. SAXONIS
CONSILIARIO INTIMO ET SVMMI RERVM
METALLICARVM MODERATORIS
VICEM GERENTI
DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO

OMNIS ERVDITIONIS AC DOCTRINAE
LIBERALIS STATORIBVS MAXIMIS DIVINVM
HVMANVMQ. DECVS COMPLEXIS

DAT DICATQ.
SVMMA ANIMI RELIGIONE DEVINCTISSIMVS
ATQ. OBSERVANTISSIMVS CLIENS
GODEFR. HECHTIVS

ILLVSTRISSIME, PERILLVSTRIS,
ET EXCELLENTISSIMI
DOMINI,

DOMINI GRATIOSISSIMI,

Qui gentis ſuae gloriam, ſuſceptis pro republica curis et laboribus, inſigniter propagant, ſtatutoque muſis atrio libertatis, famam multo illuſtriorem reddunt, immortalitate digni ſunt, ac uirtute meritiſque impetrant,

ut externarum quoque gentium linguis ac ſermonibus celebrentur, et memoria nominis, ut diuturnior ſit, ex marmore conſtituatur. Vigent illi ac uiuunt, poſt mortem ſuperſtites, in memoria gratae poſteritatis, quae non committit, ut pietas in patriam, liberalitas in literas, intereat, aut uetuſtate, quae conficit omnia et conſumit, obliteretur. Celebrat antiquitas Fuluios, et eximie praedicat Philippos, heroas toga et ſago illuſtres, ac perenni meritorum utrinque gloria inſignes, quos eadem in muſas humaniores liberalitas inuidiae temporum eripuit,

puit, atque immortalitate, inter mortales, ſaluos ſemper feliceſque conſeruauit. Permultum ſane intereſt, collaudari merita, ac praedicari publice, ut ſciant poſteri, non minoris eſſe laboris ac munificentiae, condere muſis domicilium, et liberum conſtituere patrocinium, quam conditum conſeruare, atque, ut perpetuo conſiſtat, cogitatione, cura, conſilio, opera, labore, diligentiaque prouidere. Non deſunt, noſtra aetate, eruditionis uindices, aut deſiderantur Maecenates, qui muſis aditum patefaciunt, et communiunt ad Auguſtos, ac liberali pa-

trocinio tegunt, eiſque opem et auxilium pro uirili ferunt. Tanto praeſidio muſae incolumes ſunt, ac florent, nec tempeſtatem, aut ſeculi inuidiam, metuunt, ſed otio liberali ſine periculo liberae fruuntur. Maxime in Saxonia, quae heroas togatos fouet, atque in oculis fert, qui maximis cum in rempublicam meritis, tum praeclaris in bonarum quoque artium ſtudia beneficiis, non modo ciues, ſed exteros etiam, in admiratione ſui defixos, tenent, ac meritorum magnitudine prouincias, et regna, longius a patriae finibus remota, colluſtrant. Quae

famae

famae celebritas, gentilitia uirtute, ac propria, paeneque diuina felicitate, VOS, ILLVSTRISSIMI AC PERCLEMENTES DOMINI, iam pridem immortales fecit, atque ciuibus, exterisque, ut grauissima in patriam communem, atque artes liberales, merita recolerent pie, atque ad posteros referre conniterentur, maximo orbis cultioris ac literati emolumento, tradidit ac commendauit. Stetit illa gloria, diuino nutu prouidentiaque, in gente VVERTHERORVM, multis abhinc seculis belli ac togae artibus cumulatissima, florentissimaque, ILLVSTRISSIME COMES, atque

a primis Germaniae temporibus, quibus auſpicato cum imperio R. per Carolum M. coniuncta fuit, illibata ſtetit, et clarius hodie in TE, ueluti ſidere omnium ſplendidiſſimo, refulget, quando cum uirtute fortunam adaequas, et, ſummas maximaſque patriae dignitates complexus, firmam illam et aequabilem conſeruas. Quae ornamenta per TE ſingulari uirtute, ac meritis innumerabilibus, illuſtrata, atque ad poſteros manſura, colunt exteri, uenerantur Saxones, collaudant aulae proceres, ac purpurati ſenatores, approbat potentiſſimus rex Auguſtus,

omnes

omnes tot, tantaſque, et eximias, dotes admirantur, in heroa togatum diuinitus collatas. Quem ſplendorem comitatur incredibilis comitas, ac mira humanitas, qua, in excelſo honoris faſtigio collocatus, aditum nihilominus eruditae pietati concedis liberaliter, ac gratia, ueluti ſolis luce, recreas, patrocinioque, ut potes, optimo literatos foues, ut MAECENATIS in aula AVGVSTI II perſonam, conſenſione omnium, tueare. Munere diuino pariter amplificandae Saxonum ſaluti datos ALEMANNOS, recte exiſtimant, atque TE, PERILLVSTRIS LIBER BARO, literarum

rum

rum amplificatorem, in aula Saxonis praecipuum, uenerantur. Fidem gentis tuae, Saxonibus perſpectam olim, atque Ottonum, Saxonicae ſtirpis imperatorum, temporibus cognitam et probatam, probant ingenui Saxones, ac dexteritatem agendi, quae regum Principumque conſilia fortunat, laudant certatim, officiiſque, ut conuenit, proſequuntur. Si uerum eſt, quod nemo dubitat, ineſſe in genere ſanctitatem, et maiorum uirtute accendi poſteros, inficiandum non eſt, generis iuxta, atque uirtutis, et meritorum, comitem eſſe gloriam, atque eos praeſtare

cete-

ceteris, qui non modo in ueſtigiis maiorum inſiſtunt, ſed, honeſtae laudis ac gloriae ſtimulo agitati, conficere laudis curriculum cogitant, nihil fere, in quo uincantur a poſteris, relicturi. Eſt ea ALEMANNICAE gentis felicitas, ut natales inſignes celebret, maiores, in reipublicae luce uerſatos, numeret, merita in patriam, Reges, Principes, atque externos etiam eos, inclyta, famam et exiſtimationem, referat, in TE uero, in ſumma dignitatis arce poſito, gentilitiam illam gloriam multo praeſtantiorem ſibi gratuletur, ac ſplendorem nominis, altius ſurgen-

tem

tem, uideat, et felicitatem, in TE perfectam, atque omnibus numeris abſolutam, praedicet grata ac reuereatur. Gratulantur eam fortunam Saxoniae exteri, laudant uicini, colunt ciues, et coram admirantur, quam poſſidet in VOBIS patria, quae ueſtra incolumitate ſe incolumem et florentem laetatur merito, atque alterum iuſtitiae praeſidem ac moderatorem ſummum, alterum continentiſſimum in ſanctiore tribunali ſenatorem, utroſque diuinitus ſeculo huic noſtro commodatos, proſequitur, ac diu ſibi ſuperſtites a Deo, omnis felicitatis ſtatore, precatur.

Quod


Quod meum clientis obſequentiſſimi uotum ac deſiderium eſt, qui nullo alio conſilio haec conatus ſum, niſi, ut, ſolenni ueterum formula, meam VOBIS pietatem et obſequium teſtarer. Atque eius meae obſeruantiae documentum hoc exiguae molis opere, quo inſigniores in coetu ſacro, et re literaria commutationes, ex obſcura aetate illa, expromere nonnihil annifus ſum, extare uolui, muſiſque meis ad gratiam Veſtram, quae tutiſſimum honeſtis artibus perfugium praebet, aditum communire. Nihil magis uolo, et opto, quam, ut tenuiſſimum iſtud clientis

obſe-

obſequentiſſimi pignus, qua conſueſtis, facilitate et beneuolentia accipiatis, et mihi, pietate, obſequentia, ſtudiis, VOBIS deuinctiſſimo, patrocinium et gratiam, ſi merear, relinquatis, ac praeſidium fortunis tenuioribus conſeruetis. Deum ſupplex oro atque obteſtor, ut VOS, Saxoniae lumina, incolumes, fortunatos ac florentes, ſecundo ſemper rerum conſiliorumque ſucceſſu, Regi, patriae, genti inclytae, literarum honori et incremento, mihi denique ac muſis meis amplificatores quam clementiſſime conſeruet. Luccauiae, Nonis April.

A. R. S. CIↃ IↃCC XVII

LECTO-



LECTORI BENEVOLO S.

Germania, quo plures ſubiit uiciſſitudines, eo diligentius obſeruari merentur. Satis diu obſcuritate laborauit ſua, nec erat, qui in literas fortunae commutationes referret olim. Cauſam huius pariter uiciſſitudinis, quae memorabilis eſt, repeto altius, atque, ab inopia rei literariae profectam, puto. Non cultus diuinus, ſuperſtitioſus licet, deerat, deerant autem, qui uoce ac ſcriptis cultui ſacro, et memoriae gentis inclytae, conſulerent atque ad poſteros tranſferrent. Adeo negligentes, dicam, an modeſti, erant Germani olim noſtri, ut rebus bene geſtis inter ſuperſtites, quam literarum monumentis ad poſteros, florere mallent. Fortunam Germanorum ueluti miſerabantur exteri, ac

meritis ſtatuere memoriam laborabant. Sed melius conſuluiſſent memoriae maiorum, ſiquidem uoluiſſent, Germani. Quae exterorum ſit fides, uel eſſe poſſit, pridem ſuſpicati ſunt uiri antiquitatis patriae morumque ſcientiſſimi, et inſtitutorum nauiter periti. Etenim commemorare laudes gentis nationiſque, cum qua armis decertatur, et de principatu contenditur, ſingulare eſt, atque ab homine extero ac peregrino uix expectandum. Gentis quemque ſuae amor ducit, et retinet, ut, quae inſigniora ſunt in aliis, praetereat, uel non omnino ingenue expromat. Caeſar plura profecto in animo, quam enunciauit, habuiſſe uidetur. Tantum intereſſe putabat, populi R. inter barbaros, ita Germanos etiam uocabant illi, gloriam conſeruaſſe. Tacitus, quo propius ad Germanos acceſſit, eo diligentius mores eorum et inſtituta collaudat. Sed tamen ex fortuna ſua fingit mores Germanorum, ne Romanorum, qui fortuna ceteras nationes

tiones praeſtabant, deſeruiſſe uideatur. Saepe inuidia fines modumque imperat, et iudicandi ſupprimit libertatem. Ex ingenio et natura ſua homines ſibi ceteros fingunt, atque, ingenui teſtis, dum hoſtes laudent ingenue, inter ſuos ſe fidem amiſſuros, pertimeſcunt. Nihilo erant feliciores maiores olim noſtri, cum ad Chriſti doctrinam traducerentur. Literas accipiebant, ſed, quas habebant aliae Europae gentes, ſordida dictione contaminatas. Vt in caligine, depulſa nondum penitus barbarie, diutius uerſarentur. Hinc nulla aetas tam eſt obſcura, quam Germanorum media illa, nulla tanto applauſu fabulas, quam eadem illa, probat. Vt non temere cuiuis, niſi ex eodem ſeculo ſit, credere poſſis, et ne ſic quidem tuto, niſi fere, interfuiſſe rebus, de quibus fieri debet iudicium, conſtet. Mentiri ſaepe e re ſua eſſe, perſpiciebant ſcriptores, quoniam fallere homines et circumuenire ſeculum erat. Ita e. c. perpetuam in-

ter ſeſe uirginitatem ſanxiſſe Henricum II, Germaniae regem, ſi imperatores numeres, eius nominis I, et Cunigundam, coniugem, in matrimonio, hucuſque tradiderunt. Nuper etiam C. S. Schurzfleiſchius de innocentia Cunigundae probauit. Sed God. Guil. Leibnitius, Io. Fr. Pfeffingerus, et Nic. Hier. Gundlingius, uel ideo in dubium uocant, quod nullum apud aequales ſupereſſe ueſtigium uideatur. Vt hodie maiori cautione opus ſit in diſtinguendis ueris ab ſuſpectis et falſis, quam induſtria in hiſtoria ipſa olim perſcribenda requireretur. Inclinabant omnes diſciplinae atque artes, una fere hiſtoria incolumis conſiſtebat, quanquam nitore et elegantia Graeciae Latiique dignitatem non aequabat. Cum in Germaniam Ariſtoteles, cum Ariſtotele *Scholaſticorum* turba immigraret, nouitate rei innitebantur omnes. Periculum, quod hiſtoriae imminebat, mox uiri, de poſteritate ſolliciti, depellere connitebantur.

tur. Hinc ab seculo XII inde complures extant de negligentia querelae. Hortabantur assidue cuiusuis coenobii praefectos, ut res quisque sui in literas referrent, et tabulas diligentius conseruarent. Segniores praemiis quoque inuitabant. Collaudat ea in re Petrus Visselbeccius Marcvvartum et Vicpoldum, abbates Corbeienses, qui undecimo et duodecimo seculo iusserant, *ut de omnibus ecclesiis, praepositturis, et monasteriis, ad Corbeiam spectantibus, eruditus et aptus aliquis coenobita, rerumque harum gnarus, Chronicon aliquod contexeret, et, ut eo maiorem adhiberent diligentiam, praemio singulos inuitabant. Schakense monasterium describere debebat Luidolfus de Artzen, Visbeccense Bruno de Saldern, VVerbense Ehrenfredus de Stockem, Groeningense Abbo de Dalem, Aroldessense Luidolfus de VVolfinghusen, Praeposituram tom Rhode Engelerus de Martzhusen, Luzichense Isiko de Saxi monte, Herifortium delinearat Herémannus de Portfeld. De Familia Amelun-*

 xiana

xiana neruose scripsit minutum chronicon Frideric de Amelunxen, in quo multa memorabilia continentur. Quosdam ex libris illis superfuisse tum in bibliotheca Corbeiensi, memorat Visselbeccius, quosdam inde petiisse coenobiorum praefectos, ut euoluerent conuerterentque in rem suam. Exemplo illorum adductus Theodericus, abbas itidem Corbeiensis, seculo quarto decimo institutum renouauit, uoluitque, ac iussit, *ut, quod quilibet de suo monasterio, seu ecclesia chronicon antea scriptum haberet, diligenter custodiret, idque secundum seriem annorum, ad sua usque tempora fideliter continuaret.* Quod si uero nullum superesset, alius quidem, idemque idoneus, conficeret: quam in rem tabulas et literas ex bibliotheca et tabulario obtulit liberaliter, ac praemium spopondit *. Ita seculo decimo quinto abbas quidam societatem Bursf-

* Extant literae Theoderici, anno CIↃ CCCXXXVII editae, in chronico Huxariensi P. Visselbeccii, p LXXX. seq.

Burſfeldenſem, ut hiſtoriae conſulerent diligentius, et res per uiros eruditos colligerent ſtudioſius, commonebat **. Quae omnia docent, quanta animi contentione obuiam ierint obliuioni. Quae item probant, annales, quae uel, ſine auctore extant, uel etiam multo poſt ab uno editi ſunt, complures plerunque agnoſcere conditores. Quae eo conſilio hic affero, ut pateat, hiſtoriam ab ruina atque interitu uix potuiſſe conſeruari. Secus atque linguae, eloquentia poetice, et reliquae, quae ad humanitatem pertinent, artes. Quin immo ipſa religio purior, quae foediſſimis hominum commentis deprauata erat, et peſſime corrupta. Haec, nondum emendata, mox uiciſſitudines ſubibat. Fallunt illi, et ludunt, qui, Caroli magni aeuo, nullas in doctrina agnoſcunt corruptelas.

** uid. Sermo Clauſtralis de Hiſtoria ad ſocietatem Burſf. in Actis et factis praeſulum Nuenburg. p. CXLV ſeq. Synt. Paulin.

Nemo mihi, qui hoc libro rei ſacrae et doctrinae elegantioris uiciſſitudines coniunxerim, ſuccenſeat ſine cauſa. Pari utraque ſemper fortuna ſtetit, et eoſdem ſubiit caſus. Suffragium pro me ferat hiſtoriae, antiquitatiſque omnis fides. Conſentit Philippus, humanioris doctrinae in Germania uindex ille, et ſtator memoria immortalis. Nullam tradit ille unquam, uel fuiſſe eccleſiam, uel conſeruari poſſe, niſi una literae conſeruentur *. Verum eſt, ſi cultum religionis barbarae publicum ſpectes, in Germania citius fuiſſe. Sed tamen, et ſcholas fuiſſe, facile coniectura aſſequor, quoniam in eis ſacrorum adminiſtros in myſteriis educari oportebat. Sed ut erat coetus ſacer, ita eruditionis fortuna. Quod ad profanum religionis cultum attinet, in multis, immo pleriſque, cum exteris conueniſſe, demonſtraui. Quae alias explicate ſunt tradita, breuiter

* de ſcholis reſtituendis, p. CCCVII parte I Declam.

ter attigi, quae addi poterant, adiicienda, putaui. De re Germanorum ſacra, ex quo Chriſti doctrinam acceperunt, nunc incrementa expoſui, nunc inclinationes. Atque, cum expeditionibus ſacris intereſſent Germani, has deinde breuiter, et, quos habuerint exitus, commemoraui. Fabulas, quas probauit aetas illa, et monachorum ſomnia, allatis, quae firmiores ſunt, cauſis, reieci, quas imprudentiores, ut luderent in hiſtoria, arripuerunt. Singularia contra ubiuis ſelegi, et coniecturas addidi, in rebus, quae dubiae adhuc ſunt, iudicandi libertatem lectori beneuolo relicturus. Rerum uero et uiciſſitudinum, in coetu ſacro, etiam cauſae poſtulabant, ut ſimul exteras illas attingerem, et reip. commutationes exprómerem, quoniam non modo pontifices R., ſed antiſtites etiam, reip. leges dabant. Nunc enim ſacris uacabant, nunc, mutata perſona, curiae occupationibus diſtinebantur, legationes, reip. cauſa, obibant, ut toga

fagoque haberentur illuſtres. Altero ſeculi cuiuſuis capite humanioris doctrinae rationes complexus, linguas, eloquentiam, poeticen, hiſtoriam, tum uero, praecipuo capite, ad extremum, Germanicae linguae incrementa expoſui, et fata rei librariae breuiter annotaui. Atque, cum hiſtoria, ut demonſtratum antea eſt, in Germania, ſacris Chriſtianorum initiata, plures inuenerit amatores, ſcriptores addidi, eorumque monumenta ingenii, et, quae fides ſit, commemoraui. Vt res cuiuſuis ſeculi habeas, paullo poſt rerum in Germania auctores et teſtes aduocaui. Neque omiſi, qui uel abſconditi ſunt in coenobiis, uel temporis obliuione obſcurati. Multos attamen, minorum gentium patres, omiſi. In his multos alias, quia nunc ſerius ab inferis quaſi ſunt reuocati, omiſſos addidi, et, quae quiſque de fortuna ipſe ſua in annales retulit, inquiſiui. Quae cum agerem, et reliquorum memoriam reuocaui, et ſingularia, quae animad-

animaduerti, attuli, ut noui uiderer aliquid attulisse. Errores in aliis, quorum bene multos, repetita aliquoties lectione, animaduerti, emendaui. Ipsos auctores, qui de historicis aeui medii exposuerunt, produxi. In his Io. Trithemium, Ger. Io. Vossium, Io. Andr. Bosium, Casp. Sagittarium, Iac. Frider. Reimannum, Casp. Caluoerium, tum, qui uitas scriptorum operibus addiderunt, Christ. Vrstisium, Iust. Reuberum, Marq. Freherum, Io. Pistorium, Melch. Goldastum, Erpold. Lindenbrogium, Henricos Meibomios, Godefr. Guil. Leibnitium, Christ. Fr. Paulinum, insigniores plerosque, nec, nisi honoris causa, in praesentia nominandos. Gratulor uero in primis Germaniae nostrati tot medicos, bene de patria omnium communi meritos, Cuspinianos, Lazios, Pistorios, Conringios, Budaeos, Meibomios, Maiores, Paulinios, Behrensios, qui, quod reliquum ab negotiis fuit otium, in eruendis Germaniae rebus collocauerunt. Quod singulare est, atque in medicorum, qui, in his inesse uoluptatem,

ptatem, animaduerterunt, laudem utique commemorandum. Quo ſigillatim quiſque anno coeperit, quo deſierit, quanto item iudicio, fide, documentis, rerum copia, ſcripſerit, quo denique ſcribendi genere ſit uſus, animaduerti, uiros, qui in edendis eis inſigniores ſunt, laudaui. Vt bibliothecae hiſtoricae rationem ex aeuo medio uidear expoſuiſſe. Hos, atque in primis ex aetate media, ſcriptores euolui, nec quicquam niſi, quod ex aequalibus mihi conſtaret hiſtoricis, ſine neceſſitate, relaturus. Satius enim exiſtimo, ex ipſis ſapere fontibus, quam ex riuulis, quibus qui inſident, rerum cauſarumque origines imprudentius amittunt. Scio equidem, Gabr. Bucelinum, Io. Henr. Vrſinum Germaniam ſacram explanaſſe. Neque omnino, ſua laude defraudandam, arbitror, Caſp. Caluoerii Saxoniam ſacram. Mihi ſatis erat, ex ſcriptoribus coaeuis atque domeſticis, remotis pauliſper recentioribus, de *Germania ſacra*,

tra, et *literis erudita*, ſententiam pronunciare. Aetati cuiuis teſtes aequales et proximos adieci. Atque hinc etiam, de linguae patriae fortuna, ex eiſdem auctoribus iudicium feci. Neque tamen, quod moneri intereſt, libros Germanorum exponere in animo eſt, ſed bibliothecarum fata, ut, quae auctores ipſi de iis retulerint olim, planius conſtet. Multos, conſtat, reuocaſſe a cupiditate hiſtoriae aeui medii ſcribendi ſorditiem. Mihi ne illa quidem obſtitit, quo minus propoſitum perficerem. In ſcholis literas elegantiores quotidie orno, atque hoc minus metuo, ne ineptis ueterum formulis ſcribendi conſuetudinem inquinem. Res alias leuioris momenti omittere, quam, ab aliis relatas, repetere, ſatius arbitror, licet et in eis non deſit copia ſcribendi. Fines conſtitui mihi, quos benignior conſtituit fortuna, cum in Germania literae, et ſanctior doctrina, effloreſcerent. Prodiit hoc ipſo anno perelegans V. C. Iac.

Caroli

Caroli Speneri *Historiae Germaniae uniuersalis* commentarius, quo res, ab initio usque ad Rudolphi Habsburgii imperium, complexus neruose est, reliqua ad nostra usque tempora in posterum persecuturus. Praeter imperii statum, et rei sacrae inclinationes, et literariae in uniuersum, linguae item Germanicae fortunam, attamen, ut solet perpetuo ille, breuiter attingit. Vt adeo sua Spenero maneat laus industriae, neque tamen conatui huic meo officere possit, qui plenius, et data opera, de rebus Germaniae sacris, et philologiae studiis, tradere iam pridem elaboraui. Quare, cum, eruditis existimatoribus non displicuisse industriam, intellexerim, in lucem publicam hos de origine et progressu rei sacrae, cum primis Christianae, ac politioris in Germania doctrinae, ex aeuo medio, commentarios iubeo prodire. Primordia, quoniam obscuriora sunt, et longius arcessenda, breuius, progressum, et uicissitudines, copio-

piosius enumeraui. Si errores irrepserint, eadem mihi modestia expromi, uelim, qua exposui ego aliorum. Ingenue, ut Germanum decet, si lapsus fuerim, confitebor, nec emendare recusabo. Eo cum primis argumento, quod quidem non omnino indigeat testibus, attamen eis, qui plane et perspicue sententiam pronunciare uideantur. Superstites adhuc testes laudaui in ipso opere God. Gu. Leibnitium et Io. Christoph. Becmannum, historiae Germanicae statores nostro seculo principes, quos tamen nunc morte ereptos grauiter dolemus. Quae propterea hic moneo, ut morae causam, quae operis relinquitur, plane habeas, et me excuses. Ceterum spes et fiducia operae non plane inutilis me consolatur, qui necquicquam cupio magis et opto, quam, ut intelligam, exquisito rei antiquariae iudici conatum probari. Vale L. B. et, quas ex domesticis Germaniae historicis potissi-

potiſſimum conquiſiui, exiguas hiſtoriae patriae reliquias boni conſule, ac nihil mihi, niſi aequitatem et beneuolentiam, qua potes facilitate, relinque. Anno recuperatae ſalutis CIↃ IↃCC XVII, eoque altero renouatae per diuum Lutherum religionis ſeculari, quem ut orbi non ſolum literato, ſed et uniuerſo coetui, qua meliorum eſt partium, Chriſtiano felicem eſſe iubeat, immortalem Deum, ueritatis auctorem ac uindicem, omnibus precibus obteſtor.

PARS



PARS I

DE

STATV RELIGIONIS PROFANAE

ATQVE

ERVDITIONIS

LIBER I

DE

REBVS SACRIS.

CAPVT I

Origines gentium nationumque ut obſcurae ſunt, ita, ab exiguis etiam profectae initiis, poetas plerunque auctores habent, qui, perquiſituri eas, fabulis dubias potius, et incertas, quam explicate traditas, poſteris relinquebant, et, quo altius repetere poterant, hoc auguſtiores illuſtrioreſque arbitrabantur. Graeci pariter ac Romani, gentis quiſque ſuae ſtudioſi, poetas origi-

num auctores potissimum celebrant, qui tamen, quicquid ex remota antiquitate attulerunt insigne, nouis ingenii commentis suspectum reddiderunt. Neque tamen monimentis eorum omnino supersedere possumus, praesertim, cum primi illi testes carminibus rudem uetustatem conseruauerint, & historiae dignitati consuluerint, non commissuri, ut memoria superiorum temporum penitus obliteraretur. Suffragatur nobis T. Liuius, historicorum, quos augusta tulit aetas, facile princeps. Ille etenim, primam populi R. originem perscripturus, ea, quae, ante conditam urbem, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, nec affirmare, nec refellere, conatur. a) In iis igitur, quae a poetis conseruata sunt, mythica a ueris, dubia a certis, riuuli a fontibus, discernendi sunt, ne poetarum ornamenta et suauia ingeniorum somnia pro ueritate, umbram pro luce, curiosius amplectamur. Germanis non defuisse poetas, ex peruetustis annalibus accepimus, qui carminibus, quod antiquissimum annalium genus fuisse, Tacitus enunciat, Deos coluerunt, et in bello heroum laudes cecinerunt, animosque proeliantium ad uirtutem excitauerunt alias nec quicquam, quod praeclare bello est gestum, memoriae prodiderunt.

CAPVT

a) In Prooemio L. I.

CAPVT II

Germanorum ueterum rem facram primus, quod equidem fciam, attigit C. Caefar, fed tamen, quae fama acceperat, in commentarios retulit. plenius auccuratiufque, poft Caefarem, C. Tacitus, qui, imperante Vefpafiano, Belgio procurator impofitus, Germanorum, qui finitimi erant, cultum, mores, habitus, & inftituta, cognouit propius, et explorauit. *b*) Pomp. Mela et Strabo, breuiter attamen, ut folent Geographi, Germaniam perluftrauerunt animo, atque pauca, quae huc pertinent, curfim obferuarunt.

CAPVT III

Tres tantummodo coluiffe deos, SOLEM, VVLCANVM & LVNAM C. Caefar auctor eft, reliquos ne fama quidem accepiffe, addit. *c*) Quo ipfo quidem indicat, cultum ignis, ut apud reliquas gentes omnes, ita apud Germanos etiam, receptum. Sed, quae de facris Germanorum docet, ipfe potius fama maximam partem accepiffe, et, quae de Germanis, ad rhenum incolentibus, fubito explorauit, retuliffe ad Germaniam omnem, uidetur. Nam trans rhenum, ut ipfe teftis eft, non amplius, quam XVIII dies moratus, et fa-

b) Plinius Hift. Natur. L. VII, c. X, Tacitus ipfe de Moribus Germ. cap. VIII.

c) De Bello Gallico, L. VI, c. XXI.

et ſatis ad laudem, quod ipſe ſcribit, arbitratus eſt, tranſrhenanos uidiſſe, mox, ponte, quem in flumine iſto extruxerat, reſciſſo, in Galliam ſe recepit. *d)* Quae pluribus uerbis eo conſilio hic repeto, ut pateat, ineptire monachos, et ludere in urbium Germaniae celebriorum originibus, quarum bene multas ad Caeſarem referunt conditorem. *e)* Obſer-

d) Bel. Gal. L. IV, c. XIX.

e) Exempli cauſa *Volgaſtum*, Pomeranorum urbem, ab elegantioribus ſcriptoribus *Iuliam Auguſtam* propterea uocari, narrat, Vitechindus, in primis Helmoldus Chron. Slau. L. I, c. XXXVIII. quod Iul. Caeſar eam condidiſſet. Inſigni errore, cum Auguſti titulus non Caio Caeſari, ſed Octauio conueniat ſucceſſori. Ex Helmoldo idem repetiit haud dubie auctor Chronici Slauici incertus, apud Lindenbrogium, c. XV. p. CXCIV. Scriptor, Septentron. Ita *Iulum* quod Iuliacum eſt, ab eodem conditore nomen accepiſſe, autumat Vitechindus, monachus Corbeienſis Annal. L. II in principio, p. ↀCXLII. tomo I. Meibom. Ex Vitechindo, ut alia, ita hanc fabulam, deprompſit Gobelinus Perſona Coſmodromio, Aetate VI, c. XVIII, p CLXXI, eiuſdem tomi Meibom. qui diſerte *Iuliacum* iſtud uocat. Tum Herman. Lerbeccius Chronico Comitum Schauenburg. p. ↀXVII, T. I. Meib. & Conr. Botho Chron. Brunſuic. picturato Tomo III Leibnitii Script. Brunſuic. p. CCXCI, caſtrum Luneburgicum ab eodem conditum, tradunt. Turrim Deae Veſtae Magdeburgi ſtatuiſſe Caeſarem, ineptit Io. Buſebius de Reformat. monaſteriorum, Tomo II. Leibnit., p. ↀCCCXCIX. Taceo reliquos, quorum commenta unius Taciti fides refellit, qui urbes ſuo etiam tempore in Germania fuiſſe, inficiatur, de Moribus Germ. cap. XVI.

Obseruat uero ad Caesaris locum IO. GLANDORPIVS, eum uel non cognouisse omnes, uel plures, post Caesaris tempora, ad Germanos delatos fuisse Deos, quoniam Tacitus in Deorum numerum referat MERCVRIVM, HERCVLEM, MARTEM atque ISIDEN. *f*) Incertum tamen, *Terramne*, an *Lunam*, uel *Mineruam*, *Venerem*, aut *Dianam Isidis* nomine coluerint Germani. *g*) Complures uero Deos numerat Tacitus, in his TVISCONEM, eiusque filium, MANNVM, gentis nostrae conditores, HERCVLEM belli praesidem, cuius columnam in Frisiis olim superfuisse memorat, et, famam tulisse, docet, VLYSSI aram etiam consecratam. HERTHVM, eiusque nomine terram, quippe matrem coluerunt Longobardi, et plures. Tum quoque ex sexu sequiore Virgines Vestales uenerati sunt, et VELLEDAM, praeter ceteras, diuino honore dignam habuerunt et AVRINIAM uenerati sunt. *h*) Progressu temporis

f) De M. G. c. IX, & XXXIV.

g) Aegyptiorum Graiorumque exemplo Lunam eo nomine ab Germanis cultam, existimant Philippus Cluuerius et Paul. Hachenbergius, et Iac. Frid. Reimmannus. Alios alias per Isiden Deas intellexisse, refert pluribus ad cap. IX, Taciti Io. Christoph. Vetterus.

h) Tacitus de M. G. c. II, III, VIII, XXXIV, XL. Pleraque haec capita et, qui iis describuntur, Deos ex commentariis aliorum pluribus repetit Casp. Caluoerius in Saxonia gentili & Christiana, Parte I, L. I, c. X, p. XXX, & sequentibus, et c. XX, p. XLIX.

poris plures patefecerunt ſcriptores, ex quo religio Chriſtiana inter Germanos propagari coepit. Cumprimis inſigne eſt ſimulacrum IRMINSVLAE, a Carolo M. Ereſburgi deſtructum, quod alii Marti, alii Mercurio, alii Herculi ſimul, & Apollini, ſub Arminii nomine, ſacrum fuiſſe, contendunt. *i*) Commemorat hic P. Hachenbergius Saxonum Deos, HAMAM, FLINNVM, SIBAM, SVANTEVITVM, CROTHONEM, quem nonnulli putant eſſe Saturnum & Danorum Sueonumque THORVM ſiue Iouem, OTHINVM, denique Prutenorum VVRSCHAYTONEM, SNEYBRATONEM, GVRCHONEM. *k*) Addimus his Sueonum TORSTANVM, VVODANVM & FRICCONEM, quorum mentio fit apud Ada-

i) Meibomius diuerſa plerorumque hiſtoricorum iudicia de Irminſula collegit ex induſtria, ut, repetere, minus neceſſarium, putem. Erneſtus Caſimirus Waſſerbachius Irminſulae idolum in monte Hermienſburg, praecipuo de hoc ipſo libello, quaerit, ſed Meibomio fidem uindicat C. S. Schurzfleiſchius, et, pluribus ſe de Irminſula expoſiturum, pollicetur in Strictturis Valdecciarum Antiquitatum, quas Anno cIɔ Iɔ CCIV edidit, §. IX. Et recordor, eum in animo habuiſſe, ſingulari diſputatione de antiquo hoc Saxonum ſimulacro agere, ſed, praematura morte impeditus, ſchedis imperfectum reliquit inſtitutum.

k) Diſſertat. Hiſt. VIII. parte priore, §. VII. p. CLXXXIII. Germaniae aeui medii.

Adamum Bremenſem *l*), PROVENVM, quem ab Slauis, cum primis Aldenburgenſibus in Vagria, pro terrae Deo habuerunt: tum SIVVAM, deam Polaborum, RADEGAST Deum Obotritorum, et PODAGAM, Plunenſe idolum, de quibus multa reperias apud Helmoldum, rerum Slauicarum ſcriptorem induſtrium, et fide dignum, qui, idolis penatibuſque abundaſſe oppida, diſerte teſtatur. *m*) Poſtremo commemoro LVARASICIVM, Luiziciorum in iiſdem Slauorum regionibus idolum, quod retulit Ditmarus, antiſtes Martiſburgicus, hiſtoricus, et dignitate generis, et uirtute, doctrina, munere ac meritis, in Miſnia primus facile et princeps. *n*) Quanquam exiſtimem ego quidem, complurium appellatione, et ſimulacris, unum ſaepenumero Deum latuiſſe, cum lingua interdum pro regionum diſſimilitudine, & inſtitutis, Germani etiam inter ſe diuerſi eſſent quodammodo, ut adeo imagines multae, diſtincto tantum nomine, uni atque alteri tribuerentur Deo. Quod de Sueonibus exploratum mihi eſt, qui Thori nomine Iouem, VVodani Martem, Fricconis

A 4 Hyme-

l) Hiſt. Eccleſ. L. II, c. XLIV, p. XXVIII. et de Situ Daniae, p. LXI. edit. Lindenbrog.

m) Chron. Slauorum L. I, c. LXXXIII, et eodem libro, c. LII, et Henr. Bangertus, p. CXXVI. ad Helmoldum.

n) Chronico, quod Leibnitius reſtituit. Libro VI, p. CCCLXXXI, Tomo I. Script. Brunſuic.

Hymenaeum siue Talassium, uenerati sunt. Cuiusque muneris, quod habuit, conditionem explicat Adamus, quando scribit, THOR, *inquiunt, praesidet in aere, qui tonitrua et fulmina, uentos imbresque, serena, et fruges gubernat. Alter* VVODAN, *id est, fortior bella regit, hominumque ministrat uirtutem contra inimicos. Tertius est* FRICCO, *pacem uoluptatemque largiens mortalibus. Cuius etiam simulacrum fingunt ingenti Priapo. VVodanem uero sculpunt armatum, sicut nostri sculpere Martem solent. Thor autem cum sceptro Iouem exprimere uidetur.* Et paullo post, *Si pestis & fames imminet,* Thor *idolo immolant, et si bellum* VVodani, *si nuptiae celebrandae sunt,* Fricconi. *o)*

CAPVT IV

Quos item ex bestiis insectisque Deos, cum primis *Equos, asinos, hircos, serpentes, bufones*, pluribus ex Tacito aliisque recenset Hachenbergius, et auctoritatibus confirmat, transeo hoc libentius, quo clarius sententiam declarauit. Istud tamen, quamuis, breuiter ab summo eodem historico paucis de hoc quoque dictum, sciam, praetermittere nolim, Germanos Graecorum antiquissimorum ceremonias approbauisse, quando *saxa* & *lapides* diuino pariter honore affecerunt. De Graiis Pausanias, Seldenus, ex his Io. Christoph. Becmannus, qui demonstrat

o) De Situ Daniae, p. LXI, seq.

ſtrat ſimul, in Anhaltinis lapides huiuſmodi, immani magnitudine, plures, quorum imagines refert, reperiri, ab incolis olim ſimulacrorum loco numeroque habitos, quos poſteri *magicos* ſiue *diabolicos*, alios *muros*, *molas & cellas diabolicas*, ut foedam horridamque ſuperſtitionem, eiuſque auctorem in ſuſpicionem adducerent, nominauiſſent. *p*) Probat ſententiam conſenſu Trogilli Arnkilii, *) confirmabatque mihi, ſe ſimulacra conſimilia in Brandenburgicis regionibus pariter animaduertiſſe, monumentis Brandenburgicis, quae molitur hiſtoricus eximius, propediem inſerenda. Slauos olim in Vagria non modo arbores, ſed fontes etiam atque lapides habuiſſe ſanctos, ex Helmoldo intelligimus, cuius uerba haec ſunt, *Et inbibiti ſunt Slaui de cetero iurare in arboribus, fontibus & lapidibus*, cum, ſacris Chriſtianorum initiati, ſuperſtitioni impiae nuncium remiſiſſent. *q*) Arbores in lucis ex ſacrificio, quod ab eis pendens immolauerunt, uel ideo diuinas etiam crediderunt Sueci, ut dicto paullo ante loco memorat Adamus. Neque in ſuperſtitione omnino conſenſerunt omnes, ſed imagines alii probarunt, alii ab

p) In Hiſtoria Anhaltina, P. I, c. V, p. XXV, ſeq.

*) Qui multos lapides expreſſit Cimbr. Monument. L. II, c. III, IV, et VII.

q) Chron. Slau. Lib. I, c. LXXXIII. ante Helmoldum Adamus Bremenſis de Boruſſis p. LIX. adde Caſp. Caluoerium in Saxonia gent. P. I, L. II, c. VI, p. LXXVII.

Deorum maieſtate alienum exiſtimauerunt, imagines & ſimulacra exponere, quod de ſimulacris & imaginibus deorum conficit Helmoldus. *Eſt*, inquit, *Slauis multiplex idololatriae modus, non enim omnes in eandem ſuperſtitionis conſuetudinem conſentiunt. Hi enim ſimulacrorum imaginarias formas praetendunt de templis, ueluti Plunenſe idolum, cui nomen Podaga, alii ſiluas, vel lucos inhabitant, ut eſt Proue, Deus Aldenburg, quibus nullae ſunt effigies expreſſae. Multos duobus, uel tribus, uel eo amplius capitibus, exculpunt.* Ac tanta Deum multitudine atque copia ſummum tamen aliquod in coelis eſſe numen, quod reliquis imperaret, arbitrati ſunt. Non ſecus, atque gentes aliae cultiores, quibus, ſuperſtitione abſtruſa & recondita, nihilominus perſuaſum erat, reliquorum omnium ueluti conditorem eſſe atque arbitrum illum, qui in coelo, tanquam ſolio, prouide omnia gubernaret. Iterum de Slauis Helmoldus, *Inter multiformia*, pergit, *Deorum numina, quibus arua, ſiluas, triſtitias, atque uoluptates attribuunt, non diffitentur unum Deum in coelis ceteris imperitantem, illum praepotentem coeleſtia tantum curare. Hos uero, diſtributis officiis, obſequentes de ſanguine eius proceſſiſſe, et unumquemque eo praeſtantiorem, quo proximiorem illi Deo deorum.* En manifeſtum et perſpicuum cum Graecorum, Romanorumque, de origine et dignitate Deorum ſententia, conſenſum. Quae indicio

cio ſunt, homines, barbarie iſta, uel fama quaedam de myſteriis Dei Opt. Max. accepiſſe, uel, rationis beneficio, eo progreſſos, ut, ſummum Deorum numen eſſe, crederent, a quo profecti eſſent reliqui Dii, illud uero eſſe ſanctius & uenerabilius, ideoque in coelis collocandum.

CAPVT V

Perſpicue ea, quae breuiter ſtrictimque memorauimus, docent, habuiſſe Germanos Deos publicos, habuiſſe priuatos, & domeſticos, quos eadem, qua reliquae gentes, et copia, et ueneratione, ſanctos ducebant. Quin immo bonos iuxta, atque malos Deos, genioſque reuerebantur, quorum alteros fortunam ſecundam moderari, alteros aduerſam regere, perſuaſum habebant. Plane eam in rem ſcribit Helmoldus Chronico Slauorum, *Eſt Slauorum mirabilis error, nam in conuiuiis, et compotationibus ſuis, pateram circumferunt, in quam conferunt, non dicam conſecrationis, ſed execrationis uerba, ſub nomine* DEORVM, BONI *ſcilicet atque* MALI, *omnem proſperam fortunam a bono Deo, aduerſam a malo dirigi, profitentes, ideo etiam malum Deum ſua lingua* DIABOL ſiue ZCERNEBOCH, *id eſt nigrum Deum, appellant.* r) Sed & SACRIFICIIS Germanos ſtuduiſſe, negat eo, quem ſupra diximus, loco C. Caeſar. Plane aliter ſuo tempore iterum

r) L. I, c. LII.

iterum Tacitus, et, pro uictimis, homines immolasse, palam asseuerat. Non enim olim tantummodo Vlyssi aram consecrasse, eo auctore, accepimus, sed &, *Mercurio certis diebus humanis hostiis litare, fas habuisse, Herculem* uero, et *Martem, concessis animalibus placasse*, quin partem Sueuorum *Isidi* etiam *sacrificasse*. Originem uero et causam peregrini illius sacri ex Liburnae signo colligere uidetur. *s*) Luizicios idolis immolasse, eorundemque iram placasse, administris fortium, sacrificiorumque indigenis constitutis, memorat Ditmarus, Antistes Martisburgensis. *t*) Homines iuxta atque animantia sacrificasse Sueonas, plane testatur Adamus Bremensis, & inhumanum istud sacrificium, quo homines ipsos inter canes suspenderant, detestatur. *Ex omni*, quae eius sunt uerba, *animante, quod masculinum est, nouem capita offeruntur, quorum sanguine Deos tales placari, mos est, corpora autem suspenduntur in lucum, qui proximus est templo.*

s) De M. G. c. IX. Quae conueniunt cum ἀνθρωποθυσίᾳ Gallorum, quos, administris quidem Druidibus homines immolasse, Deosque his sacrificiis placasse, Caesar pluribus docet B. G. Ut suspicari exinde liceat, Druidas hunc sacrificandi ritum in Germaniam importasse. De Isidis sacro, quod ex Aegyptiorum Graecorumque terris repetere uideatur, plura uide apud Caluoerium in Sax. Gent. & Christ. P. I, L. II. c. VII, p. LXXXV.

t) l c. p. CCCLXXXII.

plo. Is enim lucus tam sacer est gentilibus, ut singulae arbores eius, ex morte, uel cibo, immolatorum diuinae credantur. Ibi etiam canes, qui pendent cum hominibus, quorum corpora mixtim suspensa narrauit mihi quidam Christianorum se LXXII uidisse; de Situ Daniae. v) De Slauis, qui Vagriam incolebant, speciatim Aldenburgicis, idem memoriae prodit Helmoldus, cuius uerba haec sunt, *Praeter penates et idola, quibus singula oppida redundabant, locus ille sanctimonium fuit uniuersae terrae, cui flamen et feriationes, et* SACRIFICIORVM uarii ritus *deputati fuerant. Illic enim secunda feria populus terrae cum flamine et Regulo conuenire solebant propter iudicia. Ingressus atrii omnibus inhibitus, nisi Sacerdoti tantum, et,* sacrificare *uolentibus, uel, quos mortis urgebat periculum, his enim minime negabatur asylum. x)*

CAPVT VI

AVSPICIA et SORTES perinde iterum, ut aliae gentes, obseruasse, primum notauit Tacitus, cuius uerba, quae clara sunt, atque perspicua, afferre non displicebit. *Auspicia*, inquit, *sortesque, ut qui maxime obseruant. Sortium consuetudo simplex. Virgam, frugiferae arbori decisam, in surculos amputant, eosque, notis quibusdam discretos, super candidam uestem temere*

v) p. LXII.
x) Dicto ante loco.

temere ac fortuito ſpargunt. Mox, ſi publice conſulatur, ſacerdos ciuitatis, ſin priuatim, ipſe pater familiae precatus Deos, coelumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem conſultatio. Sin permiſſum, auſpiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, auium uoces, uolatuſque interrogare. Proprium gentis, equorum quoque praeſagia ac monitus experiri. Publice aluntur iiſdem nemoribus ac lucis candidi, & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſacerdos, ac rex, uel princeps ciuitatis, comitantur, hinnituſque ac fremitus obſeruant. Nec ulli auſpicio maior fides, non ſolum apud plebem, ſed apud proceres, apud ſacerdotes, ſe enim miniſtros deorum, illos conſcios, putant. Eſt et alia obſeruatio auſpiciorum, qua grauium bellorum euentus explorant. Eius gentis, cum qua bellum eſt, captiuum, quoquo modo interceptum, cum Electo popularium ſuorum, patriis quemque armis, committunt. y) De auſpicio, quod ex equo ſacro Luitici ceperunt, palam Ditmarus loco, quem praedixi *z)* teſtatur. SORTIBVS *finitis*, inquit ille, *ceſpite viridi eas operientes*, EQVVM, *qui maximus inter alios habetur, et ut* SACER *ab his ueneratur, ſuper fixas in terram duorum cuſpides haſtilium, inter ſe tranſmiſſorum ſupplici obſequio ducunt, & praemiſſis ſortibus, quibus id explicauere, prius per hunc, quaſi*

y) De M. G. c. X.

z) Chron. Lib. VI. p. CCCLXXXI. II.

quasi diuinum, denuo augurantur, et si in duabus his rebus par omnium (omen) *apparet, factis completur, sin autem, a tristibus populis hoc prorsus omittitur. Testatur idem antiquitas, errore delusa uario, si quando his, seu a longe, rebellionis asperitas immineat, ut e mari praedicto* aper magnus, *et candido dente, e spumis lucescente, exeat, seque in uolutabro delectatum terribili quassatione multis offendat. Quot regiones sunt in his partibus, tot templa habentur, et simulacra daemonum singula, ab infidelibus coluntur, inter quae ciuitas supra memorata* (Riedegast) *principalem tenet monarchiam. Hanc, ad bellum properantes salutant, illam, prospere redeuntes, muneribus debitis honorant, et, quae placabilis hostia Diis offerri a ministris debeat, per* SORTES *ac per* EQVVM, *sicut praefatus sum, diligenter inquiritur. Hominum ac sanguine pecudum ineffabilis horum furor mitigatur.* Hactenus Ditmarus. Huc spectant, quae de Rugiorum Equo, albi coloris, commemorat ex Saxone Grammatico Paulus Hachenbergius in Germania medii aeui, *a*) breuitatis studio, ne pluribus, quam expeditam dedimus, testimoniis, sine necessitate, sententiam confirmemus, omittenda.

CAPVT VII

Romani, antequam templa habuerunt, Deos in lucis consecratis, auctore M. Varro-

a) Dissert. VIII, §. XXIII. p. CXCVII.

Varrone, coluerunt. Virgilius, poeta, *ſacratas ualles* uocat, *b*) propterea, quod, interprete ad hunc locum Seruio, nunquam lucus erat ſine religione. Diſſentiunt uero explanatores ueteres in ſignificatione uocis expromenda. Seruius *lucum* dici, cupit, *quod non luceat*, *non*, *quod ſint ibi lumina cauſa religionis, ut quidam uolunt.* *c*) Varronem, neſcio, an alium quenquam, refellit. Ille enim, lucos a luce dictos, tradit, propterea, quod ignis ſacrificiorum, quae illic fieri conſueuerant, arborum opacam denſitatem illuſtraſſet. *d*) Erant uero luci nemora, Diis ſacra, & religioſa, interdum delubris et fanis etiam proxima, eoſque lucos, ut Seruius, dicto loco docet, *heroum animae* tenebant. Quod ex Marone haud obſcure patet, quando, tumulum Hectori coniugi ſacrum in luco eiuſmodi ſacrificiis conſecrauit Andromache, maneſque mariti ad tumulum iſtum honorarium, & inane ſepulcrum, quod extruxerat, lacrymis uocauit. *e*) Conſimilem lucum Camoenis ſacrauit Numa, rex R. quod, concilia cum Egeri,

b) Aen. IX, v. III. & IV.

c) Ad Libr. I. Aen. v. CCCCXLV. p. CCCCLXXXI.

d) De Lingua Latina lib. V. Repetiit ex eo Petr. Gualth. Chabotius in Commentario in Lib. I. Carm. Od. IV. Horatii. P. I. p. XLVII, & in Appendice. p. CCCCL.

e) Aen. III, v. CCC. ſeq. & Seruius ad h. l.

ria, conjuge sua, ibi agere, putabant homines, in Eumque lucum persaepe sine arbitris intulit se, uelut ad congressum Deae, simulauitque, sibi, ut feroci tum populo metum religionis iniiceret, nocturnos cum Egeria esse congressus, cuius quippe monitu sacra, quae Diis acceptissima essent, instituere, & suos cuique Deorum sacerdotes praeficere, necesse esset. *f*) Erant uero luci illi quercubus maxime consiti, quas fuisse, apud gentes complures nationesque, sacras, inter omnes constat; Ritum ad quercus sacrificandi antiquissimum, et primis, ab urbe condita, temporibus usitatum, indicare Liuius uidetur, quando Romuli pietatem laudat, quippe qui ad *quercum pastoribus* in Capitolis *sacram*, spolia, ex bello Caeninensium relata, deposuit, et Ioui Feretrio sacra iussit, primumque Deo huic, religione ductus, templum ibi solenni formula dedicauit. *g*) Hinc sacrum quercubus nomen impositum, siluaeque, quercubus refertae, Diis sacrae habebantur, cujusmodi quercum antiquam, quae Marti, Deo, sacrata erat, in T. Fl. Vespasiano commemorat Tranquillus. *h*) Ita de lucis, quercubus et cyparissis plenis, Ioui

B pari-

f) **Liuius Hist. L. I. c. XIX. et XXI.**

g) **Lib. I, c. X.**

h) **Cap. V.**

pariter, atque Dianae, sacris, satis perspicue Virgilius prodit. *i*)

CAPVT VIII

Non secus Germani in nemoribus et lucis consecratis sacra curabant, atque aliae gentes, ab quibus instituti rationem et modum, quo tamen tempore, et quo auctore, incertum, accepisse, arbitramur. Primum de Germanis id patefecit Tacitus, *Ceterum*, inquiens, *nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine coelestium arbitrantur. k*) Quem locum celeberrimus Germaniae historicus, Conr. Sam. Schurzfleischius repetit et illustrat. *l*) Ita sane, multarum, religione profanarum, consuetudine gentium, didicerant de reuerentia praepotentis et summi alicujus Numinis existimare, cuius quippe potentiam, quae modum non patitur, nec finibus circumscribi potest, parietibus includere, ab majestate diuina alienum, putabant, fama quadam, quae de uero Deo, in gente, salutari religione im-

i) Georg. L. III, v. CCC XXXII. et sequentibus, itemque Aen. III, v. ɪↄc LXXX. et sequenti. Cupressum, religione patrum antiquam, et multos per annos seruatam, atque juxta tumulum quidem, templumque uetustum Cereri sacram, praedicat Virgilius idem Aen. II, v. ɪↄcc XII. et sequentibus.

k) De M. G. c. IX.

l) Disp. de Templorum Antiquitatibus, §. III.

imbuta, uigebat, in hanc ſententiam inducti, at improbo aemulandi ſtudio excitati. Varias certe ceremonias ex re, uel Iudaeorum, uel Chriſtianorum, ſacra mutuatae ſunt gentes, extra coetum Dei conſtitutae, atque in lucos et delubra accerſiuerunt, praeſertim, cum, multas rituum ſimilitudines conuenire cum moribus ſuis, et affinitate coniungi poſſe, in ſacrorum adminiſtratione, et Deorum cultu, ac ſuperſtitioſa ueneratione, uiderent, cuiuſmodi manifeſta doctrinae, quae in ſacro codice patefacta eſt olim populo, diuinitus erudito, ueſtigia in ſacris, gentium Numinis diuinioris, et doctrinae coeleſtis expertium, impia aemulatione, propoſita, et in literas relata, uiri in coetu meliori literatiſſimi, et doctrinae ſanctitate uenerabiles inueſtigarunt, atque eo pacto conſenſum cum diuiniori ueritate, reuera, ut ſuperſtitioſae fraudi conſulerent melius, mentitas, ingenioſe demonſtrarunt: Ab eis uel peregrinationibus, uel bello, et commerciis propagatae ſunt huiuſmodi in ſacris ceremoniae, atque ad Germanos etiam delatae, qui, Diis ſacra ſua facturi, ad alios ſe accommodabant, ne peregrini, atque in aliis gentibus inuſitati ritus rei haberentur, atque, animum ab rebus diuinis penitus alienum, teſtarentur. Quare, ut pergit eodem capite Tacitus, *Lucos ac nemora conſecrabant, deorumque nominibus appellabant ſecretum illud, quod ſola reuerentia uidebant.*

Speciatim uero de Sueuis Semnonibus, quorum potentia erat maxima, ut ne Dii quidem immortales eis pares haberentur, et in terris cum bellicosissimi omnium essent, resisteret nemo. *m)* Fidem antiquitatis religione firmari, testatur, et, *statuto tempore*, scribit, *in syluam*, auguriis patrum *et* prisca formidine sacram, *omnes eiusdem sanguinis populos legationibus coiuisse, caesoque publice homine* (en ἀνθρωποθυσίας exemplum, quod sacrificandi similitudinem, ex Druidum scholis fortasse profectam, proponit) *celebrasse barbari ritus horrenda primordia. Est et alia luco reuerentia*, ut pergit commemorando, *Nemo, nisi uinculo ligatus ingreditur, ut minor, & potestatem numinis prae se ferens.* Superstitione sane indicium, idem, praetulisse eos, coniicit ex eo, quod, si forte prolapsus fuisset aliquis, *attolli* (leuari) *et insurgere* haud licuisset, sed *per humum euolutum*, atque ex sylua, religione plena,

m) C. Caesar de Bello Gall. L. IV, c. I. & VII, quem locum transtulisse in commentarium suum Tacitus, cum de Sueuorum Semnonum gente agit, uidetur. Consedisse inter Danubium, Albim, Vistulam, Hercyniam Syluam, sinumque Codanum, Tacitus, Strabo ex eisque Paulus Hachenbergius definit Differt. I. medii aeui, §. XV, p. X. Distinguendi sunt Semnones hi ab Senonibus, Gallis, quorum ciuitatem firmam, et magnae inter Gallos auctoritatis, Caesar memorat B. G. L. V, c. LIV, &, Parisiis finitimos docet L. VI, c. III. Consentit Schurzfleischius de Templ. antiqu.

na, extractum. Causam attigisse, putat, *tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subiecta atque parentia esse. n)* Itemque apud Naharualos, qui Germani erant, cis mare Sueuicum siti, et Saxonibus antiquis, iisque Orientalibus, qui Ostphali dicebantur, finitimi, et Cisbalthiani ab Schurzfleischio nominantur, antiquae religionis lucum, suo tempore ostensum, testatur, in quo praesidis officio functus sacerdos sit, muliebri ornatu, Deos uero, similitudine Romanorum, ut interpretatio teneret, *Castorem Pollucemque* retulisse. *o)* Quos Deos illos, bonum atque malum, de quibus supra ex Helmoldo docuimus, fuisse, cum cl. Reimanno arbitror, quod ejus generis superstitio ad posteros mansit. Omitto *Badubennae* Frisiorum, quod clarum iam tum inter Germanos erat nomen, lucum, cuius Tacitus Annalium quarto libro, ad extremum, mentionem facit. Illius tamen luci uenit in mentem recordari, qui iuxta Ratisponam, arboribus, haud dubie quercubus, censitis olim, antiquis Baioariae ciuibus sacer et uenerabilis fuit in monte, quo monasterium diuo Emerano, Ratisponensium Apostolo, eiusque

 cine-

n) De M. G. c. XXXIX. ἀνθρωποθυσίαν supplicio interdixit Carolus M. Capitul.V, p. CCC XXIII. Monach. Paderborn.

o) Ibidem c. XLIII. uid. Iac. Frider. Reimannus Introd. in Hist. liter. Germ. L. II, p. V.

cineribus sacrum, deinceps coepit. p) Quamuis Germani primis, sicuti docuimus, temporibus templa non condiderint, nec etiam condere ea, & ornare potuerint, quoniam, anno quouis exacto, alio transire et migrare, uel a magistratu iuuebantur, uel hostium incursionibus cedere cogebantur, tamen, progressu temporis, Romanos secuti, et in templis habitare Deos, existimauerunt atque extruere fana, quamuis non magnifica, et sumptuosa, coeperunt. Ac Tacitus quidem, a *Germanico* celeberrimum in Marsis, Germaniae ad rhenum inferiorem populo, *Tanfanae* templum, destructum, scribit. q) Tum Ditmarus, Redariorum, qui in Pomerania ad Panim, fl. incolebant, latissimosque fines habebant, fanum ex ligno artificiose constructum, horumque et Luiticiorum templa, in omnibus regionibus, quas habuissent, sacra, et Deorum simulacra, recenset. r)

CAPVT

p) Andreas Ratisponensis de Monasteriis Bauariae, p. LXXIII. Tomo Schilteriano.

q) Annal. Lib. I, c. LI.

r) Chronico L. VI, p. CCC LXXXII, T. I. Leibnitz. *Quot regiones*, inquit, Ditmarus, *sunt in his partibus, tot templa habentur, et simulacra daemonum singula, ab infidelibus coluntur.*

CAPVT IX

Veluti ſingulare mihi obſeruatum eſt, Germanos etiam lucos delegiſſe, quibus flumen proximum erat. Quod de finitima Longobardis inſula Rugia, ut mea fert opinio, eiuſque nemore ſacro, cui *Caſto* nomen fuit, memorat Tacitus, in quo non procul ab templo, Herthae conſecrato, lucus abfuit, quo, finitis ſacrorum ſolennibus, currum, quo Dea iſta aduehi conſueuerat, numen ipſum et ueſtes, ſemper ab ſordibus purgare et abluere ſolebat ſacerdos. *s*) Conſimilis coniectura elici ex Adami Bremenſis hiſtoria eccleſiaſtica, poteſt, quo docet, Volfredum, Anglum, qui Sueonas reuocare ab ſuperſtitione conatus fuerat, deſtructo patrio Sueonum idolo, *Torſtan*, obtruncatum atque uulneribus confectum laniatumque in paludem abiectum. *t*) Quanquam digumentum ex Adamo depromptum infirmari poſſe, non diffiteor. Addo tamen, lucos et fontes, denique templa ab ſcriptoribus, cum de priſtino gentium cultu narrant, ſaepius coniungi. De Boruſſis Adamus idem refert, adire ad eos, et reliqua omnia cum illis communia habere, licuiſſe Chriſtianis, ad *lucos* et *fontes* aditum nemini integrum fuiſſe, propterea, quod ſacra ſua Chriſtiano-

s) De Mor. Germ. c. XL.
t) L. II, c. XLIV.

rum aditu pollui, exiſtimauerunt. *u*) Lucos et fontes pariter coniungunt Helmoldus, quando Falderenſes, in finibus Holſatiae incolentes, ſuperſtitionis accuſat. *x*) De lucis, templis proximis, hoc minus dubito, quo plura mihi eius ſententiae ueſtigia uideor deprehendiſſe. Non enim ex Taciti ſolum loco, quem paullo ante attuli, uerum ex Adamo etiam Bremenſi, patet, eos, qui templa, uel templorum ſaltem ſimilitudinem agnouerunt, lucis proxima habuiſſe. *Corpora* inquit, (immolatorum animantium) *ſuſpenduntur in lucum, qui proximus eſt templo. y*)

CAPVT X

Erant uero luci Germanorum, in quibus ſacra adminiſtrabant, et de republ. deliberabant, quercubus, ut Romanorum, ſacri, et Deorum cultui deſtinati. Sic Vagriae incolas antiquiores, de quibus ſupra expoſuimus, Deo Proueno in ſylua uetuſtiſſimas, eaſque ſacras quercus dedicauiſſe, Helmoldus narrat, locumque, ſepe lignea munitum, fanum uocat. Perluſtrauit Helmoldus lucum ipſe, et Geroldo, natione Sueuo, Antiſtiti Aldenburgenſi, comes datus fuit, cum lucum iſtum, iuſſu Henrici Leonis, euerteret,

u) De Situ Daniae p. LIX.

x) Chron. Slau. L. I, c. XLVII. Hinc ad fontes et arbores ſacra fieri prohibuit Carolus M. capitular. XX.

y) P. XII. loco dicto.

ret, incendioque deleret. *z*) Ab isto sacrae quercus cultu ac religione urbibus nonnullis uicisque nomen impositum, legimus, mansitque in Baioaria *Altaichii*, superioris atque inferioris, appellatio, quod docent Daniel Nesselius, *a*) Io. Auentinus, *b*) C. S. Schurzfleischius, *c*) qui Druidum instituta explanauit. Nemo igitur, nisi, qui cum imperita multitudine in nemoribus ac syluis oberrauerit, nec antiquos patriae lucos accuratius lustrauerit, inficiabitur, uel in dubium uocabit, priscos Germanos communem gentium, ad quas, belli praesertim tempore, commearunt, commerciisque, ex finitimis terris importandis, sibi familiares etiam reddiderunt, consensum penitus secutos. Vrnae, quae in Germaniae finibus magno numero eruuntur, ritus similitudinem confirmant, atque, in syluis, propter quercus, reconditae olim, docent, quercus sacras fuisse Germanis, atque in funeribus, quae tamen, teste iterum Tacito, *d*) ampla non erant, cor-

z) Chron. Slau. L. I, c. LXXXIII, qui et capite LXXIX. et sequentibus Geroldi uitam et laudes breuiter recenset.

a) In supplemento Bruschiano Chronologiae monast. Germaniae, p. III, et XXXIV, seq.

b) Anal. Boi. L. III.

c) De Druidibus §. VII.

d) De M. G. c. XXVII, Quae plane consentiunt cum eis, quae de Anhaltinorum heroibus commemorat Becmannus P. I, c. V, §. V, et sequentibus.

pora super rogo concremata, cineremque urnis sollicite conseruatum. Atque urnae complures reperiuntur in agris, inde ab hominibus, rei antiquariae gnaris in bibliothecas illatae, studiosius merito seruantur, et de funerum consuetudine, quam ab exteris mutuati sunt, testimonium certius praebent, quam in aliis ceremoniis, quibus suspiciones, primas tenent, et pro ueritate tantummodo loquuntur. Imagines urnarum formis exscribendas curauerunt, post complures alios, Guil. Ernest. Tenzelius, Io. Christoph. Olearius, et Io. Christoph. Becmannus, uiri in peruestigandis patriae antiquitatibus nauiter uersati. Omnium maxime Becmannus eas, quae in Anhaltinorum sepulcris sunt repertae, recensuit industrie, et magnitudinem omnium amplitudinemque expressit. *e)* Non alienum ab instituto, arbitror, componere auctoritates Caesaris ac Taciti, quorum alter de funeribus Gallorum, alter de Germanorum, ritum et mores persequitur, ut uel inde coniectura sit, ex Galliis, ut mea fert opinio, in Germanorum peruenisse. De Gallis uero ita Caesar, *Funera sunt, pro cultu Gallorum, magnifica et sumptuosa, omniaque, quae uiuis cordi fuisse, arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia, ac paullo supra hanc memoriam, serui et clientes, quos ab iis dilectos esse, constabat, iustis funeri-*

e) Hist. Anhalt. P. I. cap. V, §. VII, p. XXVII, XXVIII.

neribus confectis, una cremabantur. f) Atque ex Pomponio Mela etiam intelligimus, ita docuisse homines Druidas, sapientiae magistros. Germanorum funera Tacitus perscribit his uerbis. *Funerum nulla ambitio. Id solum obseruatur, ut corpora clarorum uirorum certis lignis crementur. Struem rogi nec uestibus, nec odoribus, cumulant. Sua cuique arma, quorundam igni et equus adiicitur. Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum et operosum honorem, ut grauem defunctis, aspernantur. Lamenta ac lacrymas cito, dolorem et tristitiam tarde, ponunt. Feminis lugere, honestum est, uiris meminisse.* g) Ex quibus patet, quaedam habuisse cum Gallis communia, reliquisse uero illis, quae ad magnificentiam et splendorem, quum non affectarent cultum, pertinebant. Neque tamen omnium arma uel posteris temporibus, in ignem coniecta, sed cum defunctorum corporibus in tumulum, quem ingentem lapidibus praegrandibus condiderunt, illata, et iuxta illa reposita, plane conficiunt ea, quae in Anhaltinorum collibus, et alias eruta, asseruantur, a Becmanno iterum in annales, additis illorum imaginibus, relata. h)

CAPVT

f) B. G. L. VI, c. XIX.

g) De M. G. c. XXVII. Flamma consumere uita functorum corpora, capitis supplicio interdixit deinde Carolus M. Capitular. VI, p. CCC XXIV, Monument. Paderborn.

h) Loco paullo ante dicto.

CAPVT XI

Sacrorum in Gallia adminiſtri erant *Druides*, et religionis myſteria aperiebant, praeterea reipublicae negotia curabant, ac de hereditate, de finibus, controuerſias finiebant, communi aliquo concilio, quod quotannis in luco (ita rectius in capite tertio decimo, libri VI. Caeſaris belli Gallici legendum, non *loco*, ſuſpicatur Schurzfleiſchius, *i)* quamuis interpres Graecus, cum τόπον reddidit, antiquitus locum fuiſſe receptum, conſentiat) conſecrato agebant, eique concilio unus, auctoritate et dignitate ſummus, moderator praepoſitus erat, omnes autem praemia poenaſque conſtituebant, et qui decreto eorum non ſtetiſſet, ſacrificiis, quae poena erat omnium grauisſima, interdicebant. Tum de artibus ac diſciplinis, de emendatione morum ac uitae, *de ſideribus, eorumque motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium ui ac poteſtate diſputabant, et iuuentuti tradebant.* Iuuenes ad eos magno numero conueniebant, atque, in diſciplinam illorum miſſi, annos uicenos interdum conſumebant, forſan, ut, quia literis mandare praecepta, per decreta Druidum, non licebat, memoriae diligentius ſtuderent. Diſciplinam efferri in uulgus, nolebant, atque hinc clam in ſpecu, aut in *abditis ſaltibus*, uti loqui-

i) Diſp. de Druidibus §. II,

loquitur Pomp. Mela, Geographus, *k*) ac totidem annos, ficuti ex Caefare accepimus, iuuenes docebant. Ac, pro praemio, militiae uacationem, rerumque omnium habebant immunitatem. Licet itaque bello interesse haud consueuerint, tamen, cum de principatu inter eos contentio orta eft, armis uis quifque fuum perfecuti funt. *l*)

CAPVT XII

Ex Pythagorae Schola profectum uidetur, quando de Druidibus fcribit Caefar. *Inprimis hoc uolunt perfuadere, non interire animas, fed ab aliis poft mortem tranfire ad alios, atque, hoc maxime ad uirtutem excitari putant, metu mortis neglecto.* Plane eodem modo et loco iterum Mela, qui Caefarem, haud dubie auctorem primum, fecutus eft, *Vnum*, inquit, *ex iis, quae praecipiunt, in uulgus effluxit, uidelicet, ut forent ad bella meliores, aeternas effe animas, uitamque alteram ad manes. Itaque cum mortuis cremant ac defodiunt, apta uiuentibus olim. Negotiorum ratio etiam et exactio crediti deferebatur ad inferos, erantque, qui fe in rogos fuorum, uelut una uicturi, libenter immitterent.* Succenfet, at fine caufa quidem, C. Caefari Iacobus Campius, Moguntinus, quod haec ipfa

k) De Situ orbis L. III, c. II, quae uerba uidentur probare, in loco Caefaris, quem correxit Schurzfleifchius, *lucum* obtinere.

l) Haec ex Caefare refero B. G. L. VI, c. XIII, & XIV. adde Strabonem L. IV, p. m. CCXIII.

ipſa ad μετεμψύχωσιν Pythagoraeorum trahere uideatur. *m*) Prudens tamen, ut bene ad hunc locum, auctoritate Io. Brantii, monet Schurzfleiſchius, Caeſar de ſecta Pythagorae tacet, quia multum inter utroſque intereſt, uel eo argumento, quod Pythagoras ſtatuerat, animas hominum migrare in corpora pecudum, ex iiſque ad homines remigrare. Contra, quam Druides putarunt, ab aliis hominibus tranſire ad alios homines, quod non conuenit cum placitis Pythagorae, ut qui exiſtimaret, animam hominis in diuerſa animalia migrare, et, multa uariaque migratione confecta, tandem in hominis corpus, reuerti. Quae qui altius repetit, ſecumque conſiderat accuratius, Caeſari nullam iniuriam faciet, neque imprudentiae arguet, quando ad Druidas auctores refert, qui aliis, animam interire, exiſtimantibus, perſuadere uoluerint, animas eſſe immortales, adeoque, licet uiciſſitudinibus, belli et mortis periculo, obnoxias, tamen ad homines redire, iacturamque, quam facerent, ſarciri. Plato, Pythagoram ſecutus quidem, in eo tamen diſſenſit, quod proborum animas ad animalia munda, improborum uero ad immunda deſcendere, exiſtimauit. Sed Druidum ſententiam referunt plures etiam, atque Caeſaris fidem ſuſpicione liberant, eiuſque ueſtigia ſequi uidentur. De

m) Nicol. Serarius Rerum Moguntiacarum Lib. I, c. XV. p. m. LXIII.

De Pomponio Mela supra docuimus, de Diodoro Siculo, et, qui de Pythagorae Druidumque deinde instituto et disciplina tradiderunt, Porphyrio, Iamblicho, Valerio Maximo, et Ammiano Marcellino, pluribus exposuit Schurzfleischius. Strabonem, qui eadem commemorat, addere placet, *ἀφθάρτους*, ait, *λέγουσι καὶ οὗτοι* (Δρυΐδαι) *καὶ ἄλλοι, τὰς ψυχὰς, καὶ τὸν κόσμον. n)* Quod posterius de mundo, ex Aristotelis disciplina profectum, Caesar non ad Druidas refert, neque eos de mundi uel aeternitate, uel interitu quicquam prodidisse, obseruat. At tamen, ut Caesar et Mela, sic Ammianus Marcellinus, docet, *inter hos* (Euhages,) *Druidae, ingenio celsiores, ut auctoritas Pythagorae decreuit, sodaliciis adstricti consortiis, quaestionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt, et despectantes humana, pronunciarunt animas immortales. o)* Sed, in quo dissentiant a Pythagora, satis est antea demonstratum.

CAPVT XIII

Ipsi Druides, sicuti Caesar in commentarium retulit, ex Britannia in Galliam disciplinam transtulerunt, atque in Britanniam, discendi causa, ad doctores praecipuos, concurrerunt, ut propius placita Druidum et instituta reli-

n) Geograph. L. IV.
o) Libro XV, c. IX, p. m. XCIX, & interpretes Henricus & Hadrianus Valesii ad h. l.

reliquorum cognoſcerent, animumque in patria eruditum, penitus confirmarent. Druidum nomen, et originem, de qua addere ad extremum uidetur, alii aliter iterum interpretantur. Plinius ἀπὸ τῶν δρυῶν deducere uidetur, cum in Hiſtoria Naturali *p*) *Roborum, ait, eligunt lucos nec ulla ſacra ſine ea fronde, conficiunt, ut inde appellati quoque, interpretatione Graeca, poſſint Druidae uideri.* Quae uerba repetunt Gerhardus Io. Voſſius & Schurzfleiſchius. *q*) Cum Plinio diſſentire uidentur Strabo, Diogenes Laertius, Suidas, ex nouis Conr. Celtes, Io. Rhelluanus. *r*) Cauſam ſententiae ſe, putant, inueniſſe in Caeſare, Druidas Graecis literis in publicis priuatiſque rationibus uſos, obſcurius tamen, ille docet. Quem locum Caeſaris ſollicitare Franciſcus Hottomannus, uel ideo conatur, quod Caeſar epiſtolam, Graecis conſcriptam literis, equiti, Gallo, ne conſilium ab Gallis, linguae Graecae ignaris, proderetur, ad Ciceronem deferendam, dederat, *ſ*) ex quo ad Druidas etiam inſcitiam eius linguae pertinere, ſuſpicatur. Sed reſtituit locum iſtum Schurzfleiſchius, atque iſta Caeſaris uerba non generatim atque uniuerſe de Gallis omnibus, maxime

p) L. XVI, c. XLIV.

q) De Origine & Progreſſu Idololatriae, L. I, cap. XXXV, Schurzfl. de Druidibus.

r) Ad L. VI, B. G. Caeſaris, c. XIV.

ſ) B. G. L. V, c. XVIII.

maxime eruditis et Druidibus, intelligenda, docet. *t*) Neque uero, *Graecis*, uox, quam hinc parentheſi circumcludunt nonnulli, in antiquis libris et exemplis, tanquam ſuſpecta, ſimiliter eſt diſtincta. Arnoldus Montanus ex Alfrici *Gloſſario Saxonico Latino* repetit, Saxonas in Britannia magos ſua lingua uocaſſe *Dry*, atque inde coniicit, ut Gallis pariter ac Germanis Druidis uox communis fuerit, ſic et *Dry*, magi nomen, fore commune. Inde formaſſe Graios ueteres Δρυῒς, δρυΐδος, nouos uero, et, qui Graios ſecuti ſint, Latinos ſcriptores flexione prima, *Druidas*, enunciauiſſe. *u*) Similiter, atque Trogillus Arnkielius, qui ab ueteri ſaxonum nomine *Dru* arceſſiuit. *x*) Miror autem, Arnoldum Montanum, et, quem Schurtzfleiſchius addit, Arnkielium, ita grauiter lapſos, ut nomen, quod multo eſt antiquius, et iam Caeſaris ac Ciceronis aetate cognitum, in Saxonibus quaererent, qui, multis poſt ſeculis in Britanniam ingreſſi, linguae cognatione populos ſibi iunxerunt. Praeterea nec dum certum eſt, Germanos tum ſacerdotes ſuos Druidas uocaſſe, adeoque commune iam cum Gallis nomen illud habuiſſe, ut Montano perſuaſum eſſe, uidemus. Gerardus Io. Voſſius, originem uo-

C cis

t) De Druidibus §. II.

u) Ad illum Caeſaris locum.

x) De Religione antiqua Cimbrorum c. XXIII.

cis Graecis antiquioribus deberi, negat, ſed, ignotam omnino, perhibet, atque, in Celtica lingua quaerendam, ſtatuit, ita tamen, ut, ex Britannia in Galliam translatam, cum Caeſare, cuius eo in loco uerba repetit, credat. At, Graecam tamen eſſe, Schurzfleiſchius arbitratur, atque in Britannia quaerit, ſigillatim Cambria, cum in ſermone Cambrico ueſtigia Graeci ſermonis etiamnum, ut Petrus Daniel probat, ſuperſint. Veriſimile ergo eſt, et nomen eorum, qui iſtam diſciplinam profeſſi ſunt, ſimul ex Britannia in Galliam profectum. Britannis uero etiam, quemadmodum Germanis *Dru*, pro quo alii dicerent *Trou*, uel, ut Aegidius Bucherius, *Drud*, ſiue *Trud*, expromit, fidem notare, unde et, ueteribus Germanis *Drutin*, ſeu, *Trudin*, Deum eſſe habitum, Voſſius idem opinatur. *y*) Niſi iterum, quando Britannos cum Germanis contendimus, recentius inde nomen, quod ab hiſtoria primorum temporum alienum, emergat.

CAPVT XIV

An, et quando *Druides in Germaniam* uenerint, nondum planum expeditumque eſt, neque ullum eius rei teſtimonium apud ſcriptores, qui de Druidibus aliquid memoriae

y) de Idololat. gent. L. I, c. XXXV.

riae prodiderunt, extat. z) Caesar, cum consuetudinem, ceremoniasque, et mores, quibus inter se Galli et Germani differunt, peruestigat, principe loco commemorat, Germanos Druides, qui rebus diuinis praesint, non habere. a) Neque Tacitus Druidum meminit, toto, quem de Moribus Germanorum edidit, libro, ne eo quidem capite, quo rem sacram persequitur, et sacrorum administros expromit, non omissurus, siquidem uel fama saltem aliquid de illis sapientiae magistris, quorum nomen tam obscurum olim non erat, accepisset. Imperatoribus Romanis infensi erant ob dirae immanitatis religionem, quia homines innocentes immolabant sacrificiis, et humanis uictimis litabant. Itaque Octauius Augustus ciuibus primum interdixit uictima crudeli, Tiberius Nero compescuit ac refrenauit, Tiberius uero Claudius, quia artem non desierant, quemadmodum polliciti fuerant, sed humanis hostiis deorum aras ac templa funestare pergebant, penitus aboleuit. b) Subdubitat hic Glandorpius, nescius, Tiberione Neroni,

z) Schurzfleischius, antiquitatis Germ. explanator industrius, suffragatur nobis, et fatetur, nullo se documento Druidum in Germaniam aduentum explorare potuisse, l. c. §. VII.

a) B. G. l. VI, c. XXI.

b) Suetonius in Nerone, c. XXXVI, in Claudio c. XXV.

roni, an Tib. Claudio uindicet, quod utrique, diſtincta tamen ratione, erat uindicandum. In dubium adduxit eum *Tiberii* praenomen, quod utrique eſt commune. Liberauit tamen et expeditum dedit Schurtzfleiſchius, et, Tiberium alterum coercuiſſe ſacrificandi libidinem, alterum quippe Claudium, crudelitatem, funditus, quod docuimus ſupra, exſtirpaſſe, pluribus demonſtrauit, Pliniique ſententiam cum Suetonii conciliauit, ac dubios interpretes in ordinem redegit. *c*)

CAPUT XV

Vtrum illo demum tempore in Germaniam demigrauerint, obſcurum iterum eſt. Conradus Celtes in Deſcriptione Norinbergae ex Galliis in Germaniam conceſſiſſe Druidas, autumat, ab Tiberio, Claudio, non Nerone, propter factiones, uel, definiente Tranquillo, ob uictimas inhumanas potius, *quarum duces erant*, inde pulſos, *et ſub Carolis, Arnolphis, Ottonibus, Chriſtianam religionem interpretantes, totam Hercyniam in amoenis, ac irriguis uallibus, aprorum, et ceruorum ſaltibus, ſub annoſis et nigris quercubus* (a quibus coenobiorum, forte illorum, quae in Baioaria, Altaichiorum, ſupra diximus, nomina eſſent) *occupauiſſe.* Celtae aſſentiri uide-

c) De Druidibus §. VI.

uidetur Io. Rhellicanus. *d)* Sed uelim, unde haec ſumpſerit, probaſſet Celtes, ut fidem haberet, in cauſa, quae alias dubia eſt, et fide deſtituitur ſcriptorum, qui eiſdem temporibus id obſeruaſſent. Eius generis homines aetate Caroli, Arnolphi, et Ottonum, in coetu Chriſtianorum ſacro, religiones interpretatos, nuſquam animaduerti. Diogenes Laertius, cum, apud Gallos iuxta ac Germanos Druidas iuris diuini humanique peritos, nec in Philoſophia tantum, ſed et religione maxima cum laude uerſatos, celebrat, famam ſecutus, Arnoldo Montano non ſatisfacit, ſed incerta prodidiſſe putatur. *e)* Elias Schedius autoritate Diodori Siculi, ad Hercynium montem Galliae nomen transfert, adeoque Druidas eo perueniſſe, opinatur, et ſcribit, fuiſſe apud Germanos priſcos ſummo in honore, ſecus, atque Caeſar doceat, quum, Druidas habuiſſe, negat. Caeſarem hinc oppugnat, et erroris eum teſtimonio Taciti arguit, memorantis, ſacerdotes precari Deos, ſi in publicum conſulatur, ſilentiumque per ſacerdotes imperari. *f)* Sed Schedium imprudentiae accuſat Schurzfleiſchius, Tacitum cum Caeſare intempeſtiue

d) In Notis ad cap. XIV, L. VI. Caeſ. de B. G.

e) Ad Libr. VI, B. G. Caeſ. c. XIII.

f) De Diis German. Syngrammate II, c. I. XXIII et XXIV.

ſtiue committentem, et Germanorum ſacerdotes, ſub illud ipſum tempus, quo Caeſar de Gallis ſcripſit, ex Druidum fuiſſe numero, exiſtimantem. Taciti tamen, et, quae inſecuta ſunt, temporibus, uideor mihi ueſtigia complura uidiſſe, quae, ſi non Druides ipſi, Druidum tamen inſtituta in Germaniam penetraſſe, oſtendunt. Ac demonſtrabimus quidem, ſeculo a Chriſto nato primo, Druidum ſacrificandi morem, et rationem adminiſtrandae reipublicae, quin ipſos Druidas Germanis non ignotos, iis potiſſimum regionibus, quae Rheno proximae ſunt, fuiſſe, ut commigraſſe in Germaniam, et doctrinae capita propoſuiſſe hominibus, nomen tamen, quod, ex Galliis etiam expulſi, finitimis infenſum fore, ſuſpicabantur, abieciſſe, ſacerdotumque, quod in Germania erat uſitatum, ſuſcepiſſe uideantur. Neque enim, poſt id tempus Druidum nomen cognitum, mihi conſtat. Strabo, exquiſito Geographus iudicio, qui, rerum potiente Tiberio, quod ipſe memoriae proditum reliquit, *g*) Floruit, cum de Gallorum moribus, quos, antequam ſubacti a Romanis fuerint, tenuiſſent, exponit, haud abſimiles fuiſſe Germanorum, putat, quando ita libro IV. commentatur, καὶ γὰρ τῇ φύσει, καὶ τοῖς πολιτεύμασιν, ἐμφερεῖς εἰσιν, οὗτοι καὶ συγγενεῖς ἀλλήλοις ὅμορόν τε οἰκοῦσι χώραν διοριζομένην τῷ Ῥήνῳ,

g) Lib. XIII. Geograph.

ῥήνῳ, ποταμῷ, καὶ παραπλήσια ἔχουσαν τὰ πλεῖστα. Gentes utrasque natura, forma, moribus, institutis, et uictu, similes, putat, atque hoc quidem propterea, quod easdem regiones, nec, nisi Rheno flumine, distinctas, incolerent, atque ita pleraque inter se communia haberent. *h*) Non tamen Galliam omnem intelligit, sed Belgicam, quam eo in loco perlustrat, qua ad Rhenum uergebat, et Germaniae populos habebat uicinos. *i*) Quanquam nulla Druidum mentio fiat, tamen Strabonis testimonio propterea hic utor, quod eo in libro, et extremo fere capite, cognationem Gallorum et Germanorum, ac finitimorum quidem eorum, persequitur, quin ipsos Gallorum Druidas et Bardos, quos iis in regionibus consedisse, hinc coniectura assequimur, attingit, doctrinamque, mores et instituta perscribit.

CAPVT XVI

Persequar nunc singula, quae de *Druidum* apud *Gallos*, quae de *Sacerdotum* apud *Germanos*, doctrina et institutis superant, ut coniecturam, quam cepi ego quidem, argumentis confirmem, aliis dissentiendi libertate relicta. Quamuis uideam, cl. bibliothecae Halensis auctorem, parte duodeuicesima consensum hic agnouisse simul, atque

 optasse,

h) Lib. IV. Geograph. et Lib. VII. in principio.
i) Caesar Bel. Gal. L. I, c. I.

optasse, ut pluribus demonstraretur. Gallorum Druides religionis ac reipublicae negotia curauisse, controuersias diremisse, et, si qua caedes facta, poenas constituisse, accepimus, atque auctoritate in republica omnes superasse. Erat eadem sacerdotum apud Germanos auctoritas, et tanta reuerentia, ut omnia ad eos deferrentur. *Neque animaduertere*, ut scribit Tacitus, *neque uincire, neque uerberare quidem, nisi sacerdotibus, permissum, non quasi in poenam, nec ducis iussu, sed uelut DEO imperante, quem adesse bellantibus, credunt, effigiesque, et signa quaedam detracta lucis, in praelium ferunt.* *k*) Eandem fere bello auctoritatem Mulierum ac Virginum sacrarum fuisse, paullo post patebit. Itemque, *Si publice consulatur, sacerdos ciuitatis - - precatur Deos*, et auspicii euentum fortunatum explorat. Ac sacerdotes quidem se ministros Deorum, diserte profitebantur. *l*) In conciliis, quibus de reipublicae negotiis deliberabant, silentium sacerdotes imperabant, et, siqui imperata facere recusarent, simul coercendi ius habebant. *m*) Gallorum Druides in lucis sacrificia procurasse, suspicione, et coniectura docuimus, clariora sunt, quae sacerdotibus Germanorum Tacitus commemorat, quando Deos parietibus includi, alienum ab

k) De Mor. Germ. c. VII.
l) c. X.
m) c. XI.

ab illorum ui ac potentia, existimabant, atque eius rei causa lucos et nemora consecrabant, in quibus pariter, de religionis et reipublicae negotiis tractaturi, certo statutoque tempore conueniebant, sacerdotes uero in primis Deorum mysteria, quemadmodum Gallorum illi, seuerius custodiebant, lucumque, sedem Deorum, sanctum inuiolatumque tuebantur ac defendebant, in eumque ingressuris Deorum animos expiare sacrificiis necesse erat. *n*) Satis perspicue Helmoldus de Slauis, auctoritate sacerdotem Rege superiorem fuisse, maiorique ueneratione cultum, testatur, neque aditum, nisi sacerdoti, ad lucum patuisse, aliis tamen, eo duntaxat tempore, cum sacrificiis purgare animum uoluissent, non denegatum, prodit. *Ingressus atrii omnibus inhibitus, nisi sacerdoti tantum, et sacrificare uolentibus, uel, quos mortis urgebat periculum, his enim minime negabatur asylum. o*) Gallorum Druides ab sacris remouisse impios ac sceleratos, Caesar testis est, de Germanorum sacerdotibus idem refert Tacitus, atque, ignominiosis, interesse sacris et conciliis, non fuisse licitum, probat. *p*) Gallorum illi pro uictimis homines immolabant, immolabant etiam

n) Tacitus c. IX. et XXXIX.
o) Chron. L. I, c. LXXXIII.
p) C. VI. c. IX. cum quo conferas, uelim, caput XXXIX.

Germanorum. Mercurio certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habebant, Herculem atque Martem animalibus placabant *q*) In nonnullis etiam, quae ad funerum curationem pertinent, conuenisse cum Gallis, supra est demonstratum. De immortalitate animae utrum in literas quicquam fuerit relatum, non dicam, quemadmodum, Gallorum Druidas docuisse, accepimus, nisi quis ex sacrificiis, quae morituri etiam obtulerunt, colligere uelit, eo consilio sacrificasse homines, ut consulere Dii animae, et inposterum prospicere ne dedignarentur. Quod tamen, si coniectura inquirere uellemus, longius progredi quidem necesse esset, neque tamen obscuritate animum liberaremus. Gallorum illi, in re mathematica, uersati, *spatia omnis temporis, non numero dierum*, (ut Romani) *sed noctium finiebant, et dies natales, et mensium, et annorum, initia sic obseruabant, ut noctem dies subsequatur*, uti Caesar obseruauit. *r*) Eodem plane modo temporum rationes constituebant Germani, et, quod facile coniicio, sacerdotes in primis, qui omnia conficiebant, et rerum omnium maxime periti habebantur. Ita enimuero de eis Tacitus, *Nec dierum numerum, ut nos* (Romani) *sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt, nox ducere diem uidetur.*

q) Caesar B. G. L. VI, c. XV, Tacitus de M. G. c. IX.
r) B. G. L. VI, c. XVIII.

tur. s) Ceterum, Gallos illos, ne disciplina in uulgus efferretur, prohibuisse, docuimus, de Germanorum sacerdotibus docuerintne iuuenes, eos quidem, quos religionibus operam aliquando daturos cognouerant, non liquet, colligere tamen licet, quia, nisi eruditus antea et institutus mysteria curare potuit nemo. Postremo si placet, addimus hic, Gallorum Druidas Graecas literas intellexisse, ut supra demonstratum est, de Germanorum sacerdotibus sunt, qui, idem, putent, posse demonstrari. Eam in rem afferunt Taciti auctoritatem, quando, attamen dubie, refert, *monumenta et tumulos quosdam, Graecis literis inscriptos, in confinio Germaniae Rhetiaeque adhuc* (sua, scilicet Taciti, aetate) extare. *t*) Huc accedit ante Tacitum Caesaris de eisdem prope regionibus testimonium, quando in Heluetiorum castris tabulas, Graecis literis confectas, et conscriptas, refert. *u*) Sed, quia Historici illi, perpetuo consensu, literis Graecis tabulas, non Graeca lingua, editas, scribunt, interpretes magnopere in eis eruendis dissentiunt et laborant. Io. Auentinus. *x*) Cyr. Spangenbergius

s) De M. G. c. XI.

t) c. III.

u) B. G. l. I. c. XXIX.

x) Annal. Boii. L. I, f. m. XXXIX, ubi consensum quoque linguae Germanicae, speciatim Saxonicae cum Graeca, ostendit.

gius. y) Tabulas illas Germanicas origine, ſed literis Graecorum ſcriptas, arbitrantur. Cum Spangenbergio conſentit Paulus Hachenbergius. z) Sunt, qui ab Germanis Graios ueteres literas et linguam accepiſſe, magnopere contendunt, atque hinc ab eis diſſentiunt, qui doceant, per Druidas, uel quoſcunque alios Graecam linguam in Germaniam illatam. Cetera ex eis, quae adduxi et cauſis, ex ſcriptoribus antiquis allatis, probaui, ſuffectura, arbitror, ad ſimilitudinem, quae in doctrina de myſteriis Deorum et Philoſophia fuit, demonſtrandam.

CAPVT XVII

Venio denique ad *Virgines Germanorum Veſtales*, quas ſacrorum Antiſtitas fuiſſe, et Druidibus Gallorum non diſſimiles, coniicit Io. Brantius, cum Caeſarem illuſtrat, Germanos habere Druidas, negantem. Feminis *ineſſe ſanctum aliquid et prouidum*, putabant, atque hinc *conſilia earum non aſpernabantur aut reſponſa negligebant*, ſed in Numinis loco eas habebant, ut Tacitus refert, in his Velledam, Germanam natione, atque in Bructeris natam, ante hanc olim, *Auriniam*, et plures, quas qui-

y) Chronico Manſfeldico c. V, f. VIII. Cum his conſentit El. Schedius, et literas Graecis ſimiles habuiſſe, putat Syngram. II, c. XVIII, de Diis ueterum Germanorum.

z) In Germania aeui medii diſſ. VII, §. V.

quidem uenerabantur, et ſummo honore afficiebant, non tamen aſſentandi cauſa, *nec, tanquam facerent Deas. a)* Quamuis tamen, ut Tacitus iterum teſtis locuples, et uerus eſt, *augeſcente ſuperſtitione, pleraſque feminarum fatidicas, arbitrati ſint, deas*, in eis maxime Velledam, quae longe lateque imperauit, et auctoritate creuit, Germanisque res proſperas, et excidium legionum diuinitus praenunciauit. *b)* Confirmat id ipſum antiqua inſcriptio, in Gallia Belgica, ſpeciatim in agro ad Moſellam Mediomatricorum, reperta, atque ab Schurzfleiſchio ex Grutero repetita, quae eiusmodi eſt,

SILVANO
SACR.
ET NYMPHIS LOCI
ARETE DRVIS
ANTISTITA
SOMNO MONITA
D.

Druis, femina ſacerdos, cui nomen *Arete*, Graeca origine, fuit et celebris, quae per ſomnum monita, religionis ſuperſtitionem diuinitus reuelatam habuiſſe exiſtimatur. *c)*

LI-

a) De M. G. c. VIII.
b) Hiſt. L. IV, c. LXI.
c) De Druidibus §. VII.

LIBER II

DE STVDIIS VETERVM GERMANORVM.

CAPVT I

Obſcuriora ſunt, quae de doctrina, et bonarum artium ſtudiis, ſuperant ueſtigia, atque haec quidem in ſacerdotum poetarumque receſſibus quaerenda. Plura ſuppetunt de virtutibus Germanorum, et in ferendis laboribus patientia, teſtimonia, quam de ſtudiis, meritiſque in literis, ad poſteros propagandis, quoniam, perpetua et gentilitia laude, res gerere fortius, quam in literas et tabulas referre, memoriamque uirtutis ab interitu uindicare maluerunt. Quare ſyluas et nemora frequentius adibant, atque inter arma bellorumque ſtrepitus tempus et otium libentius conſumebant, quam ut, muſis humanioribus operam in ludo literario darent. Atque, in laborum duritie, materiam corporis exercendi ſe inueniſſe, putabant, iuueneſque adeo ad labores militiamque maturius praeparabant.

CAPVT

CAPVT II

Succedunt igitur in locum disciplinae politioris uirtutes, quas attingere strictim breuiterque, antequam de sapientiae studiis, horumque statoribus, exponamus, non a proposito diuersum plane, arbitramur. Primo hic loco commemoramus *uitae sanctitatem*, morumque innocentiam, quam sine lege, neque enim legem habebant, in tabulas relatam, defendebant, atque ita probabant omnibus, ut, uigere apud eos leges, exteri existimarent. Bonitati naturae acceptum referebant, et, Diis amorem atque obsequium, magistratui pietatem ac reuerentiam, aequalibus fidem beneuolentiamque tribui oportere, recte iudicio assequebantur. Vt Tacitus, in laudem Germanorum, profiteatur, plus apud eos bonos mores ualere, quam alibi bonae leges. *d*) Mores et instituta Romanorum tacite hoc ipso coarguit Tacitus, qui, legibus cumulati, sine legibus uiuerent, atque uitae innocentia ab hominibus, quos Romani barbaros putabant, uincerentur. Suo iam tempore C. Caesar, ex immensa diffusaque legum copia optima quaeque et necessaria, in paucissimos conferri libros, iussit. *e*) Manifesto indicio, homines, disciplina seueriori mitigatos, et legibus

d) De M. G. c. XIX.
e) Suetonius in Caio Caesare cap. XLIV.

bus in foro obrutos, neglexiſſe leges, quemadmodum noſtro ſeculo, quo corrumpere et corrumpi ſolenne eſt et uſitatum, ut Germanos, in Germania, legibus diſtincta, ingenuos quaeramus. Germani ueteres, libertatis auitae ſtudioſi, legibus aſtringi ſe, non patiebantur, licentiam tamen comprimebant. In reip. negotiis Numinis praeſidium praeferebant, et, de bello, ac pace, deliberaturi, auxilium eius implorabant, ut conſilia pro ſalute ciuium fortunaret. Sine Deorum auſpiciis, quae ſancta apud eos fuiſſe, recordamur, moliri aliquid, et conari, impium, et periculi plenum, putabatur. Decreta ſenatus populique conſenſu fiebant. *f*) In uicis et pagis ius reddebant, et ſuos cuique fines, intra quos ſe continerent, in annos ſingulos tribuebant, controuerſiaſque minuebant, uiri principes in concilio delecti. *g*)

CAPVT II

Erat laudabilis in educandis pueris cura, quos a primis annis *laboribus* aſſuefaciebant, in eiſque exercebant induſtrie, quibus uires ali, ac neruos confirmari, putabant, contra ea res, quibus remolleſcere, atque effeminari iuuenum animos, nouerant, arcebant, nec, importari in ſuas regiones, patiebantur.

f) **Tacitus c. XI. de M. G.**

g) **Idem c. XII.**

bantur. Quare uictu, qui ad duritiem ualet, utebantur agresti, lacte, caseo et carne, *b)* eaque, ut Mela addit, cruda, *i)* uino penitus abstinebant, eo ipso uires relanguescere, uirtutem remitti, atque animos molliores reddi, existimantes. *k)* Suo tamen aeuo Tacitus, eos, qui *ripae*, Rheno haud dubie, Danubio, aliisque fluminibus, *proximi* fuissent, *uinum mercatos*, tradit. *l)* Quae indicio sunt, non modo non coluisse tum Germanos uineas, sed etiam rarius importari, fuisse. Non uacat nunc, nec instituti patitur ratio, explorare tempus, quo Germani uineas condere coeperint, serius tamen, et multis post seculis factum, tradunt Io. Auentinus, Christoph. Lehmannus, ex eisque P. Hachenbergius in erudita de studiis ueterum Germanorum disputatione. *m)* Huc pertinet, quando, diu impuberes mansisse, Caesar atque Tacitus iterum consentiunt, et docent. *n)*

D   Capvt

b) Caesar B. G. l. IV, c. I, lib. VI, c. XXI.

i) De situ Orbis Lib. III, c. III.

k) Caesar lib. IV, c. II, confer. idem lib. I, c. I. et L. II, c. XV.

l) De M. G. c. XXIII.

m) §. XIV.

n) B. G. L. VI, c. XXI, Tac. de M. G. c. XVIII, XIX, et inprimis XX, ex sera iuuenum Venere inexhaustam pubertatem, probat.

CAPVT IV

Maximum uitae tempus consumebant *agricultura*, uenatione, et bello, quod magno consensu, tuentur scriptores, qui Germanos laudauerunt, et in uirtutibus numerant praecipuis, quibus alias gentes nationesque non aequauerunt modo, sed etiam uicerunt. Henr. Glareanus Caesarem erroris arguit, et, non conuenire sibi, autumat, cum libro IV, c. I, neque agriculturam ab Sueuis, de quibus speciatim exponit, intermitti, priuati tamen et separati agri apud eos nihil esse, asseuerat, alias uero et in primis libro VI, c. XXII, agriculturae non studere Germanos, generatim pronunciat, neque longius anno remanere in uno loco, scribit. Colligit et aliam dubitandi causam ex eo, quando, Sueuos oppida habuisse, memorat Caesar, quae tamen si alio demigrare necesse fuisset, tenere haud potuissent. Sed meminisse debebat Glareanus, Caesarem, cum oppida Germanis tribuit, ex suo Romanorum more loqui, attamen ciuitates, quae ex familiis coaluerant, siue, ut ipse historicus optime secum congruit, et scribit, quae ex gentibus cognationibusque coierant *o)* intelligit, non ignarus, nondum urbes habuisse. Quemadmodum nec pagos eo more, quo dein-

o) B. G. l. VI, c. XXII.

deinceps inter Germanos coeperunt nominari, habebant, ſed pagi, quos de Germanis hiſtorici melioris, iuxta ac medii, aeui afferunt, integras dioeceſes regioneſque complectebantur. Ac pagorum nomen latius, quam ciuitatum, patebat. Neque Caeſar negat, Germanos agros coluiſſe, ſicuti nec Strabo, qui Glareanum patrocinio tueri uidetur, quando diſerte, *μὴ γεωργεῖν*, ſcribit. Sed enim, ſi, quae refert, et addit Strabo, conferas cum eis, quae Caeſar de Germanis in commentarios retulit, intelliges fere, Strabonem hic Caeſarem auctorem praecipuum ſecutum. Ita enim pergit, *μηδὲ θησαυρίζειν, ἀλλ' ἐν καλυβίοις οἰκεῖν, ἐφήμερον ἔχουσι παρασκευὴν, τροφὴ δ' ἀπὸ τῶν θρεμμάτων ἡ πλείςη.* Neque enim *fructus*, ut interpres, auctore, quod ſuſpicor, Tacito, reddidit, recondunt, ſed in caſis humilibus, atque ad unam diem comparatis, habitant, cibum potiſſimum pecore conſtare, cetera, ita rem familiarem inſtruere, addit, ut, impoſitis in currus omnibus, quae moueri poſſent, rebus diſcedere ex priſtina ſede, aliamque, quam uellent, nouam deligere ualerent. *p*) Comparate igitur uterque Caeſar et Strabo de Germanis pronunciant ſententiam, horumque alter ſecum congruit, quando paullo poſt, quam, agriculturae non ſtuduiſſe, dixerat, ſubiicit, *neque quiſquam agri modum certum aut fines pro-*

 prios

p) Geograph. L. VII.

prios habet, sed magistratus, ac principes in annos singulos gentibus cognaiionibusque hominum, qui una coierant, (unam ciuitatem constituerant quidem, sed non urbes condiderant) *quantum eis, et quo loco uisum est, attribuunt agri, atque anno post alio transire, cogunt.* Omitto eius instituti causas, quas magistratus habuisse, historicus docet atque ad hunc locum delegare Caesarem lectores, Germanorum studiosos, arbitror, quando eodem adhuc libro, capite undetrigesimo, repetit, minime omnes *Germanos agriculturae studere*, de eisdem quidem Sueuis, de quibus supra accepimus. Perspicuo indicio, non omnem omnium, et praecipuam in agri cultura stetisse curam, sed tantum agri coluisse, quantum satis ad uictum, eumque annuum, existimauerunt. Atque ita Caesarem conciliant, nostra quidem sententia, rectius, et conuenientius, Io. Glandorpius, Franciscus Hotomannus, interpretes, et Paulus Hachenbergius de Studiis ueterum Germanorum. *q*) Atque, ut plane constet, Caesarem non pugnare secum, Hottomannus, uocabulum *omnes* capite XX excidisse, putat, idque coniicit ex repetitis cap. XXIX uerbis. Maior certe erat cupiditas belli gerendi, quam agri colendi, quod patet et manifestum ex Tacito est, qui perspicue loquitur, et testis uerissimus grauissimusque habetur, *Nec arare*, ait

q) Disp. VI. §. XIV.

ait ille, *terram, aut expectare annum, tam facile persuaseris, quam uocare hostes, et uulnera mereri. Pigrum quin immo et iners uidetur, sudore acquirere, quod possis sanguine parare.* Itemque, *Agri, pro numero cultorum, ab uniuersis per uices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur, facilitatem partiendi camporum spatia praestant. Arua per annos mutant, et superest ager.* r)

CAPVT V

De studio *uenationis* plura suppetunt testimonia, quam, colligere hic, sit necesse. Persas Germani imitabantur, quibus fortiter uenari, summa laus erat. *s*) Nec deerat occasio in terra, ut Tacitus loquitur, syluis horrida, ferarumque in uictu magnus quotidie erat usus. Caesar, uitam omnem constitisse ea in exercitatione, iterum affirmat. *t*) Tacitum, cum negare uidetur, Lipsius, Pichenna, Cluuerius, Conringius, Kirchmaierus, Hachenbergius negandi particula remota, cum Caesare conciliare laborant. *u*)

r) De M. G. c. XIV, XXVI. et XLVI.

s) C. Nepos in uita Alcibiad. c. XI.

t) L. VI, c. XXI.

u) Cap. XV, ad quod caput Vide Kirchmaierum, ex eoque Vetterum, conf. c. XLVI.

CAPVT VI

De studiis *rei militaris* in uulgus notum est, Germanos superasse gentes fere omnes, eamque laudem ultro eis deferunt scriptores exteri, et res bello praeclare gestas certatim laudant. Atque hinc, cum armis ualerent, finitimos lacessebant bello, finibusque expellebant, atque, ut proferrent suos, in remotissimas terras irruptione facta, terrorem iniiciebant ferocissimis nationibus, sedesque deligebant sibi, uicos et urbes, quin immo regna, occupabant.

CAPVT VII

Certum est, et exploratum, Martis ope musas floruisse, et literarum studia incrementa maxima cepisse. Longum nimis foret, enarrare omnia, quae de migrationibus Graecorum, aliarumque gentium, supersunt. Illud tamen addere hoc in loco uisum est, nec ab instituto alienum, quando Caesar Vbios propterea humaniores appellat, quod Rhenum, flumen, incoluerint, commerciisque importatis uti citius consuerint. *x*) Sua profecto mercatoribus relinquitur dignitas, quorum ope et auxilio amplificantur literae, quum exteras remotissimasque terras adeunt, et bonarum artium instrumenta ex illis in patriam

x) Plura collegit Hachenbergius Disp. VI, §. XV.

patriam important. Ac florentiſſimae illae ſunt ciuitates, liberaliuſque muſis humanioribus patrocinium ſtatuitur, in quibus florent commercia, quorum praeſidio humanitas, et uitae cultioris conſuetudo teguntur.

CAPVT VIII

Vtriuſque beneficio, *belli* iuxta, atque *mercaturae* literas in Germaniam delatas, crediderim, quando autem ſedem in ea primam fixerint, nemo definit. De Druidibus Gallorum ſupra diximus, tradidiſſe eos in lucis ingenuas artes, atque literas iuuenes docuiſſe. Tametſi obſcure, quas quiſque docuerit ornaueritque artes, referat Caeſar, tamen, quia uni illi ſapientiae atque humanitatis omnis magiſtri erant, et in omni eruditionis genere uerſati, dubium non eſt, per ampliſſimum diſciplinae liberalis campum, iuuenes manu duxiſſe eos. Quanquam de docendi ratione nihil prodiderit memoriae, tamen, quia de doctrina Druidum ipſorummet ex inſtituto agit, facile eſt intellectu, eaſdem quoque diſciplinas in ſcholis propoſuiſſe ſuis. Praeter cetera illud enunciauit C. Caeſar, adoleſcentes *magnum* ibi *numerum uerſuum* edidiciſſe. *y*) Sed, quia Druides

 diſci-

y) B. G. l. VI, c. XIV.

disciplinam arctius custodiuerunt, nec, in uulgus efferri, sunt passi, latet omnino, quales illi fuerint uersus. Franc. Hottomannus, non carmina, sed ambitus orationis, intellexisse Caesarem, opinatur. Sed, si Strabonem, qui non multo post tempore uixit, et in multis Caesarem sequitur, in consilium aduocamus, carmina fuisse, utique constabit. Strabo enim distincte de Gallorum doctoribus et sacerdotibus libro IV ad extremum commentatur, et, quod Caesar Druidibus generatim tribuit, tribuit ille Bardis, Gallorum poetis. Triplex hominum genus, apud Belgas speciatim, in honore fuisse, scribit, qui fuerint Βάρδοι, Ὀυάτεις καὶ Δρυΐδαι, *Bardi*, *Vates*, *ac Druides*. *Bardos* uocat ὑμνητὰς καὶ ποιητὰς qui poetae essent, et carmina canerent, *Vates* sacrificia curarent, et rerum naturam interpretarentur, *Druides* uero, praeterquam, quod Φυσιολογίαν cum Vatibus illustrarent, doctrinam, quae de moribus emendandis praecipit, explanarent, et sacris semper praeessent. Quae de Bardis ex Strabone docuimus, confirmant Posidonius, quo teste etiam Strabo utitur, tum Diodorus Siculus, quorum testimonia ad Ammianum Marcellinum recitat Henr. Valesius, explanator. Ipse A. Marcellinus *Bardos*, *Eubages* (qui Vates haud dubie sunt, quorum nomen corrupte pronunciauerunt posteri, quamuis alii in Strabone Ὀυάγεις legant)

legant) et *Druidas*, affert, Bardosque, *fortia uirorum illustrium facta, heroicis composita uersibus, cum dulcibus lyrae modulis cantitasse*, probat, z) reliqua, quae de Euhagibus et Druidibus expromit, plane consentiunt cum sententia Strabonis. Merito tamen in dubium hic uocat Henr. Valesius, quando Ammianus, carmine heroo laudes cecinisse Bardos, scribit, et, nullius id scriptoris uetusti auctoritate confici posse, monet. Sed, quas de discrimine alii coniecturas proferunt, facilius excitantur, quam probari queant.

CAPVT IX

Ex Belgio in Germaniam illam, quae finitima erat, successisse, dubium amplius non est. Suspicionis uestigium superesse in Tacito uidetur. Primum enim ille *carminum antiquorum* meminit, atque hoc *unum* apud Germanos *memoriae et annalium esse genus*, palam profitetur. a) Similiter, atque de primis Romanae historiae testibus auctoribusque ex Liuio est supra demonstratum. His celebrasse Deum Tuisconem, addit historicus, fide et memoria antiquissimus, quae indicant, poetarum nomen fuisse eximium, atque doctrinam non uulgarem, quod non nemini est persuasum. Eisdem carminibus

z) L. XV, c. IX.
a) D. M. G. c. II.

nibus Herculis, primi omnium, qui fortitudine clarissimi erant, gratiam, in proelium ituri, sibi conciliabant, nouo iterum documento, magnum apud Germanos poetarum illorum fuisse honorem, et dignitatem, quando prosperum fortunatumque rerum in bello gerendarum successum, eorum auspiciis, ab Diis precati sunt. Non sine causa poetas suspexerunt ac honore summo affecerunt, Germani, alias iterum gentes secuti. Constat enim, apud Graecos pariter, ac Romanos, eximiam fuisse poetarum opinionem, ob artem, quam diuinitus allatam, praedicabant, poetaeque ipsi diuino quodam spiritu agitari credebantur, ut sanctum Ennius nomen poetae celebraret, et ueneratione dignum barbaris etiam omni asseueratione affirmaret. Ab illis carminibus distincta indicat, quae mox addit, *Sunt illis*, inquiens, *haec quoque carmina, quorum relatu, quem BARRITVM* (alii *barditum* clarius, ut Bardos habuisse carmina auctores uideantur, alii *blarritum*, alii *barritum*, legunt) uocant, *accendunt animos futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur: terrent enim trepidantue, prout sonuit acies, nec tam uoces illae, quam uirtutis concentus uidentur. Affectatur praecipue asperitas soni, et fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior et grauior uox repercussa intumescat.* *b*) En exigua, et rudia musices Germanorum

b) c. III.

rum primordia, quae Tacitus, exterus tamen ſcriptor ille, primum de Germanorum ſymphoniacis annotauit. Ex quibus tamen coniicere uelim, Bardorum iſtorum, quoniam alias inclinare iam tum uidebantur, doctrinam laudem ueterum, de quibus Caeſar exponit, non aequaſſe, ſed ab maiorum, ſiquidem, ex Gallia ueniſſe, ſtatuamus, uirtute receſſiſſe, in ea cum primis natione, quae literas nec dum attigerat, ſed, in ſyluis, armorumque ſtrepitu, etiamnum occupata, diſciplinae elegantioris cultum auerſaretur. Carolum M. ſcribit Eginhardus in uita eius, *barbara et antiquiſſima carmina, quibus ueterum regum actus, et bella canebantur, ſcripſiſſe* (deſcripſiſſe eadem, antiquitus confecta et in uulgus edita) *memoriaeque mandauiſſe.* c) Atque huiuſmodi fuiſſe carmina, quae Bardi, poetae, cecinerunt, facile ex eis uerbis coniectura aſſequi licet. Ceterum multa de Bardorum gente ac nomine contra Alb. Cranzium affert Henr. Meibomius, et origine Germanicum, ſpeciatim Saxonicum probat, monet tamen ab Gallorum Bardis eſſe diſtinctum. d) Sapienter eo quidem in loco addit, ſiquidem fides uerſuum, quos recitat, certa ſit, Bardeuicum, Saxoniae antiquae illius oppidum peruetuſtum, Anno ante

c) p. XI. Tomo Reuberiano.

d) In Hiſtoria Bardeuici, T. III, ſcript. Germ. p. LV, et ſeq.

ante Chriſtum natum ıↄ cccc xc extrui coepiſſe. Vehementer igitur fallit Petrus Lindenbergius, eruditus cetera, et de patria praeclare meritus ciuis, quando ab eis Bardis, quos ex Strabone commemorauimus, Bardeuicum iſtud, ex inſcriptione templi, quae ſine dubio recentior eſt, et conditum, et appellatum fuiſſe, credit. *e)* Originem urbium cum ignorabant monachi, antiquiorem, quam ueritas ſinit, mentiebantur.

CAPVT X

Pomp. Mela, quando Galliae illam partem perſcribit, quae Belgica dicebatur, et Rhenum, adeoque Germaniam ipſam, attingebat, non modo eam lucis immanibus amoenam uocat, et, immanitatis, ſua iam aetate abolitae, ueſtigia ſupereſſe, memorat, quando necdum ab caedibus ſe temperarent, quin homines etiam uictimis obtruncarent, ſed et *facundiam* habere ſuam, auctoribus Druidibus, palam profitetur eo, quem ſupra adduximus, loco. Habuiſſe conſtat, belli duces eloquentiam, ac ualuiſſe auctoritate perſuadendi, qua, de belli pacisque negotiis ſententiam pronunciaturi, plebis imperitae animos mouere, fidemque rei firmare, pro

e) Chron. Roſtochienſi L. I, c. VIII. p. XXXVI.

pro uiribus, elaborabant. *f*) Vtcunque ſit, certum eſt, eloquentiam illam, et uocis commendationem, non ſatiſſacturam fuiſſe exquiſitis eloquentiae iudicibus et magiſtris. De Germanorum uero eruditione uniuerſe et generatim ſententiam ferunt multi ex uerbis, non uero ſententia, Taciti, quando is, *literarum*, ait, *ſecreta uiri pariter ac feminae ignorant* *g*) ex quibus barbariem certo conſtare, arbitrantur. Tacitus uero, ne quid commemorem nunc, et repetam de ſacerdotum arcana diſciplina, eo in capite de Germanorum continentia et pudicitiae laude, quae ſingularis erat, exponit, adeoque non ſeparatim de Germanorum doctrina agit, ut in ſuſpicionem ipſe ueniam, et cum Lipſio, Kulpiſio atque Verlhoffio, exiſtimem, Tacitum hic ſcribendi notitiam, qua feminae allici et allicere poſſent, in uulgo intelligere ſimul, atque improbare. Quamuis igitur de plebe haec accipiamus, tamen, neminem literis politum, atque diſciplina clarum, in Germanis fuiſſe, hinc iudicari non licet. *h*) Ceterum, quia neque Tacitus quidem, qui tamen non omiſſurus laudem eruditionis fuiſſet, nihil memoria dignum in literas retulit, neque quiſquam, qui, patriae

f) Tacitus de M. G. c. XI.
g) c. XIX.
h) Reimannus Introd. in Hiſtor. liter. L. II, p. XXII.

triae ſtudioſus, praeter exteros, res memorabiles notauerit, uel aliqua ſaltem diſciplina floruerit, celebratur, et bello omnis gloriae cupiditas continebatur, non eſt, cur, de Germanorum ueterum, in re literaria, meritis adeo ſolliciti, amplius tempus ſuſpicionibus perdamus.

CAPVT XI

De primordiis linguae Germanorum eadem eſt inter eruditos contentio, quae eſt de origine Germanorum ipſa. Germanos eſſe indigenas, credidit Tacitus, alii negant, atque ex Aſia deducunt, alii rident, et Tacitum defendunt. Sed defendant, rideant, contendant. Quemque hic, patimur, ſuo facile ingenio abundare. Sentire libere liceat, Germanos eandem cum reliquis naſcendi ſortem habuiſſe, Germanos migrationibus aſſuetos. De Taciti aetate concedimus, indigenas fuiſſe, de antiquiſſimis retro temporibus ſententiam nemo pronunciauit. Modo ne ad fabulas dilabamur. Ludere enim nominibus urbium, regionumque, in re graui et ſeria, non licet. Linguae auſpicia pari migratione deducunt ex peregrina natione. Cognatio cum Graeca, cum Romanis et aliis, intercedit. Vnde ex noſtrate Grae-

Graecam multi, multi ex Graeca noſtratem ducunt. Itaque decertant, nemo iudicio antiquitatis, quod deſideratur, controuerſiam definire audet. Litem ducunt, cauſas origineſque aliter, niſi ex conſenſu utriuſque perquirere non poſſint. Graecis uſos literis certum eſt. De Heluetiis probat C. Caeſar. Sed enim hic diffident interpretes et haerent. De Auentino, Cyr. Spangenbergio et Hachenbergio ſupra eſt dictum. *i*) Tacitus, quae de monumentis et tumulis Graecis ſuo extitiſſe tempore, fama accepit, nec affirmare, nec refellere, audet. Suppetit mihi ex Andrea Angelo quaedam inſcriptio, in Hermunduris reperta, non literis, ſed lingua Graeca, confecta. Sed multis de cauſis ſuſpecta mihi eſt, quare omitto. In Galliam, nominatim Maſſiliam, per Phocaeenſes, ex Ionia profectos, Graecas literas, et bonarum artium ſtudia delata, memorant, et laudant Scriptores Maſſiliam, muſarum ſedem. *k*) Inde per Galliam omnem propagatae literae, atque ad Celtas profectae. Per Celtas autem intelligunt Germanos, Gallos, Hiſpanos, Britannos, Illyricos, et unam eis linguam fuiſſe, docent Phil. Clu-

i) c. XVI, Libri I.

k) Liu. L. V, c. XXXIV, et Io. Fr. Gronouius ad h. l.

Cluuerius aliique.. *l*) Accidisse eam migrationem Phocaeensium, Tarquinio Prisco apud Romanos regnante, referunt. Vnde, *non miror*, inquit Georg. Casp. Kirchmaierus ad cap. III. Taciti, *quas miratus est Iulius Caesar in Heluetiorum castris, Graecis literis conscriptas, tabulas.* Atque iterum, *Iam et nemo amplius miretur causam, cur prae reliquis linguis omnibus tantam cum Graeca affinitatem habeat Germanica.* Hachenbergius *Primum*, ait, *per Graecos Germanica lingua maxime corrupta et simul polluta fuit, dum tanto successu sermo Graecorum in Europam Celticam incubuit, ut non solum ab iis plurima uocabula acceperint Germani, sed et literis Graecis in publicis priuatisque rationibus usi fuerunt.* Respicit ad uerba simul C. Caesaris de Bello Gal. L. VI, c. XIV. Miror autem, doctissimum Hachenbergium sententiam illam probare, quae Graecos in Saxoniam demigrasse, praefert ab eruditissimis iam pridem explosam. Atque ex diplomate Caroli M., Latinis quidem, attamen Graecis similimis, literis scripto, quod Ratisponae uidit Auentinus, colligunt, Graecas literas in sermonem R. et Germanicum immigrasse. Vtcunque sit, certum mihi exploratumque est, migrationes gentium, et musarum sedes turbasse, et linguam corripuisse. Romani, Gothi, Saraceni, Franci, Hunni, Normanni, Vngari, aliam ex alia uicissi-

l) Cluuer. L. I. Germ. Antiq. c. VI. VII, VIII, IX.

uiciſſitudinem imperabant. Ac, progreſſu temporis, lingua Germanorum, his commutationibus, commutata ipſa eſt, quae et ex aliis gentibus admiſit deinde uoces peregrinas. Conſentiunt mecum uiri literatiſſimi, Beatus Rhenanus, Iuſtus Lipſius, Ger. Io. Voſſius, Chriſtophorus Lehmannus, Paulus Hachenbergius, B. Caſp. Kirchmaierus, aliique complures. Romani enim, ut de his tantummodo commemorem, ex quo prouincias ad Danubium et Rhenum acquiſiuerunt, linguam, et per hanc mores et inſtituta Quiritium, felicius proponebant. Sed, cum linguam, quam deuictis imponebant Romani, aſpere pronunciarent, iam tum inclinantem, lingua *prouincialis*, uel potius ruſtica et agreſtis pullulare coepit, et eo nomine ab cultiore illa, atque inter Romanos olim uſitata, diſtingui. Ex quo autem Germani per Francos iterum emergerent, prouincialem iſtam plebi relinquebant, patriamque linguam, multo tamen labore, ut infra demonſtrabitur ex Lipſio, reuocabant. *m*)

m) V. Lipſius Cent. III, Epiſt. XLIV, Lehmannus Chron. Spirenſi, L. II, c. XLV, Hachenbergius dicto loco, qui ex inſtituto pluribus de linguae Germanicae origine et fatis exponit. Caſp. Caluoerius Saxon. gent. et Chriſt. P. I, L. II, c. VII, §. CCVII. Burcardus de Fatis Lat. ling. c. II.

PARS II
DE
REBVS CHRISTIANORVM SACRIS ATQVE DOCTRINAE POLITIORIS

LIBER I
DE
AVSPICIIS RELIGIONIS CHRISTIANAE.

CAPVT I

Rara ſunt hiſtoricorum noſtrae gentis, qui fidem mereantur, teſtimonia de ſacrorum in Germania emendatione, propterea, quod diu perſtitit ſuperſtitioſus Deorum profanorum cultus, qui in animis hominum diuturnos receſſus habebat, et infixus erat penitus, ut euelli non paterentur, ſed pro eorum, qui numen ac uim Deorum immortalium tenebant, aris ac focis effundere ſanguinem, quam nuncium remittere, mallent. Quam-

Quamuis uero de Primordiis uerae religionis, ut erant exigua illa, non multa in tabulas relata, et, quae extant, antiquitate sint recentiora, tamen, famam ad Germanos quoque de Christo peruenisse, dubitatio nulla est, quandoquidem mercatores eas potissimum regiones adibant, quas homines, mansuetudine mitigati, incolebant, per quos artes atque literas, ita religionem, quae diuinitus allata est, facilius posse propagari, paullo ante est dictum. Accedebat, quod Christi Seruatoris discipuli, ac ueritatis coelestis nuncii, quos dimittebat ille, in prouinciis Germaniae finitimis semina doctrinae salutaris spargebant, et miraculis, quae, diuinitus adiuti, edebant, confirmabant. Multa sunt, quae de *Materno* et *Egisto*, a D. Petro, *Apostolo*, in Germaniam missis, referunt, attamen dubia et incerta, Henricus Herfordiensis, Monachus ordinis Dominicani apud Mindenses, Seculo XIV, quem testem eius rei primum affert Henricus Meibomius, tum auctor *Topologiae Ebersheimensis*, uel Nouientensis, coenobii, quorum alter, Maternum ad Treuiros uenisse, docet, alter contra in trans-Alpinas Germaniae regiones hunc ipsum, cum Euchario et Valerio, missum, commemorat, atque Alsatos ad Christi sacra traduxisse, et templum diuo Petro dedicasse, ex *Legenda Arbogasti*, pro-

bat. *a*) Egiſtum uero, *Mariano*, comite itineris ac doctrinae, Bardeuicum, antiquiſſimum Saxoniae oppidum, quod Henricus Leo deſtruxit, ueniſſe, atque cum ſocio uitam hoſtibus immolaſſe, tumulo in diui Petri templo, ignoto tamen loco, illatum. Albertus Cranzius, quamuis Egiſti nomen non addat, eundem tamen indicat, atque ex fama, (in annales enim nihil relatum de eo ſe reperiſſe, meminit) per annos mille et amplius ſepulcrum eius oſtenſum, memorat, uſque dum Henricus Leo, urbe capta, oſſa Egiſti Canuto, Daniae regi, oppugnationis ſocio, pro praemio dediſſet. *b*) Contra VVernerus Roleuinccius anno cIↄ cccc LXXXIIX, ac ſuo adeo tempore, Bardeuici reliquias eius demonſtratas, aſſeuerat. *c*) Aliter iterum auctor libri, qui in templo urbis ex ſeculo XIII ſupereſt, docet, et Epiſcopatum inſtituiſſe ibi, et placide deceſſiſſe, tradit. Quae non conueniunt cum eis, quae ex Henrico Herfordienſi, et Alberto Cranzio, accepimus, quemadmodum nec iſtud, quando, Maternum apud Treuiros, occiſum et ſepultum, ſcribit, alter uero ille, cuius

a) V. Monachus Benedictinus in Fundat. Monaſteriorum Germaniae quorundam p. CCXCII ſeq. ed. Mader. idem ex Rhenano memorat Paulus Hachenbergius Diſſert. VIII de Relig. Chriſt. §. I.

b) In Metrop. L. I. c. I.

c) L. I. c. III. de laude ueteris Saxoniae.

ius ante facta est mentio, febri correptum, statur. Ne quid addam de Mariano, quem, mpore Caroli M., atque ita multis post culis, cum Vithaldo, eis in terris, uerbum ocuisse diuinum, contra Henricum Herordiensem Schloepkius, ex eoque Caluoeius, *d)* demonstrant. Quae tametsi, dissensu scriptorum, eorundemque nouissimoum, dubia uideantur, non tamen omnino n dubium uocare, aut inficiari nolim, quia n Germania, trans rhenum maturius, quam in Germania ueteri et cisrhenana, itemque in Rhaetia et Norico, explenduit lux coelestis doctrinae, et uel belli, uel commerciorum, commutatione citius eo est delata. Atque inter nobilissimas Germaniae illius ecclesias numerant Moguntinam, Treuirensem, Vormatiensem, Coloniensem, Tungrensem, Argentoratensem, Iuuauiensem, ab Alemannis tamen, qui superstitioni litabant seuerius, uastatione corruptas, et incendio deletas. *e)*

d) Schloepkius in Chronico Bardeuicensi, Caluoerius in Saxon. gent. & Christ. P. II, L. I, c. III, p. CXX, seq. cetera uide imprimis Meibomium in Historia Bardeuici, T. III, Script. Germ. p. LVII, seq. et ex Meibomio Bangertum ad L. IV, Chron. Slau. Arnoldi c. II.

e) v. Paulus Hachenbergius Germ. aeui medii Disput. VIII de Relig. Christ. §. II, p. CCVIII.

CAPVT II

Auſpicio tamen Clodouaei M. Francorum regis, ſeculo V et VI rem ſacram in Germania inſignem habuiſſe mutationem, propterea nolim dubitare, quod rex idem ſacris Chriſtianorum, deuictis auſpicato ad Tulpiacum, in Vbiis, Alemannis, quod anno, poſt natalem Seruatoris, quadringenteſimo, nonageſimo ſexto accidit, initiatus, animum ad amplificandum Numinis diuini cultum adiecit, conditiſque templis, atque aedibus ſacris, Chriſtianorum fines protulit, atque in fide, quam Chriſto dederant, continuit prouide, ac ſapienter confirmauit. Pluribus id ipſum commemorat teſtis antiquiſſimus, et primus, ex gente Francorum, hiſtoricus Chriſtianus, Gregorius Turonenſis, occaſionemque et cauſam, qua impulſus animum, religionemque profanam mutauerit, pluribus patefecit, *Regina*, (Clothildis, feminae, Chriſtianorum ſacris addictae) inquiens, *non ceſſabat praedicare, ut Deum uerum cognoſceret, et idola negligeret, ſed nullo modo ad haec credenda poterat commoueri, donec tandem aliquando bellum contra Alemannos commoueretur, in quo compulſus eſt confiteri neceſſitate, quod prius uoluntate negauerat. Factum eſt autem, ut, confligente utroque exercitu, uehementer caederentur, atque exercitus Chlodouechi ualde ad internecionem ruere coepit. Quod ille uidens, eleuatis ad*

coetum

coetum oculis, compunctus corde, commotus in lacrymis ait, JEsu Christe, quem Chlotildis praedicat esse filium DEI uiui, qui dare auxilium laborantibus, uictoriamque in te sperantibus tribuere dignaris, tuae opis gloriam deuotus efflagito, ut, si mihi uictoriam super hos hostes indulseris et expertus fuero illam uirtutem, quam de te populus, tuo nomini dicatus, probasse praedicat, credam tibi, et in nomine tuo baptizer. Inuocaui enim Deos meos, sed, ut experior, elongati ab auxilio meo, unde credo, eos nullius esse potestatis praeditos, quia sibi obedientibus non occurrunt. Te nunc inuoco, et tibi credere desidero, tantum, ut eruar ab aduersariis meis. Cumque haec diceret, Alemanni, terga uertentes, in fugam labi coeperunt, cumque regem suum cernerent interemptum, Chlodouechi se ditionibus subdunt. f) Regis, ut assolet, exemplum secuti, Franci, numero complures, sacro fonte in familiam Christi, et nomen Christianorum, cooptari coeperunt. Rex, ut per Franciam emendandae religionis curam suscipiebat, ita per Alemanniam, quam sub suam redegerat potestatem, eandem emendationem instituisse, et religionis Christianae socios iuuisse ope sua, beneficiisque, ut alias, locupletasse, suspicari uel maxime licet.

f) Hist. L. II, c. XXX. Singulari industria egit Cl. Petr. Iaenichius, pereruditа, cum Vitembergae uiueret, disputatione de Clodouaeo M., primo inter Francos rege Christiano, A. cIↃ IↃCCIV, ante hunc C. S. Schurzfleischius disp. V, §. XVI, p. XI, de antiqua Francia.

licet. Suspicionem illam tuetur consensu, et suffragio quidem suo, Barthol. Schobingerus, IC., cuius uerba addimus, quando scribit, *Clodoueus, a Remigio baptizatus, non defuit monachismo, qui et in Alemannia, a se deuicta, et magna parte in seruitutem redacta, propagandae gratia religionis, monasteria instituit, domos scilicet, in quibus, regiis donationibus, fouebantur, qui uerbo Domini rudes illas et feras gentes ad fidem Christi cohortabantur. Sub hoc enim Principe duo monasteria, unum apud Turegum, alterum apud Lucernam, Wichardo et Ruperto, fratribus, Ducibus Alemanniae, seu Sueuiae, fundata sunt, omnium, quod sciam, Alemannicorum monasteriorum uetustissima, circa annum Domini IↃII.* g) Pleraque tamen, quae de primordiis emendatae tum temporis religionis occurrunt uestigia, ita obscura sunt, ut animum dubio non liberent, quoniam testes fuerunt monachi, ut eruditione, ita studio conseruandae antiquitatis uerae, non magnopere ex primis Germaniae sacrae temporibus, commendati. D. Emerani, ad seculum VII, Pictauiensium Antistitis, qui, Bauaris ueritatem coelestem patefacturus, martyrium subiit, Ratisponae in sacrario, quod martyris huius nomine clarum est, humatus, meminit ex magistri Conradi *de monte puellarum Chronico* Andreas, Presbyter Ratisponensis, ad annum IↃLII.

g) in Additamentis ad Ioach. Vadianum T. III Rerum Alemann. Goldasti, p. LXXXII.

ↃↃLII. *b*) Quae tamen tum temporis conditio ecclesiae Ratisponensis fuerit, Andreas, se non potuisse inuestigare, simul fatetur. Pari modo multorum opera, quam pro defendenda juxta, atque proferenda salutari doctrina susceperunt, inanis fuit, et irrita, uirique, religionis ardore incensi, in martyrum numerum saepius relati. Et constat sane, primis illis, ab Christo nato, seculis non famam modo ueri Numinis, sed ipsum eius cultum per uiros religiosos, et sacro ordini addictos, in regionibus, quae Danubio ac Rheno proximae sunt, percrebuisse quidem, attamen, crebris gentium irruptionibus, et migrationibus, addo et defectionibus, nunc afflicti grauiter homines sunt, nunc etiam oppressi. *i*) Ita radices egerat profanus Deorum cultus, ut nulla inde ratione ab eo deduci se paterentur. Ac maiori sane cura et industria tentata fuit emendatio sacrorum, quam felicitate perfecta. Maxime in Germania ueteri, in qua ante seculum VIII honos Christi exiguus erat, aut plane nullus. *k*)

CAPVT III

Florent, propter religionis amplificandae in Germania amorem, *Gallus*, qui Ale-

 mannis

b) Chronico Bauariae, sigillatim de Monasteriis Bauariae p. LXXIII, Tomo Schilteriano.

i) Ioach. Vadianus in prooemio ad Colleg. et Monast. Germ. Tom, III Goldasti.

k) Hachenberg. l. c.

mannis doctrinam coeleſtem annunciauit, *Heimerannius*, qui Bauaris, *Kilianus*, qui Francis, qua in Orientem uergunt, *VVillebrordus*, qui Freſonibus, omnes tamen ſuperauit *Vunefridus*, cui merita, in rem Germanorum ſacram maxima, *Bonifacii* cognomen impoſuerunt. *l*) Magno numero uiri, muneris dignitate ſummi, atque uita moribuſque ſancti, ex Britannia, Scotia, Hiberniaque, in Germaniam egreſſi, ſacram in ea doctrinam emendare, et, remotis Deorum ſimulacris, ueram de Deo ſententiam promulgare, atque Chriſti beneficia annunciare, ſuo licet uitae periculo, magno tamen ardore ac diligentia, annitebantur. Quae cum accuratius perpendimus, altiuſque repetimus, Germanos Britannis religionis incrementa in acceptis ſimul referre intelligimus, quando, diſciplina ſalutari citius mitigati illi, Germanis, ne expertes illius eſſent, ſalutem praeſentiſſimo uitae ſuae diſcrimine, annunciabant, et, tot hominum religioſorum iactura, necdum perterriti, amplificare Dei immortalis cultum et honorem, omni animi contentione, pergebant, feliciuſque, quam reliqui antea, propagabant. *Kilianus*, ut ex Scriptoribus uitae conſtat, ex Hibernia, quae maior Scotia deinde dici coepit, oriundus, ex Abbate praeſul

l) Adamus Bremenſis L. I, c. VII, et, qui hunc more ſuo liberius ſequitur, Albertus Stadenſis Chron. p. CLXXX.

ſul factus, et Vurceburgi, ad Moenum, conſtitutus, ſacri ordinis exiſtimationem, pietate et ardore religionis amplificabat inſigniter, et *fidei fundator* apud Francos Orientales ab Egilualdo nominatur. Atque hinc Francorum, ad Moenum fl., non Saxonum, uti nonnullis eſt perſuaſum, doctorem fuiſſe, Schurzfleiſchius docet. *m*) *VVillibrordum*, Freſonum doctorem primum, et praecipuum, commendat Hermannus Contractus, atque, ab Sergio, Pontifice, ſummo Antiſtitis honore, ac *Clementis* nomine, ornatum, ſalutari diſciplina Freſones imbuiſſe, uirtutibuſque famam auxiſſe, praedicat ad annum ıↄc xcv. *n*) Eodem tempore Angli duo, *Heualdi* ex ſacro ordine, Saxonibus coeleſtem doctrinam annunciaturi, ſanguine mox eam confirmarunt, auctore Pipino, Francorum rege Chriſtiano, Coloniae humati, et miraculis, uti quidem aetas haec Pontificiorum iam tum facile credidit, poſt mortem celebres, cuius rei teſtes ſunt locupletes, et fide digni, Beda Venerabilis, ex eoque Hermannus Contractus ad annum ıↄc xciv dicto ſupra loco. Ad Saxonas etiam penetraſſe nomen doctrinamque Chriſti, facile eſt intellectu, quandoquidem illi quidem, qui *Occidentales*, doctrinae cauſa, ut ab *Orien-*

m) In Stricturis Valdecciarum Antiquitatum, §. VI, qui plura, quae ad Kilianum pertinent, collegit.

n) p. CCXCII, Tomo Vrſtiſ. Aſſentitur Albertus, Abbas Stadenſis, ad hunc annum in Chronico, pag. CLXXVI, T. Schilteriano.

Orientalibus, et Cisueseranis distinguantur, dicuntur, Germaniae rhenanae, in qua mature sanctiorem doctrinam proponi coeptam, accepimus, finitimi erant, adeoque citius de meliori ac pio Numinis cultu certiores facti sunt, et in religionis Christianae disciplina instituti. Hermannus Contractus, anno iam tum ɪɔccv, diuum *Heddium*, Antistitem Saxonum Occidentalium, quos esse Vestphalos, atque ab Ostphalis, quos Cisueseranos diximus, distinctos, certum exploratumque est, uitam cum morte commutasse, coeptumque, in perficiendo religionis diuinae cultu atque opere, negotium prosecutos deinde *Danielem* et *Althelmum*, *Episcopos*, testatur. *o*) Honoris causa Episcopos nominat, licet sacerdotia eo nomine ac titulo, quo Carolus M. condidit deinceps et ornauit, Saxones illi nondum habuerint, conatum, quem in amplificanda, inter Saxones antiquos, Christi disciplina susceperant, laudaturus. Obscura ex temporum caligine monumenta sunt, et uel uetustate consumpta, uel in tenebris et situ iacent, quibus primordia doctrinae Christianae in iis regionibus, ante Caroli aetatem, cognoscere liceat.

CAPVT IV

V*unefridus*, siue, ut plerunque nominatur, *Bonifacius*, natione Britannus, qui, ut Ger-

o) Chron. p. CCXCIII.

rmanos Cisrhenanos ad mansuetudinem,
ae Christianos decet, traduxit, et seueriori
ciplina mitigauit, ita Germanorum *Apo-*
us appellari meritus est, non, quod pri-
is ille ad Germanos salutarem doctrinam
ulerit, quod ante eum fecisse alios, supra
epimus, sed, quod feliciori successu, quam
usque omnes, conatum perfecit, et ho-
nes ab immanitate ad humanitatem infle-
, ac saniori instituit doctrina. Primum
sones, at irrito conatu, adiit, post, ab
egorio II, Pontifice R., in proposito, quod
eruerat, confirmatus, ad Francos Orien-
es, Turingos et Hessos, conuersus, secun-
s fecit progressus, finitimosque populos
cultum saniorem inuitauit meritis, et do-
inae sanctitate mouit, ac, dimissis discipli-
e sacrae alumnis, conditisque sacerdotiis,
es rei Christianae protulit, atque Numi-
diuini gloriam amplificauit insigniter, et
xit, Antistitis Moguntinae ecclesiae titulo
extremum ornatus ipse, et Pontificia Gre-
rii III auctoritate confirmatus. Condito-
n eum memorant coenobiorum Fulden-
, et Frideslariensis ad Ederam fl., tum sa-
rdotiorum antiquissimorum, Vurcebur-
nsis et Eichstetensis, atque Fuldensi Stur-
onem, Abbatem, gente ac natione Bo-
n, Vurceburgensi Burcardum, Eichstetensi
ilibaldum, praesules, praefecisse ciues iti-
m suos, ex Anglia profectos, omnes reli-
gionis

gionis propugnandae cupiditate ſibi, aliiſque maximopere probatos. Addit his Schurzfleiſchius Erpheſphurdenſe apud Turingos, Buriburgenſe apud Heſſos, atque Idola, alterum in Heſſia, Ioui ſacrum, quod per quercum interpretati ſunt, alterum Stuffonis, in tractu Eichfeldenſi, ſimulacrum, euertiſſe, teſtatur. *p*) Poſtremo ad Freſones reuerſus, ferociam gentis mitigaturus, ſanguinem, pro honore Dei, ac religionis Chriſtianae gloria, profudit, ut adeo Freſones, ad extremum etiam aduerſarios, cum uitae iactura, adiret, quos, ex patria uix egreſſus, hoſtes concitatabat, atque, rebus infectis, deducere ad Chriſti cultum tentabat, finem propugnandae religionis, eadem in gente, qua primordia ceperat, faciens apud Doccingam, ſiue, ut hodie uocatur, Doccumum interemptus, Anno IↃCC LIV. *q*)

CAPVT

p) Annales regum Francorum ad Ann. IↃCCLXXIV, p. XXI Tomo Reuberiano. Monachus Egoliſmenſis in uita Caroli M. p. XLVIII, Tomo Schilteriano. Hermannus Contractus Chron. ad An. IↃCCXLIV, et XLVI, p. CCXCVI, ſeq., Albertus Stadenſis ad Annum IↃCCLV, quo uitam amiſit, p. CLXXX Tomo. Schilt. et Schurzfleiſchius de Valdeccia, §. VI, VII, VIII, IX.

q) Annales regum Francorum ad hunc annum p. XVI Tomo Reuber. Altfridus in uita S. Ludgeri, p. LXXXVI tomo I Leibnit. Adamus Bremenſis Hiſt. Eccl. L. I, c. IX. Hermannus Contractus p. CCXCVII.

CAPVT V

Bonifacio opem ferebant superstiti, disciplinae sacrae alumni, quos meliori uerbi diuini cognitione instituerat, et, obtruncato eo, propositum, eadem industria et pietate, peragebant, non commissuri, ut religio sanctior, quae incrementa, Dei prouidentia, ceperat, deficeret, ac uicissitudines tantas iterum, quantas antea, subiret. In his *Sturmio* fidelem doctori Bonifacio operam nauabat, atque Saxonibus, qua in occidentem uergebant, et Vestphaliam Angriamque complectebantur, coelestis doctrinae lucem praetulit, eosque in familiam Christi acciuit, et ita de re Saxonum sacra promeritus est, ut *Apostolus* eorum nominaretur. Annus, quo, ut calculum subduxit Schurzfleischius, in finibus illis sacrorum suscepit curam, seculi octaui secundus et septuagesimus est, eoque in negotio progressus felices uidit et habuit, usque ad annum undeoctogesimum, quo ex uita decessit Eresburgi, siue Merseburgi, ad Dimolam, quod, propter destructum ab Carolo M. Irminsulae idolum, omnium sermonibus scriptorum celebratur. Fr. Cornelius, auctor *Breuiarii* Fuldensis, maturius Sturmionem uenisse ad Saxonas, tradit, anno IↃCCLIV ab Carolo M. eo docendi causa missum. *r*) In Frisia Barbaros, post Bonifacium, coercuit,

r) p. CCCCXXV.

cuit, multosque ad humanitatem deduxit, *VVillebadus*, Britannus pariter, atque Bonifacio, ut nonnulli uolunt, cognatione coniunctus. Auspicio potissimum Caroli M. ueram de Deo sententiam Fresonibus proposuit, magnamque docendo fidem praestitit, et famam hinc meritorumque laudem consecutus, postremo ab imperatore Antistitis Bremensis, quod Henricus VVoltherus ex Anschario, qui uitam eius perscripsit, et tabulis Sacerdotii, repetiit, honore et dignitate ornatus. *s*)

CAPVT VI

ALberto Stadensi, uel primis rerum Coloniensium auctoribus monachis, fidem si quis uelit tribuere, animaduertat, seculo iam tum quarto, *reliquias*, Romanae superstitionis ritu ac similitudine, in Germaniam, cum primis ad Vbios Treurosque delatas, auctore quidem Agricio, Antiochenae ciuitatis praesule, qui ab Syluestro, Pontifice, ad Treuiros missus, una attulisset *tunicam et clauum Domini, dentem Petri atque sandalia Andreae, Apostolorum, et caput Cornelii.* addit Albertus Stadensis, Agricio successisse Maximinum, qui, Eufrate, Vbiorum antistite, propter haeresin,

s) in Chron. Bremensi in principio, p. XXI, seq. T. II Meibomiano. Adamus Bremensis, et Albertus Stadensis locis paullo ante dictis.

resin, remoto, Seuerinum substituisset. *t*) Illud certum mihi est, et exploratum, Bonifacium bene quidem de Germanis meritum, quando cisrhenanos ad mansuetudinem Christianam traduxit, attamen nec istud latet, Pontificum R. arrogantiam, et placita, Germanis, mox cum ipsa religione Christiana, seuerius commendasse, sacramento, Pontifici, antequam in Germaniam dimitteretur, obstrictum. Sacramenti formulam, qua fidem deuinxit, recitat Casp. Sagittarius in Turingia profana et Christiana, repetitque Cl. Casp. Caluoerius in Saxonia sua, ex quibus, quoniam supersunt haec monimenta, commemorare hic, superuacuum puto. *u*) Quantum iam tum sibi sumpserint Pontifices et Antistites, ex seculo octauo obscurum non est, et uel Pipini exemplo conficitur, qui, auctoritate Pontificis R., ex praefecto palatii, quem *maiorem domus* uocabant, rex factus, non regium solum nomen, sed potentiam quoque obtinebat, et, reiecto, atque in monasterium, iussu Stephani, Pontificis, detruso Childerico, solus auctoritate regia regnabat. Quanquam Pipinus Stephano ipsi, dignitatem, quae per Longobardos debilitata uehementer fuerat, restituit, et liberalitate sua locupletauit, ut dominationem, qua se efferebant, Francorum regibus deberet.

t) Chron. ad annum CCCXV, p. CCXI.
u) Caluoerius in Saxon. gent. et Christ. P. II, L. I, c. III, p CXXVI seq.

beret. *x*) Dubium itaque, maioremne gratiam debeant Bonifacio Germani, an incommodum, detrimentumque, quando coelestem doctrinam, quae in quibusdam finibus pura olim haud dubie proposita fuit, Pontificiis erroribus primo auspicio foedauit. Suffragatur nobis et P. Hachenbergius, et breuiter, qui fuerit conatus Bonifacii, quantamque inierit gratiam, ex VVillibaldo, qui uitam eius perscripsit, Reginone, Mariano Scoto, et Balaeo, inquirit. *Vir*, ait, *maiore nobis laude, studioque dicendus, nisi, seruiliter Pontifici addictus, Germaniam ad ritus, traditionesque ecclesiae Romanae traduxisset, ordinemque et ceremonias potius, quam Christianismum inuexisset. Nam, cum hactenus in Germania Cisrhenana, Norico, Rhaetia, aliisque in locis purior et simplicior doctrina, quam Christus et Apostoli praescripserant, sancte uiguisset, is deuotos animos ad diuinam, et sanctam quandam Pontificis R. uenerationem impulit, nuptias sacerdotum damnauit, coelibatum instituit, Purgatorium docuit, mortuorum ossa et imagines coli, iussit, Vestales sermocinatrices contra Pauli praeceptum admisit, uitam monasticam primus in Germaniam ad Benedicti regulam inuexit, Missas pro mortuis celebrare imperauit. y*) Quae indi-

x) V. Annales Reg. Francorum ad An. IↃCCLIII, LIV, LV, et LVI, seq. conf. Iac. Spigelius in Guntheri L. I, p. CCLXXXIII, Eginhardus in uita Caroli M. p. III, itemque Annales regum Francorum, ad annum IↃCC XLIX, et L, p. XVI, tomo Schard.

y) de religione Christ. ueter. Germ. Diss. VIII, §. VI.

ıdicio ſunt, Bonifacium in Germaniam fe-
: omnem religionis Papiſticae conſuetudi-
em, quae multis iam erroribus inquinata
'at, intuliſſe primum, atque Antiſtitum au-
oritatem, ſacrique ordinis reuerentiam,
aiorem, quam conueniebat, hominibus, ac
cili quidem tum negotio, impoſuiſſe, gra-
oremque imperaſſe.

CAPVT VII

Magnum erat *Francorum* nomen, magnum Caroli, Francorum regis, magna po-
ntia, et exteris remotiſſimiſque gentibus
tolerabilis, quae Carolum, et Francos, Ca-
li auctoritate, fortuna, ac rerum gloria ge-
ırum, elatos, timebant magis, quam reue-
bantur. Vt Graeci etiam prouerbio di-
:rent, Φραγκὸν φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς.
uae memorat Eginhardus, z) et, qui Egin-
rdum perpetuo deſcripſit, Albertus Sta-
:nſis. Manifeſto indicio, praeſtare, ami-
ıs habere Francos, quam uicinos. Cogno-
:rant hoc Saxones, quorum uirtus Francis
ſpecta, Francorum potentia Saxonibus gra-
s initio, mox fatalis et exitioſa fere, uide-
tur. Pipinus uires horum ſemel atque ite-
m tentabat, frangere omnino non poterat,
CC equorum munere, quod quotannis da-
pollicebantur, contentus. a) Carolus,

 qui

z) in Vita Caroli M. p. VIII, Tomo Reuberi,
a) Annales Regum Francorum ad An. IϽCCXLVII, LIII, et LVIII.

qui in Francia Occidentali, et Italia fortunam, bello fautricem, expertus fuerat, Saxonas finitimos pertimescens, armis non amicos, sed ciues habere et clientes, malebat. Malebant Franci omnes, et Carolum, ut Saxonum potentiam sollicitaret, flagitabant. Fines, quos quisque defendebat acrius, ut fit, belli causam aperiebant, inuidi conflabant, per causam religionis suscipiebant. Plane causas prodit *Eginhardus*, *Quia Saxones, sicut omnes fere, Germaniam incolentes, nationes, et natura feroces, et cultui daemonum dediti, nostraeque religioni contrarii, neque diuina, neque humana, iura uel polluere, uel transgredi, inhonestum, arbitrantur.* Odio aliquid dedisse historicus uidetur, cum, Saxones libertatis patriae, ac uirtutis retinentes, ferociae reos, pronunciat, atque diuina humanaque iura uiolasse, asseuerat, et, uiolare sacra, et polluere, ab honestate non alienum putasse, commentatur. Sed aliter de Saxonum honestate et ferocia ex Vitechindo Corbeiensi, tum Adamo Bremensi, pronunciat Schurzfleischius, ferociam exprobari eis, docens, quando depulerint seruitutem, asseruerint libertatem. De daemonum cultu fatemur, grandem fuisse errorem. Non tamen, reuerentiam Numinis omnem exuisse, existimandi erant, quamuis profani. Atqui pro sacris suis, uel, ut cum Sallustio loquar, pro aris et focis, pugnabant acriter, uitam, cum flagi-

agitabat necessitas, effundebant. Quare, on cum iniuria Francorum fuisse coniunam Saxonum superstitiosam religionem, leoque non lacessitos eos, lacessere, per caum sacrorum, Saxones tentasse, ac speciom belli titulum quaesiuisse, contra Eginardi sententiam probat, quem laudaui, uir uditione illustris, in uita VVittekindi M. *b*) raeclare de Saxonibus Vitechindus, monaus Corbeiensis, Saxo ipse, neque tamen sie ueritate, existimat, et Saxonibus proprium se, aut uincere, aut mori, confirmat. *c*) Sed opius causam belli attingit Eginhardus, et, nde profectum sit eius initium, prodit, *Subant*, inquiens, *et causae, quae quotidie pacem nturbare poterant, termini uidelicet nostri, et illom pene ubique in plano contingui, praeter pauca a, in quibus uel syluae maiores, uel montium iuga teriecta utrorumque agros certo limite distermint, in quibus caedes, et rapinae, et incendia, uiim fieri non cessabant. Quibus adeo Franci sunt itati, ut iam non uices reddere, sed apertum cona eos bellum suscipere dignum iudicarent. d*) Dirte Vitechindus, Corbeiensis, loco paullo ite dicto, Saxonas uariam Francorum exrtos fidem, testatur, breuiter, quae alias sius extarent, repetiisse his uerbis conntus.

 Capvt

b) Disp. XXX, § X, p. XVI seqq.
c) Libro I Annalium, p. IↃCXXXII.
d) in Vita Caroli M. p. IV.

CAPVT VIII

Moderatiori erat animo Carolus, nec armis mox ad religionem compellere Christianam uidebatur, sed primo tantum arcebat ab iniuria, quam sibi, Franci, inuidia inflati, ab Saxonibus illatam, querebantur, destructoque castro Eresburgo, et, quod sanctius ibi Saxones habebant, ac tuebantur, Irminsulae idolo deiecto, ad suos reuertebatur, ac, de frangenda Desiderii, Longobardorum regis, potentia, quae Adriano Pontifici R. grauior erat, sollicitus, in Italiam post exercitum ducebat, quam Saxones bello terruisset. Quod anno IↃCCLXXII accidit, ut Francorum annales testantur. *e*) Saxones interea, dum Desiderium coerceret Carolus, sacrorum, quae, secundum libertatem, sanctius tuebantur, iniurias uicissim ulturi, finitimos Hessos, absente Carolo, atque in Italia belli curis impedito, lacessebant, fana ac aedificia sacra, uicissim oppugnaturi, nisi diuino, nescio quo, numine prohibiti fuissent. *f*) Ac tum denique, quod anno IↃCCLXXV factum est, animo constituit, *perfidam ac foedifragam Saxonum gentem bello aggredi, et eo usque perseuerare, dum aut uicti Christianae religioni subiicerentur,*

e) p. XX ed. Reuber, Monumenta Paderbornensia de Eresburgo, p. XCVIII, CVI, seq.

f) An. IↃCCLXXIV, l. c. idem tradit monachus Egolismensis, in uita Caroli M. p. XLVIII. Tome Schilt.

entur, aut omnino tollerentur. Scilicet *perfidos* ocat ac *foedifragos* historicus, quia, per Franos perfidiae accusati, libertatem atque fines efendere, ut illi, ausi fuerant, atque sacra iolata, facta in Hessorum fines eruptione, indicauerant, nullius iniuriae rei. Aemuatio, quae animos Saxonum et Francorum ommittebat acrius, Saxonibus demum fatais erat, religioni Christianae in Saxonia diinitus per Carolum, quamuis multo labore tque periculo, maiori tamen temporis iatura, propugnandae salutaris. Non diffiteur Eginhardus, difficilimum fuisse omnium, uod Carolus gessit, bellum, quod ei cum axonibus, libertatis uindicibus acerrimis, er tres et triginta annos, *g*) intercessit. *Nulum*, ut palam fatetur, *neque prolixius, neque trocius Francorumque populo laboriosius susceptum est. h*)

g) Alii, in his Adamus Bremensis, auctore tamen Eginhardo Hist. Eccles. l. I, c. VII, triginta duntaxat numerant. Emendatae tamen editiones XXXIII habent. Post Adamum, quo recentiores sunt, eo plures. Sed Eginhardo fidem habemus, quam etiam uindicat, complurium auctoritate historicorum, Schurzfleischius de Vittekindo M. §. XIII, p. XXV. confirmat in Stricturis Antiquitatum VValdecciarum, §. II, Consentit, auctore, quod certum exploratumque nobis est, Eginhardo, Helmoldus, et tres ac triginta annos numerat Chron, Slau. L. I, c. III.

h) l. c. p. IV.

CAPVT IX

Serio nunc demum rem agebat Carolus, et potentes uicinos mitigare, atque ad Christi disciplinam armis traducere, ex sua Francorumque re fore, perspiciebat. Inde augendae potentiae, quae magna iam tum erat, materiam, religioni Christianae maiora incrementa, ciuibus suis tranquillitatem, quae huc usque dubia fuerat, pollicebatur. Consilio respondebat fortuna, anceps licet, tamen nunquam euentu destituebat conatum. *Susceptum est igitur*, ut pergit Eginhardus, *contra eos bellum, quod magna utrinque animositate, tamen maiore Saxonum, quam Francorum, damno, per continuos triginta tres annos.* Citius, putat, allaturum ei finem fuisse magnum Carolum, nisi Saxonum perfidia (Helmoldus, Eginhardum illorum temporum secutus testem, mitigat sententiam, et pertinaciam uocat, atque hoc ipso ab perfidiae crimine liberos pronunciat loco supra dicto) moram iniecisset. Sed perfidiam uocat, quando libertatem Saxones tuebantur. Primo statim impetu copiis, quantis poterat, maximis, aggrediebatur, uires, ne reficerent se, attriturus. Capto Sigiburgo, arce, refectoque Eresburgo, quod Saxones diruerant, et, praesidio Francorum imposito, ad Ostphalos, qui omnium maxime acerrimeque resistebant, properabat. Saxones, ad Visurgim, et Obacrum, hodie

die Occeram, fl., uicti, obsides dabant, sed, ab Francis, qui in obsequio continere annitebantur, frumentandi causa egressis, quod suspicari licet, irritati, imprudentes illos inscientesque adoriebantur, uiolatae hinc fidei accusati *i*). Redintegrata quidem, at simulata tamen, pax manebat. Sacris Christianorum initiati, mox, libertatem peti, animaduertentes, ad foedum superstitionis cultum reuertebantur. Vidikindus, quem praecipuum e primoribus Vestphalorum nominant, ac merito quidem, defectionis princeps, rectius libertatis stator ac uindex, Saxonibus nominabatur. Terrebant minae Caroli, qui, siquidem obsequium detrectarent iterum, patria et libertate multandos, statuebat. Hanc uero, posthabitis minis, defendere omni contentione, satius, arbitrabantur. Hinc, occasione percommoda ex finibus egressi, ad rhenum usque, ferro flammaque omnia templa et fana deuastabant. Non diffitetur annalium conditor, et, uindictae cupiditate arma cepisse, plane enunciat. Vindictae auctor erat Vitekindus, duram Francorum seruitutem depulsurus. Itaque Carolus, Saxonum uirtute et prudentia circumuentus saepius, quos bello flectere, et ad religionem impetu conuertere non poterat,

 faci-

i) **Annales Regum Franc. ad An. IↃCCLXXV. et Casp. Caluoerius in Saxon. gent. et Chr. P. II, L. I, p. CXL, seqq.**

facilius se in fide contenturum, perspiciebat, siquidem reipublicae et consilii, quem Franci sceleris auctorem, et rebellem, uocabant, principem, penes quem arbitrium esse belli gerendi, expertus huc usque fuerat, ad humanitatem flecteret, et amica pacis conciliatione leniret. Ita demum bellum felicius compositum, et firma utrinque amicitia, ac constans fides, propositum iuuabant. Vitekindus, non armis, sed mansuetudine, uictus, rogatusque, internuncio Amaluino, regio consiliario (poeta Saxo Amuluinum *aulae uernaculum* uocat) mox, dato deliberandi spatio, ac impetrata fide publica, in colloquium ueniebat, pacem certam constituebat, sacro ipse fonte in uico Attiniaco, ueluti pacis pignore, tinctus, superstitioni, quam eo usque, libertatis causa, defenderat, nuncium remittebat, anno IↃCCLXXXV. Patris lustrici officio Carolum functum, alii addunt; Eginhardus, annales Francici, Fuldenses, monachus Egolismensis, silent. Quanquam ab silentio non semper negandi praesidium petitur, in causa praesertim, quam suspicio et circumstantiae tuentur. Libertatem igitur Vitekindo M. Saxones debebant, ut non uicti, sed liberi, Christianam religionem acciperent, finesque eius, quos antehac rheni accolae, et aegre, tuebantur, Albi, fl., definirent *k*) Eginhardus, qui Saxonibus non fauet,

k) Vid. Annales Regum Francorum, ad Ann.

fauet, diffiteri tamen haud poteſt, Saxonas, Francis coniunctos, eandem ſocietatem conſtituiſſe. *Vt, abiecto daemonum cultu, et relictis patriis ceremoniis*, (quae foedum ſuperſtitionis cultum ornare putabantur, non quae rempublicam conſtituebant, cuius rationem liberam conſeruaſſe, conſtat) *Chriſtianae fidei, atque religionis ſacramenta ſuſciperent, et, Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur l*). Quae ſatis teſtantur, Saxonas ſibi profpexiſſe melius, et libertatem conſeruaſſe integram, auctore Vitekindo, quem rei militaris, ac publicae, ſcientia, magni nomen, perinde, ut Carolum, inter Francos pariter, atque Saxonas obtinuiſſe, certum eſt. Placuit conditio Saxonum aliis gentibus, multo etiam poſt tempore, in his Slauis, qui ſeculo XII, Saxonum, quos Geroldus, Aldenburgenſium in Vagria Antiſtes, et Vicelini ſucceſſor, legibus ac libertate ſua uiuere, teſtabatur, iura ſibi et leges permitti, cupiebant, ſiquidem Chriſtiani nominis ſocietatem profiterentur *m*) Quo facto pax conſtituta, Chriſtianorum doctrina accepta. Poſt id tempus Saxonas non amicos et focios Francorum, ut olim, ſed fratres, factos, Vitechindus, monachus

IↃCCLXXVI, LXXVII, LXXVIII, uſque ad annum ſeculi LXXXVI.

l) in uita Caroli M. p. V. Pluribus id ipſum explanat Schurzfleiſchius noſter de Vittekindo M. §. XIII, XIV.

m) Helmoldus L. I. Chron. Slau. cap. LXXXIII.

chus Corbeienſis, memorat, et, Chriſtiana fide in unam coaluiſſe, teſtatur, gentem, Analium primo libro *n*). Itaque libertas Saxonum conſeruata hinc religionem Chriſtianam, hinc etiam amicitiam et animorum coniunctionem, afferebat iuxta ac conſeruabat. Vtrinque tamen dolebant, uiros generis dignitate, ac meritorum gloria, nobiles, diuturno hoc bello extinctos *o*). Eginhardus, maioremne Francorum patientiam, an felicitatem, praedicet, ignorat, indicaturus, nullum, quae geſſit Carolus numero plurima, bellorum difficilius fuiſſe, quam Saxonicum, quod, Hunnorum ſiue, ut uocabantur, Auarum iſtud, ſuperaſſe difficultate, palam fatetur. Vitekindus ſerius quidem fidem dedit, attamen nunquam uiolauit deinceps, quemadmodum Saxones, inter Viſurgim et Albim incolentes, qui Francorum ſocios et amicos Abotritos, uel, ut alias ſcribunt, Obotritos, laceſſebant ſaepius, Carolumque, qui, nunc denique tranquillam, putabat, Saxoniam, ad pugnam iterum prouocabant. Tantum proficiebant, ut Carolus trans Albim fines imperii proferret, et Saxonas Tranſalbianos, qui Holſatiam potiſſimum tenebant, diſſiparet *p*). Neque enim de Saxonum

n) p. IↃCXXXIV. Tom. I. Meibomiano.

o) Eginhardus l. c. p. V.

p) Annales Franc. ad An. IↃCCXCIX, IↃCCCII et IↃCCCIV, quo exacto, finem belli Saxonici, quod inde ab anno IↃCCLXXII coeptum eo uſque du-

xonum libertate quicquam decedit, quando Carolus, se, more institutoque Romanorum, Saxoniam redegisse in prouinciam, expressis uerbis enunciat, in diplomate, quo in dioeceses sacras IↃCCLXXVIII distinxit, non immemor aut oblitus eorum, quae ante de sua in eos uoluntate edicto addiderat, sed ad pristinam libertatem pertinebant, per quam ab tributo omni immunes ac saluos profitebatur. Ex his tabulis repetiit Adamus Bremensis, ex Adamo Albertus Stadensis, qui illum temere descripsit *q)*. Pluribus antea ex Eginhardo, Annalibus Francorum, et Vitechindo, monacho, docuimus, qua conditione pacem inierint Saxones cum Francis. Plane, quamuis multo post tempore, consentit Helmoldus, et, libertatem sapienti consilio Saxonibus reddidisse, uel potius confirmasse, asseuerat, ne, seruitute, uel tributis, grauius pressi, ad cultum daemonum, quem Francos tanquam impium reiicere, nouerant, redirent *r)*.

CAPVT

xerat, fecit. Vt Eginhardi calculus, quem constituit, congruat, ac per tres et triginta annos bellum tam funestum, attamen rei Christianae demum salutare, durasse, probat.

q) Histor. Eccles. L. I, c. III, alter Chron. an. IↃCCLXXXVIII, p. CXCII, Tom. Schilter.

r) Chron. Slau. L. I, c. III, quo reliqua, quae ex Eginhardo attulimus, repetit. Consentit nobiscum Schurzfl. in uita Alberti III, p. CIX, CXIIX, CXIX, disp. XXIX.

CAPVT X

Diuturno isthoc bello grauius afflicta est res Christianorum sacra, cum Saxones iniurias, ab Francis illatas, ulciscerentur identidem, et templa Christianorum diruerent, contemptumque cultus sui, facta in fines Francorum irruptione, uindicarent, uiris etiam, qui infringere profani numinis curam et uenerationem pergerent, obtruncatis. Quibus adeo rebus, accessiones eis in finibus, tantum abest, ut caperet coetus melior, ut potius iacturam faceret, atque, ad paucos redactus aegre, sustentaret nomen, ne, tanta rerum uicissitudine, penitus obrueretur. Sturmio, Bonifacii discipulus, et primus Fuldae Abbas, de quo pluribus exponit Schurzfleischius in Stricturis Antiquitatum VValdecciarum, Saxonas, Hessiae uicinos, doctrina et pietate fideliter instituit, sed, in Saxoniam, interiorem illam, penetrare, in Cisueseranam ne uenire quidem ausus, substitit, propterea, quod hi ipsi diutius in superstitione pristina perseuerabant, et acrius cum Angriuariis, Vitekindo duce, sacra sua defendebant. Primus omnium, ut Adamus Bremensis obseruat, Saxonibus, qui in Septentrionem uergebant, atque ad mare item, et Albim incolebant, diuinae ueritatis lucem praetulit, et septem annos, Albi etiam tran-

transſito, ad Chriſti cultum aduocauit VVillehadus, ab Carolo M. primus Eccleſiae Bremenſis antiſtes conſtitutus, felici quidem ſucceſſu, attamen, cum ad Rhenum uſque infeſta haberent Saxones omnia, irrito demum conatu, multis etiam, quos VVillehadus ſacrorum adminiſtros, in dioeceſi Bremenſi et Freſonum regionibus, conſtituerat, interemptis. VVillehadus, cum opera parum efficeret, precibus, ne penitus ſemen, quod ſparſerat, extingueretur, efficere deinceps laborabat *s*).

CAPVT XI

Saxonia denique ab Carolo M. ad humanitatem mitigata, res Chriſtiana inſigniter aucta eſt, et iactura, quam finitimi per tres et triginta illos annos, et amplius, fecerant, reſtituta. Vt Carolo auſpicia diuinioris cultus in acceptis referrent Saxones, et patientiam, quam, tot bellis fatigatus, ad extremum etiam probabat omnibus, collaudarent, ac grati praedicarent, priſtina libertate conſeruati. Saxoniam ipſe, multo labore, multiſque ſumptibus, ab idolorum cultu ad ſanctiorem doctrinam redactam, Deo ſacram, uolebat, in dioeceſeſque ſacras deſcriptam, et diſtinctam, ſacerdotibus antiſtitibuſque tradebat, religione ac literis erudiendam, non

s) **Adamus Bremenſis Hiſt. Eccleſ. L. I, c. VIII, et c. IX, adde ſupra c. VI.**

non uero, quod hinc demonstrare Pontificii conati sunt, iure dominii possidendam *t*). In octo *Episcopatus* distribuisse Saxoniam, atque *Episcopos* illos duobus metropolitanis, Moguntino et Coloniensi, subiecisse, testis locuples et uerus nobis est Adamus Bremensis, et diploma, ut fidem faceret, ex tabulario protulit, ab Carolo M. eam in rem anno IↃCCLXXXIIX editum, a quo differt tamen in plerisque illud, quod, pariter ex scriniis descriptum, retulit Henricus VVoltherus, ab librariis et monachis temere interpolatum *u*). Ante hoc Verdensi ecclesiae tabulas dedit, anno IↃCCLXXXVI *x*). Cum Adamo Bremensi consentit, et hinc exscripsit Helmoldus, quando, in octo Episcopatus diuisam, tradit, atque ea ratione, qua demonstrauimus, Antistitibus, ut sacris formarent, permissam, plane testatur *y*). Similiter, atque Albertus Stadensis, quem, constat, eosdem auctores, secutum, nihil hic mutare, cum octo simul numerat, et Moguntino, ac Coloniensi, tribuere metropolitanis *z*). Scriptores nouitii X numerant, in his auctor Chronici Mindensis, quod edidit Henricus Meibomius. Sed temporum rationes permutauit ille, et primor-

t) Monumenta Paderbornensia, p. CXIII, CCCXVII.
u) L. I, c. IX, Henricus VVoltherus in Chron. Bremensi Tom. II Meibomiano, p. XXII, XXIII.
x) V. Lindenbrogii Script. Septentrion. p. CLXXIX.
y) libro I Chron. Slau. c. III.
z) Chron. p. CXCII,

primordia sacerdotiorum saepe ignorauit. Vt propterea eum arguant erroris alii, quando, subductis perperam rationibus, annorum ordinem neglexit. Ita enim recenset omnia, ut, post *Osnabrugense*, quod antiquissimum uocat, collocet *Osteruicense*, quod Halberstadium est delatum, *Bremense*, *Mindense*, *Paderbornense*, *Verdense*, *Sciderense*, ex quo deinde Magdeburgense coeperit, auctore Ottone M., *Monasteriense*, *Hildesheimense*, et *Hamburgense a*). Repetit ex Chronico hoc Cl. Henr. Bangertus, attamen bene simul monet, alios, qui octo numerant, Hamburgense et Magdeburgense, quae postea coeperant, omittere *b*). Hamburgense condere, ac gentibus Slauorum Danorumque metropolin nominare uoluit, at Heridagi, (Ludouicus Pius in tabulis consecrationis *Heride* uocat, in uita S. Anscharii *Heridac* nominatur *c*),) quem antistitem eius iam nominauerat, praematura morte, et belli curis, ut Helmoldus dicto ante loco testis est, impeditus, proposito destitit, obitu ipse, Ludouico auctore, ab eo reuocatus. Magdeburgense Ottonem agnoscere conditorem primum, inter omnes constat. Gobelinus Persona septem numero dun-

G

a) Tom. I, Meibom. Script. Germ. p. IↃLIV, IↃLVI, confer. Caluoerius in Sax. gent. et Christ. P. II, L. II, c. I, p. CLXXXII.

b) in Notis ad Helmoldi L. I, c. III.

c) p. CXXV et cap. XI, p. LVIII Script. Septentrion. Lindenbrog.

duntaxat habet, Paderbornenſe, Monaſterienſe, Oſnabrugenſe, Mindenſe, Verdenſe, Hildeſheimenſe, et Halberſtadienſe *d*). Quae partim indicant, dubia eſſe, ſacerdotiorum quorundam primordia, praeſertim cum nec ipſa diplomata, quae Caroli M. nomen praeferunt, congruant, et uiri, rei diplomaticae periti, monuerint, pleroſque, ut antiquitate, et ſummi conditoris auctoritate gloriarentur, aetatem effinxiſſe. Quae pluribus perſecutus eſt Caſpar Caluoerius, et multa in hanc ſententiam collegit, quae cumulare hic, longum nimis foret. Diffident hinc antiquitatis teſtes de Sacerdotio, quod primo omnium inſtituerit Carolus, atque in tempore definiendo laborant multi, propterea, quod aetatis illius, qua auſpicato illuxit, diuinior doctrina, ſcriptores domeſtici deſunt, et, quae de primordiis eius habemus, peregrini, iidemque amici quidem, attamen, ſimultate nondum remota, in annales retulerunt. Siquidem ſupereſſent Saxones ipſi ex aeuo Carolingico, eruditione praeſtantes, multo illuſtriora fore religionis Chriſtianae inter ipſos initia, non dubitamus. Diplomata quaedam uel, uetuſtate confecta, aetatem non tulerunt, ut, quae ſuperant, partim perperam deſcripta ſunt, uel imperitia librariorum ita immutata, et corrupta, ut ab uno alteroque, diuerſo tempore, prolata, diſſen-

d) Aet. VI, c. XXXVIII Coſmodrom.

dissentiant, saepe etiam repugnent. Quod Bremensi illo conficio, quod aliter recensuit Adamus, et, qui hunc secutus est, Albertus Stadensis, aliter Henricus Voltherus. Quae, itemque plures, caussae erant, quod multi aliter res superiorum temporum enarrarunt, incertos auctores secuti. Seculis maxime illis, quibus non tabulas ipsas inspicere licebat, nec placebat, sed satis erat, auctorem, aetate quamuis supparem, uel multo recentiorem, aemulari. Schurzfleischius, quando de principatu hic contentio est, plane dissentit ab auctore Chronici Mindensis, quod ex Meibomio supra adduximus, atque ex annis, quos subduxit ille et posuit, confellit eum, quum Osnabrugensem primam et *primitiuam* Caroli M. ecclesiam uocat *e*). *Prior*, inquit Schurzfleischius, *illa ecclesia* (Paderbornensis) *Anno IↃCC XLII Buriburgi fundata, et hinc Paterbornam translata, uel utraque potius coniuncta est, et coaluit simul. illa autem* (Osnabrugensis) *fatente ipsomet auctore Mindensis Chronici anno IↃCCLXXII demum coepit ac instituta fuit.* Probat simul, Antistitem Paderbornensem antiquitate omnibus ueteris Saxoniae Antistitibus praestare, atque hinc per eminentiam quoque *Episcopum Saxonicum* uocari *f*). Au-

 ctor

e) p. IↃLIV, iterum IↃLV, T. I, Meib.

f) in disp. de Herfordia, Saxoniae ueteris oppido. Monumenta Paderbornensia primordia ecclesiae suae Carolo deferunt ad annum IↃCCLXXVIII, p. CLXIV, CLXXI.

ctor Chronici Mindensis inniti uidetur fide diplomatis, quod, ab Carolo M. ecclesiae Osnabrugensi concessum, excitat, post complures annos, Albertus Cranzius in Metropoli *g*), in quo Carolus, eam *primam in omni Saxonia*, se construxisse, disertis uerbis profitetur. Idem quidem docet Erdvvinus Erdmannus in Chronico Osnabrugensi, sed tabulae, quas attingit, suspectae mihi uidentur, ob multas, quae obuiae lectori sunt, et graues causas. Neque conueniunt omnino cum Alberti Cranzii illo. Ne quid addam, alios utrasque plane in dubium uocare *h*). Nec desunt causae.

CAPVT XII

A*quisgranensem* ecclesiam extruebat, multisque sumptibus ornabat, diuae Mariae, uirgini, sacram, tumulo, cum excederet e uita, in ea illatus, propterea, quod eam urbem, et templum, eximie diligebat, sedemque ibi, uitae ac pietatis constitutam, sanctius colebat. Reficiebat alias aedes sacras, seu uetustate, seu hostium impetu confectas, et

g) L. I, c. II.
h) Erdmannus in Chron. Osnabrug. p. CXCVI, seqq. T. II, Meibomiano. Vtrumque et Erdmanni, et Cranzii exemplum reiicitur in Monumentis Paderbornens. p. CCCXVI. Restituisse Osnabrugense istud, sibi, et ius Antistitum in Saxonia uindicasse uisi sunt Paderbornenses, in Monument. Paderborn. p. CCCXIX, seq.

et deletas, pontificibus curam templorum, dimissis, qui hortarentur eos assidue, imperabat, alias reditibus locupletabat ipse, ac sua munificentia sacerdotes in labore sustentabat, alias accessionibus honoribusque, ut plura concupiscerent, iam tum excitabat. Ac testamento quidem heredes fere simul nominabat Antistites *metropolitanos* regni sui, quorum unum et uiginti numerat Eginhardus, eiusque beneficii fructum per eos redundare, simul cupiebat, ad praesules alios, quos *suffraganeos* uocant, eo tamen consilio, ut inopiae hominum, calamitate afflictorum, subuenirent, aedesque sacras renouarent *i)*.

LIBER II

DE ORIGINE POLITIORIS HVMANITATIS.

CAPVT I

Doctrinae elegantioris nomine artes, quae ad humanitatem pertinent, complectimur, et eloquentiam potissimum, poeticen, historiam, linguarumque cognitio-

i) Eginhardus in uita Caroli M. p. VIII, et X, tum Andreas, Presbyter Ratisponensis de monasteriis

gnitionem, et, quae hinc proficiſcuntur, ornamenta, exponimus, quae, in Germania uigebant quidem, at tamen non eo honore ac cultu, quo poſtea coeperunt, quam ad humanitatem Germani melius informarentur. Quae, data opera, hic moneo, atque, auſpicii cauſa, praemitto, ut crimen temeritatis remoueam, et, de elegantiorum literarum cura explicaturus, incuriam explodam, atque ab iudicio et ſententia eorum liberum me et immunem reddam, qui, Germanos me laudare, non laudatos olim, nec literis politos, cum nondum barbariam depuliſſent, liberaliter pronunciare auſint. Neque enim adeo expers, et rerum omnium ignarus ſum, quin iudicio aſſequi poſſim, uiciſſitudines, quae in Germania inſignes erant, fines uoluntati imperare, atque inclinationes, quae conatum impediebant, propoſito, ſiquidem deflectere hic a ueritate, et amori maiorum indulgere uelim, repugnare. Quare in conatu ueterum Germanorum perſiſto, et mutationes, atque fata rei literariae, quae primis mox auſpiciis habuit, mecum diligentius expendo, merita tamen, quae cuiuſuis fuerint, laude, ut conuenit, praedicaturus.

CAPVT

Bauariae, p. LXXX, ubi ſedes illas Germaniae illuſtriores, Treuirenſem, Colonienſem, Moguntinam et Salzburgenſem, in eiſque Antiſtites per Carolum M. diuitias accepiſſe et honores, teſtatur. Albertus Cranzius Metropoli L. I, c. XVIII.

CAPVT II

Simul ac uero religio Christiana ad Germanos est delata, una transiisse literas, literarumque sedes ac domicilia condita, nolim dubitare, quoniam religionis iuxta, ac literarum cura simul animos hominum afficit, qui de cultu diuino, ad posteros conseruando, solliciti sunt. Nec enim religio propagari feliciter, nec conseruari unquam potest ac defendi, nisi literarum beneficio, quibus eruditi olim sacrorum administri, ac religionis uindices statoresque, uidebant, necessario erudiendos esse iuuenes, quorum labore ac diligentia incolumis et salua in perpetuum esset, ac pristino cultu et honore floreret ac conseruaretur. Pro explorato habemus, eos, qui humanitate citius formati erant, facilius moueri potuisse mysteriis, atque, ingenuis artibus praemunitos quasi, ac praeparatos, animum ad mansuetudinem Christianam adiecisse. Quae cum altius repeto, et mecum considero identidem, mirari desino, quamobrem serius meliora Christianorum sacra acciuerint, literasque amare coeperint Germani, belli uoluptate, qua ab humanitate recedunt longius, ab contemplatione et studiis rerum, quae animum ornant et perpoliunt, reuocati. Vt adeo armis etiam et Martis ui aperienda religioni uia esset in gente, quae in armis et certaminibus ex-

 celle-

cellebat, et ingenii gloriam hic parari, atque hinc etiam, literis fere animos effeminari, putabat. Quibus adeo rebus Carolus M. ad Saxones aditum difficili negotio aperiebat, melioremque Dei cultum ab uirtute praesidium mutuari, oſtendebat, quamuis clementia et manſuetudine commodius retineri, atque amplificari, uideret. Habebat igitur Carolus cauſas, cur his initiis religionem et literas propagaret ad Saxonas, habebant uiciſſim Saxones, quamobrem defenderent ſeſe principio, ac tuerentur.

CAPVT III

Etiamſi una cum doctrina Chriſti coeperint ſimul ſcholae in Germania, atque humanioribus literis formari aetas et ſtudia adoleſcentium, tamen, quae ante Francorum tempora fuerunt in Germania, maxime ad Danubium et Rhenum, fl., ita fere ſunt obſcura teſtimonia, ut ex nouis potiſſimum ſcriptoribus ſuperſint, neque tamen omnino fide ſemper digna. In Germania, trans Danubium et Rhenum ſita, quia citius ad religionem Chriſtianam adducti ſunt homines, humaniores hinc maturius facti, eis etiam regionibus, qua inclyta illa Germaniae flumina propius attingebant. Ac, Cliuiae inſtitutam, referunt, ſcholam, auctore Conſtantio Chloro, imperatore non Chriſtiano qui-

quidem, Christianorum tamen fautore, quod Schurzfleischius ex instituto demonstrauit. In eo quidem gymnasio ornauit eloquentiam, Eumenius, rhetor, ac de scholis instaurandis grauiter disseruit, sententiamque pronunciauit *k*).

CAPVT IV

Ante Carolum M. nemo de literis in Germania melius est meritus, quam idem ille imperator, qui, ut ipse eas didicerat, ita ornare, atque patrocinio complecti, per omnem uitam, non desistebat, ne bellorum quidem, quae in Europa gessit maxima, assidua ac perpetua, ut assolet, cura et cogitatione impeditus. Tantum affert ad musas humaniores regum principumque educatio, quae, si ingenuis artibus iuuetur, praesidio artes nunquam destituit, sed, altius infixa in animis illorum, liberale patrocinium, quoad superstites illi sunt, literis conseruat, ut floreant cum regibus et principibus perpetuo, incolumesque consistant. Caroli M. conatus in excolendis literis si laudauerim, omnes laudauisse uidear artes, quae eiusdem aetate efflorescebant. In addiscenda Grammatica docto-

k) **Beatus Rhenanus L. II rer. Germ., Lehmannus in Chron. Spir. L. II, c. XLV. Ita orationem Eumenii ex panegyricis antiquis, quae huc pertinet, commemorat, et suffragatur Iac. Frider. Reimannus Introd. in Hist. liter. Germ. L. II, p. XXXIII.**

doctorem habuit *Petrum Pisanum, Diaconum,* in ceteris disciplinis *Flaccum Alcuinum*, Bedae discipulum, qui Britanniam pariter inter Germanos fama doctrinae illustrabat. Saxo natione, Saxonas per Carolum mitigari, optabat. Vt, eodem apud Carolum loco numeroque fuisse, existimet Schurzfleischius, quo erat Aristoteles apud magnum illum Alexandrum *l*). Vir seculi sui doctissimus, eloquentia, Dialectica, et doctrina, quae siderum motus demonstrat, Carolum instituit, rei inprimis mathematicae cupidissimum, studiosissimumque. Quae fuerit linguae commendatio, ac sermonis facilitas loquendo, Eginhardum audiamus testem. *Erat*, inquit ille, *eloquentia copiosus et exuberans, poteratque, quicquid uellet, apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus, sed et peregrinis linguis ediscendis operam impendens, in quibus Latinam ita didicit, ut aeque illa, ac patria lingua, orare sit solitus m*). Adeo disertum, atque eloquentiae peritum uocat, ut doctoris ipse munere potuerit perfungi. Graecam linguam attigit, loqui tamen Graece non potuit, intellexisse eam, contentus. Historiae antiquitatisque amatorem fuisse, uel hinc patet, quod nunquam, ut apud T. Pomponium illum, coenatum

natum

l) de Vitekindo M. § XI, p. XXII. Vitam et Scripta Alcuini copiose recenset Ger. Io. Vossius de Hist. Lat. L. II, c. XXX, p. CCLXXXIX.

m) in uita ejus p. X T. Reuber. idem docet Poeta Anonymus analium L. V, u. CCXXX.

iatum apud eum eſt, ſine aliqua lectione. *nter coenandum*, ut, imitatione paene Corneiana, ſcribit Eginhardus, *aut aliquod acroama, aut lectorem*, *audiebat*. Addit etiam hiſtoriam quandam, uel antiquorum regum res memorabiles recitatas per anagnoſten fuiſſe.

CAPVT V

Poeticen et patriam linguam eximie dilexit, atque ſua induſtria, ut haec in primis eſſet cultior ornatiorque, effecit. Barbara et antiquiſſima carmina, quibus regum antiquorum res actioneſque cecinerant, deſcripſit ipſe ac memoria tenuit. Fere non dubitem, reliqua fuiſſe partim carmina de eis, quae apud Germanos olim uſitata, accepimus, et Germanico ſermone, uel Germanico non plane diſſimili, confecta, annalium fidem tenuiſſe. In animo habuiſſe Io. Auentinum de induſtria exponere de his carminibus, repetit ex eo Iac. Fr. Reimannus, ſed needum uidere quicquam licuit, ut uel latere in tenebris uideatur opera, uel morte intercepta, uel, quod equidem crediderim, promiſiſſe, non perfeciſſe, uideatur *n)*.

CAPVT VI

Grammaticam quoque patrio, id eſt Germanico, ſermone coepit, morte, ut Io. Trit-

n) Eginhardus l. c. de Io. Auentino. Reimannus Introd. in Hiſt. lit. Germ. L. II, p. XXXIV ſeq.

Trithemius addit, *o*) reuocatus, non absoluit. Christoph. Lehmannus et Paul. Hachenbergius ex Trithemio, nescio, quo loco, docent, uidisse Trithemium partem Grammaticae illius Carolinae, sed characteribus ita obscuram, ut nec legi, nec intelligi, potuisset *p*). Eandem subiit Grammatica Caroli fortunam, quam subierunt C. Caesaris duo de Analogia libri, in hoc genere doctrinae. Tum menses, patria item lingua, appellauit omnes, cum antea Latino duntaxat, uel barbaro, quo de carminibus illis diximus, nomine distinguerentur. Ac uentis nomina imposuit, separatimque suo quemuis nomine distinxit, ut Eginhardus testatur. Otiosus interdum scribendi artem exercuit, literas, earumque ductus, studiose imitatus est, et ingeniose effingere elaborauit, at irrito, quia senior iam erat, conatu. Qua assiduitate perrexit ad extremam senectutem, nec morbo quidem ab grauiori labore impeditus. Enimuero, ut The-

o) in praefat. ad Polygraphiam p. XIX.

p) Lehmannus quidem in Chron. Spirensi, L. II, c. XLV, Hachenbergius in Germania aeui medii, § IX, Differt. VII de lingua ueterum Germanorum, p. CLXXIII. Trithemii locum quidem non affert Hachenbergius, sed in Otfrido, monacho VVissenburgensi de uiris doctrina illustribus, obscurius quaedam de hoc ipso indicat, quando, monachum illum metro addidisse quaedam, memorat, eadem tamen ratione, uti ab linguae nostratis maxime perito intelligi non potuerit, p. CXXVII.

Theganus memorat, peruetuſtos codices euoluit induſtrie ac legit, emendauit et correxit, quae perperam deſcripta fuerant, quae loco exciderant, reſtituit, interpretis non indiligentis officio perfunctus. Quatuor illa Matthaei, Marci, Lucae atque Ioannis *Euangelia* paullo ante, quam e uita diſceſſit, Graeco cum Syriaco codice collato, correxit *q*). Quod ſi ita fuerit, Syricam intellexiſſe etiam linguam, perſpicuum eſt. Mirari ſubit, Eginhardum, qui multa de eruditione et ſtudiis, meritiſque in rem literariam maximis, addidit, ſilentio hoc praetermiſiſſe, quod tamen ad laudem literatiſſimi imperatoris pertinebat.

CAPVT VII

M*uſicen* perinde, ut liberales artes, ex Italia in Galliam, inde etiam in Germaniam intulit, hominesque, liberali doctrina doctiſſimos, aluit liberaliter ac fouit, quorum ope et auxilio, ueluti intermortuae, reuiuiſcerent in Gallia, in Germania auſpicato explendeſcerent, atque in pretio haberentur. Rei enim Grammaticae ac mathematicae, itemque muſicae peritos uiros ſecum ipſe in Galliam deduxit, literaſque inſtaurauit in ſcholis, quae, praeſidio doctorum deſtitutae, orbitatem deplorabant, quin immo, ut monachus

q) Theganus, Chor Epiſcopus Treuirenſis, de Geſtis Ludouici Pii, c. VII, p. LXXII, T. Schilt.

nachus Egolismensis testis grauissimus est, ante Caroli tempora liberalibus artibus nullus relinquebatur locus. Praeterea addit, arte *organadi* Italos illos docuisse Gallos, quibus, non sine causa, coniicimus, *organa* illa musica, quae in coetu sacro musicen iuuant egregie, et ornant, in Germaniam, qua Christiana religio uiguit, allata fuisse *r*).

CAPVT VIII

C. Caesarem, Tranquillo auctore, supra docuimus, immensam infinitamque legum in foro copiam ad paucas redegisse. Carolus, leges Francis suis deesse, uel desiisse, tanta temporum uarietate, animaduertens, addidit, quae desiderabantur, quae deprauatae erant, emendauit, et senatusconsulto promulgauit nouas. Diserte Eginhardus, Carolo in hoc negotio, ac doctrinae genere, commendatissimus, *Post susceptum imperiale nomen, cum aduerteret, multa legibus populi sui deesse (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis ualde diuersas) cogitauit, quae deerant, addere, et discrepantia unire, praua quoque, ac perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum est, quam, quod pauca capitula, et ea imperfecta, legibus addidit. Omnium tamen nationum, quae sub eius ditione erant, iura, quae scripta non erant, descri-*

r) in Vita Caroli M. p. LII, seq. Tomo Schilt. Eginhardus, ante eum, p. XI docet, Carolum M. musices peritum fuisse.

describere, ac literis mandari fecit. Tabularia etiam instituit, senatusconsulta, et edicta, diligentius custodiri, iussit, ea etiam, quae ad emendationem coetus sacri spectare, putabant. Laudat monachus Egolismensis tabularium regium, seu, ut ipse nominat, *archiuum palatii*, in quo perinde, ut in ciuitatum tabulariis, acta Conciliorum de ecclesiae statu conseruarentur *f)*.

CAPVT IX

Plane et aperte scribit monachus ille, ante Carolum in Gallia, et, quae eo pertinebat, Germania, quae Francos continebat, nullum literis fuisse honorem. Carolo M. incrementa, quae erant insignia, merito deferimus auctori, etiam in Saxonia, quam religione, ac literis, florentem uidere praeoptabat. Quae enimuero, ante Caroli M. aetatem, de meritis Germanorum in bonarum artium studia extant, conatum potius, quam felicem consiliorum progressum indicant, quoniam tot bella, et irruptiones, quin immo gentium migrationes, laboris fructum, et pietatis studium, interuertebant, musasque humaniores in exilium migrare iubebant. Nihil uero prius sibi agendum, statuebat Carolus, quam, ut ludos literarios conderet, in quibus, cum nondum essent Academiae, ad religionem pariter, ac liberales disciplinas,

f) in Vita Caroli M. p. LXV, T. Schilt.

nas, iuuenes, qui rem ſacram et publicam gubernarent, ab ſacerdotibus, religioſisque hominibus, manu ducerentur. Vtramque autem linguam, Graecam aeque, ac Romanam, conſeruari, reipublicae intereſſe, intelligebat, quoniam haec in patria principe loco erat, illa, propter legationes ad Graios, tum maxime neceſſaria habebatur. Eam in ſententiam diploma imperatoris magni, ſiquidem uerum, eximium eſt, quo ludum Oſnabrugae anno octingenteſimo quarto aperuit, ſtatuit, ac uoluit, ut Graecae Latinaeque literae in eo florerent in perpetuum, unde uiros legationibus aptos, dimittere ad Graecos, dimittere ad finitimos, ualeret *t*). Graecae linguae cognitio, etiamſi grauiores cauſas nunc omittamus, tum maxime, propter imperium Graecorum, erat neceſſaria, quibus Carolus, ſiquidem obeunda legatio eſſet, opponere uiros Graece doctiſſimos uolebat, ne quid deeſſe ad laudem Germanorum, quorum nomen Graecis iam tum ſanctum erat et uenerabile, uideretur. Nemo itaque ſuccenſeat Carolo, Chriſtianae religionis in Saxonia ſtatori maximo, et contemptum ſcholarum tribuat, quas condere, quas ornare, pro uiribus enitebatur. Monachis ſuccenſeat, qui ſuccenſere uelit, quan-

t) Alb. Cranzius metrop. L. I, c. II. Schurzfleiſchius diſp. XXXII, p. IV. de Henrico Leone, in primis uero Monumenta Paderbornenſia, p. CCC XXI, ſeq.

uando illi, neque admonitionibus, neque oluntati, et sanctioni Carolinae, quam inrmare penitus nolim, locum relinquere no:bant.

CAPVT X

Haec uero aetas, quae primordia religionis ac doctrinae elegantioris celebrat, perspicue testatur, in magnis sacerdotiis illis liberaliter sumptus uiris religiosis, quos *Canonicos* uocabant, constitutos eo fuisse consilio, ut diuiniorem scripturam alii interpretarentur, ac iuuenes, cultui diuino aptos, educarent, alii linguas et studia bonarum artium docerent, et industrie disciplinis animos polirent. Commode hanc in sententiam Ioachimus Hildebrandus, quod fuerit religiosorum officium, exponit, cuius uerba haec sunt, *In his Canonicorum capitulis studia literarum olim tractabant, idque adhuc referunt nomina decanorum, praepositorum, scholasticorum, cantorum, etc. quae nomina redolent scholas, immo ob hanc causam imperatores, in dotandis et ditandis Collegiis Canonicis, adeo munifici fuerunt, ut remp. literariam conseruarent, neque uero alius ex omnibus imperatoribus hac in parte munificentior fuit Carolo magno u).* Quae sequuntur eo in

H loco,

u) de religiosis, eorumque uariis ordinibus, eo sigillatim capite, quod Canonicorum rationes ex antiquitate illustrat §. III, p. XXXIII.

loco, pietatem Caroli, in Saxonia nunquam interituram, exponunt, et monumenta, quae memoriam tuentur, ob oculos ponunt, ſupra iam a nobis pluribus renouata. Quae ſane erant cauſae, quod Carolus, et poſteri, inter religioſos ſocietates literarias eſſe, cupiebant, illaſque ſumma munificentia alebant, quo in locis, ab ſtrepitu omni et tumultu remotis, muſas uiciſſim liberali iſthoc otio alerent, literaſque ab interitu, ſolertia ſua, conſeruarent. Quo pacto, cum nullae eſſent tunc Academiae, his ludis iuuenes in diſciplinis omnibus inſtituebantur.

CAPVT XI

Societates eiuſmodi communitateſque hominum literatorum, coenobiis arctius coniunctae, linguas etiam, artes et ſapientiae ſtudia excolebant, quemadmodum pluribus de coenobiis ordinis D. Benedicti, auctoritate Io. Trithemii, id probauimus, atque ex Eccardo, iuniore, tum Chriſtoph. Lehmanno, de docendi ordine, ſuperiori atque inferiori, quam ſcholam interiorem et exteriorem nominabant, confirmauimus ſententiam, cum de coenobiis ex inſtituto exponeremus. Ioachimus Vadianus, Cſ. Gallenſis, monaſteria eo conſilio inſtituta plane confirmat, ut in eis, tanquam Scholis publicis, monachi docti et *Clerici non ſacris modo priuatis, ſed publicis*

blicis quoque functionibus adhiberi, in primis autem illis prodesse ecclesiis possent, quarum curae et administrationi essent adhibiti. Videbant enim istbaec uel barbarissima tempora, hoc rectius habere ecclesias Christi, quo doctiores peritioresque forent, qui harum praesides essent futuri. Et constat, hoc suo consilio reges ueteres adeo profecisse, ut in illa literarum et studiorum inopia etiam feminae extiterint, atque hac quidem, quod miramur, Germanice, quae et Graece et Latine fuerint doctae. Certo autem nobis argumento sunt bibliothecae monasteriorum uetustae, uidelicet hoc ipsum tum illis seculis monasteria et coenobia fuisse, quod nostris gymnasia sunt et Academiae, principum liberalitate fundatae x).

CAPVT XII

QVod igitur Francis atque Alemannis suis tribuit, ac merito quidem, in reficiendis instaurandisque sacris, id tribuo Saxonibus, atque contendo, per hos in Germania, qua spectat in septentriones, cultum sanctioris doctrinae incrementa cepisse maxima, atque ab interitu omni penitus conseruatum, ut, cum antea armis tantummodo uirtutem ostendissent, postea quoque, pietate ac religionis ardore, nulli se genti secundos, demonstrarent Alemannos suos et Francos

 sacra,

x) in praefat. de monasteriis collegiisque Germaniae ueteribus, T. III Goldast.

ſacra, tot bellis migrationibuſque gentium interrupta, ac templa deleta, renouaſſe, memorat Vadianus ille, et noua, ut auguſtior eſſet rei Chriſtianae fortuna, inſtituiſſe, reditibuſque et beneficiis auxiſſe. In his numerat Auguſtanam Vindelicum, Moguntinam, Treuirenſem, Colonienſem, omnium in Germania antiquiſſimas, quibus addit, auguſtas illas in Nemetibus, Vangionibus, et Rhetis, quae Curiae eſt, eccleſias, quas Carolum, conſtat, uirtute ſua defendiſſe, ac prouentibus immunitatibuſque locupletiores reddidiſſe. De Saxonum, poſtquam ſacris Chriſtianorum initiati ſunt, ardore et cupiditate amplificandi ſtudia, atque literas ornandi, ſupra accepimus, qui, Caroli M. auctoritate et fide in hanc, bene de ſacris profaniſque ſtudiis merendi, ſententiam inducti, cedere aliis nolebant, apud quos uiguerat fama melioris doctrinae, ut, tempore quidem recentiores, attamen, amore ſacrorum augendorum capti, nihilo remiſſiores meritis in rem ſacram maximis haberi uellent.

CAPVT XIII

Quemadmodum Melch. Goldaſtus docet, ante Caroli M. tempora, ſub Pipino, Caroli parente, Kero monachus S. Galli, *interpretationem uocabulorum barbaricorum*, id eſt, Germanicorum edidit, quae monachis, Latinae

nae linguae non adeo peritis, explanauit. Atque eadem in ordinem redegit Goldastus *y*). Quae qui legerit, antiquitatem linguae Germanicae, et rationem intelliget ſimul, atque de monachorum ſcientia linguae Romanae iudicabit. Sed tamen antiquiſſimum iſtud linguae Germanicae eſt monumentum.

LIBER III
DE
RELIGIONIS
CHRISTIANAE
PROGRESSV.

CAPVT I

Nequid detrimenti in poſterum res ſacra caperet, ſollicite eius rei curam Carolus filio LVDOVICO commendabat ad extremum, uolebatque inprimis, ut pios fidoſque ſacrorum adminiſtros foueret, ac ſacerdotes honore omni dignos haberet, et tanquam patres coleret, coeno-

y) T. II, P. I, p. X & LXIX Ac barbaricae nomine Germanica lingua ab Latina diſtinguebatur, teſte Valafr. Strabone in vita S. Galli, L. I, c. VI. adde *Abrenunciationem*, quae nouis Chriſtianis eadem lingua eſt propoſita, et extat in Monumentis Paderborn. p. CCCXXX.

bia priſtino flore conſeruaret, ac defenderet, homines, ope praeſidioque humano deſtitutos, tegeret, ac iuuaret, tum in aulae ac regni negotiis uiros iuriſperitiſſimos eligeret, quorum fide et integritate niti poſſet, eoſque liberalitate ſua in amore retineret, ne, largitionibus corrupti, ab officio recederent, et ſecus facerent, atque mores inſtitutaque gentium paterentur. Sanctius habebat parentis inſtitutum, et uoluntati obtemperabat in omnibus, adeo, ut plura ſacerdotibus offerret, quam poſcere poſſent illi ac flagitare. Partem eius, quod ex paterna hereditate habebat in gaza regia relictum, maximam Pontifici Maximo Romam mittebat, alteram, quae ſupererat, partim ſacerdotibus, pauperibuſque diſpertiendam, liberaliter expromebat. Quare fiebat, ut, cum, ſacro religioſorum ordini addictior, pietatis opinionem augeret, et coenobia ſacraſque aedes uel conderet ipſe, uel, conditas olim, locupletaret inſigniter, et ſacris concionibus, quam ciuilibus negotiis, ac reipublicae deliberationibus, frequentius intereſſet, PII cognomen ad poſteros memorabile teneret. Quod adeo certum eſt, ut mirari ſubeat, perſuaſum eſſe quibuſdam, a pietate in parentem tantae laudis titulum profectum. Inde ſi elogium iſtud deducere uelis, neſcio, an plures eo ſint diſtinguendi, qui tamen uel propterea, quod quemque decet, per excellentiam ita nominati,

nati, ueluti singulari laude, haud uoluerunt. Propius quodammodo accedit Iacobus Spigelius, Iureconsultus humanioris doctrinae nauiter peritus, atque ab clementia et lenitate, qua omnes antecellebat, mutuatur z). Consiliariis nimium tribuebat, et, quicquid statuebant illi, id ratum omne probatumque habebat, per pietatis causam saepius circumuentus. Antistites, ut Helmoldus plane loquitur a), principes regni fecit, qui propter salutis curam principes coeli haberentur. Officiis sacris occupatus assidue, et lectionibus et cantilenis impeditus, probitatem, improbo iam tum seculo, in discrimen adducebat, ut regis imperatorisque dignitatem amitteret, simplicitatis argueretur. Auctoritas ipsis filiis suspecta erat. Suspectam reddebant Antistites et sacerdotes, qui per eum ornamenta acceperant, cetera humili et seruili etiam conditione homines, summis illis honoribus indigni. Oneri itaque erant imperatori pio, quos ornamento reipublicae, quos praesidio ecclesiae fore, arbitrabatur. Grauiter in aulicorum, grauius in antistitum mores et studia inuehitur Theganus, impru-

 dentiae

z) In Notis ad Guntheri librum I, p. CCXCI, Tomo Reuberiano. Plures Ludouici huius elogii caussas attulimus data opera de hoc argumento, Tomo II. *Miscellaneorum Lipsiens.* demonstrauimusque, Albertum Stadensem Ludouicum Pium cum filio, Germaniae rege, permutasse.

a) Chron. Slau. L. I, c. IV.

dentiae arguit Ludouicum, quippe qui nullam gratiam inierit ab hominibus, quos uita et doctrina, quam profitebantur, se regem pium, sperauerat, superaturos *b*).

CAPVT II

In animo habuit Ludouicus, obsequi parentis diui uoluntati, ac pietate, meritisque in rem sacram maximis, consulere omnibus, qui religionis defendendae desiderio tenebantur. Omni hinc opera annitebatur, ut propositum perficeret, et ruinam, quae difficilius sarciri iterum posset, tempestiue remoueret, extructis coenobiis, et sacerdotiis, quorum fines aliquot Carolus iam tum descripserat, ut coelestior illa doctrina perpetuo incolumis, his quidem pietatis domiciliis, consisteret, atque ad posteritatem maneret. Conditorem primum colunt eum antiquissima duo Saxoniae ueteris coenobia, alterum *Corbeiense*, ad Visurgim, fl., quod anno ıↄcccxxıı coepisse, annales Corbeienses docent *c*), alterum *Herfordiense*, sexui sequiori

b) de Gestis Ludouici imp. adde Schurzfleischium in disp. de Diuisione imperii Carolini, §. XXIV.

c) annum XV nouus annalium Corbeiensium auctor tradit, apud Paulinium Syntagmate Script. German. p. CCCLXIX. Adelhartum, primum Corbeiensis coenobii rectorem, praedicant annales regum Francorum ad annum IↄCCCIX, tum XXI. Sed ad annum XXII huius seculi reiicit initium

ri sacrum, quod non multo post, atque anno quidem, ut locupletissimus nobis uerissimusque testis est Schurzfleischius, ↀCCC XXIIX, consecratum est *d*). Illustre inprimis Corbeiense illud est, et uiros orbi literato dedit, eruditione clarissimos, ac meritis summos. Henr. Meibomius, auus, confirmat, et complures numerat uiros, qui ex insigni isto coenobio progressu temporis egressi, et maximas ecclesiae dignitates complexi sunt. In his quinque Antistites, Bremensis, Anscharius, Rembertus, Adelgarius, Hogerius, VVinno, tum Alfridus et VValbertus Hildesienses, Euilpus Halberstadiensis, Sigfridus Monasteriensis, Thi:dagus Pragensis, Marquardus Osnabrugensis, Arnoldus Spirensis, Vilbrandus Mindensis, Bernardus Paderbornensis, Bruno Verdensis *e*). Iustus Lipsius, Henr. Meibomius et C. Sam. Schurzfleischius, magno rei literariae commodo, ludum Corbeiae instituisse imperatorem pium, uel inde probant, quod priores quinque Annalium Taciti libri illic reperti sunt, perituri

eius Chronicon Corbeiense Meibomianum! T. I, p. IↃCCCV, Io. Trithemius Chron. Hirsaugiensi, p. X op. editionis VVechelianae. Cum his consentire videtur Schurzfleischius, quando, Herfordiense tribus fere post Corbeiense dedicatum, deinde tradit. Accedit Petrus Lambecius in notis ad Rembertum de vita S. Ancharii p. CXXX.

d) disp. de Herfordia §. VII, p. VII.

e) in Chronico Riddagshusiano, p. CCCXLVII. T. III script. Meibom.

ri alioqui, nisi monachi Benedictini conseruassent. Vt ingrati criminis Andr. Alciatum accuset merito Meibomius, et inter Longobardos *bardum* appellet, qui pro praemio Germanos, quibus laudem restituti tam elegantis historici deferunt omnes, *barbaros* inuidia nominasset *f*). Non multo post Corbeiense condidit Selgenstadense in dioecesi Moguntina, suasore cum primis Eginhardo, sanctiore Caroli M. scriba olim, post ipso in Selgenstadensi hoc coenobio, sumpto religiosi ordinis habitu, monacho, atque rectore primo familiae, quae in ea sodalitate probabatur, Benedictinae *g*).

CAPVT III

Cum primis in Saxonia, quam *transalbinam* uocant, *Hamburgum*, caput omnium ecclesiarum, prouti constitutum cum animo Carolus magnus habuerat, constituit primus, eique imposuit Antistitem summum Anscharium, uirum doctrina, uirtute, et amore propagandae religionis, clarum, ac fines iurisdictionis sacrae, tabulis publicis, anno IↃCCCXXXIV editis, attribuit, ut inde ab Albi, fl., Slauos omnes, qui ad mare Balticum incolebant,

f) in praefat. ad Vitechindum, p. IↃCXXV. Tomo I Meib. Lipsius ad II Taciti librum Annal. Schurzfleisch. de Vita Alberti III, disp. XXIX, p. CLV. Monumenta Paderbornensia p. LXXVI.

g) V. Trithemius Chron. Hirsaug. p. X.

lebant, tum Danos, Sueones et Noruegios, quos Normannos Francicorum annalium ſcriptores uocant, coeleſtis doctrinae lumine colluſtraret. Verba diplomatis ſacri ita leguntur, *Et, quia caſus praeteritorum cautos nos facit in futurum, ne quiſquam Epiſcoporum aliquam ſibi trans Albiam, uel alicubi in praedicta parochia* (Hamburgenſi) *uindicet poteſtatem, certo limite circumſcriptum eſſe, uolumus, uidelicet ab Albia, flumine, deorſum uſque ad mare Oceanum, et ſurſum per omnem Slauorum prouinciam, uſque ad mare, quod Orientale uocant, et per omnes praedictas nationes Septentrionis.* Gentes uero, quas iiſdem in literis eo refert, paullo ante nominat, repetitque Gregorius IV, Pontifex R., in tabulis confirmationis, *Danos, Sueonas, Norvveon, Gronland, Hallingalondon, Iſlandon, Scredeuindon, et omnes Septentrionales atque Orientales nationes b*).

CAPVT IV

Florebat Anſcharius religionis ſtudio ac morum ſanctitate, ſuſceptoque ad Danos et Sueonas itinere, coeleſtem doctrinam, gentibus illis eo uſque ignotam, patefaciebat, aſcitiſque in laboris ſocietatem uiris, morum commendatione optimis, Audberto, Giſ-

b) Erpoldus Lindenbrogius ſcript. Septentrional. p. CXXV, ſeq. Adamus Bremenſis Hiſt. Eccl. L. I, c. XV.

Gisſlemaro, VVithmaro, pluribus,quos Rembertus, ipſe itineris laboriſque comes, in uita Anſcharii, memorat, inſignes in proferendis rei Chriſtianae finibus progreſſus faciebat, homines numero plurimos in nomen familiamque Chriſti cooptabat, atque impetrata docendi facultate, ſacerdotia mox adiiciebat in Sleſuicenſium ditione, quae Heidebo Danis olim dicebatur, et Byrcae, principe Gothorum urbe, et mercibus, quae ex finitimis, ac longe diſſitis, regionibus importabantur, florente *i*). Henr. VVoltherus, auctoritate, quod intelligas, diplomatis Ludouiciani, Anſcharium, teſtatur, adiiſſe, docendi cauſa, Danos, Sueonas, Noruagios, Iſlandos, Gronlandos, Scritofinios, Slauos, Stormarios, et, templa, addit, condidiſſe celebriora, atque ab nouis chriſtianis frequentata, Scleſuicenſe, Ripenſe, Reuelenſe, Vpſalienſe, Lundenſe, et Roſchildenſe, ſacerdoteſque, uitae ſanctitate claros, praepoſuiſſe *k*). Ex quo tempore ſemen uerbi diuini, quod in Dania, Suecia, et alias, ſparſerant uiri, diuinitus excitati, et praemuniti, radices egit, altiuſque creuit, ut de fructu, quem capiebat inde orbis chriſtianus, maximopere ſibi congratularentur omnes. Quamuis grauiter

i) Adamus Brem. c. XVII, XVIII, Helmoldus Chron. Slau. L. I, c. V et VIII, ex eiſque Albertus Stadenſ. p. CC ſeq., tum Alb. Cranzius Metrop. L. I, c. XIX, ſeq.

k) Chron Bremenſi p. XXV, T. II Meibom.

uiter eodem hoc ſeculo afflicta, eis in regionibus, res Chriſtianorum ſit, annitentibus potiſſimum Nordmannis uel Danis, qui, ex antiqua ſede egreſſi, non modo finitimos hos inuadebant, templiſque, quae magnis antea ſumptibus extruxerant, uaſtatis, crudelitatis uim omnem expromebant, ſed ad Gallos etiam, Britannoſque progredientes, ampliſſimas latiſſimaſque prouincias occupabant, gentibuſque adeo longinquitate remotiſſimis imperabant. Quae eruptio Normannorum per hoc tempus memorabilis erat, et rei Chriſtianae, quae uix coeperat, in Dania, Suecia, Saxonia, Friſia, denique in Gallia et Britannia infeſta, atque exitioſa. Multas enim ciuitates incendio delebant, aedeſque ſacras funditus excindebant, uno impetu noua ſacra euerſuri, Hamburgo maxime, Aquiſgrano, Auguſtis Vbiorum ac Treuirorum urbibus ad ſolitudinem prope redactis. Pluribus id ipſum commemorant, et cladem Chriſtianorum, quae inſignis erat, deplorant Adamus Bremenſis *l*) et ex eo Albertus Stadenſis *m*). Atque hic quidem, tanta Normannorum ferocia, miratur Anſcharii et Remberti uirtutem diuinam, qui, neglecto uitae

l) Hiſt. Eccl. L. I, c. XVII, p. VII edit. Lindenbrog. nouae.

m) in Chronico, p. CCI, ſequentibus. De Normannorum in Galliam irruptione pluribus exponit Schurzfleiſchius de diuiſione imperii Carolini, §. XXXIII, p. XIX.

uitae discrimine, difficile istud iter susceperint ad homines, immanitate captos, religionis christianae nomen, quod infensum infestumque tum habebant, primum annunciaturi. Ludouicus, Ludouici Pii fil., Germaniae rex, quem Helmoldus parenti nomine ac pietate similem nominat, ecclesiae Hamburgensis misertus, Bremensem, quae uacua tum erat morte Luderici, cum illa iunxit, Anschariumque Praesulem summum, auctoritate Nicolai, Pontificis R., cuius tabulae apud Lindenbrogium superant *n*), nominauit, et contra inuidos defendit. Helmoldus *Vnita est*, ait, *ecclesia Bremensis, Hammenburgensi, et recepit sanctus Anscharius utramque regendam, factumque est unum ouile, et unus pastor o*). Quo facto, Anscharius iterum ad Danos pergebat, atque in proposito, quod susceperat, feliciores progressus habebat, et Ericum (scriptores huius seculi Horicum uocant) Danorum regem, ab impietate reuocabat, ut sacris Christianorum assentiretur ipse, et, edicto proposito, omnibus, ut suum regis exemplum sequerentur, praeciperet, et publici cultus, templo nouissime extructo, rationem

n) p. CXXVIII.

o) Chron. Slau. L. I, c. V, idem docet ante Helmoldum Adamus Bremensis c. XXIV, sequentibus, p. VIII, IX, et, qui hunc iterum sequitur, Albertus Stadensis, p. CCII, tum Henr. Voltherus Chron. Bremensi, p. XXIV, seq. T. II, Meibom., Petr. Lambecius Orig. Hamburg. p. VIII, IX.

tionem haberent *p*). Corrigendus propterea Io. Trithemius, cum Lothario tribuit, quod aequales illi scriptores tribuunt Ludouico, atque, ab illo Bremensem illam cum Hamburgensi coniunctam, et curae Anscharii traditam, commentatur in Chronico Hirsaugiensi *q*).

CAPVT V

Cum, per Carolum et Ludouicos efflorescere in Germania religionem, perspicerent alii, principe et illustri genere nati, in pietatis societatem ueniebant ultro, ac beneficiis amplissimis iuuabant inopiam, siqua rei sacrae obesse uideretur, ut contendere beneficiorum amplitudine, ac munificentia alii alios uincere, anniterentur. Praedicat hic uirtutem Erlafridi, Comitis, qui inter primos numeratur, et mature uestigiis tantorum insistere conditorum, atque nouo pietatis ac rei literariae monumento memoriam ab obliuione uindicare laborabant, praeclaro, quod aedificabat, monasterio Hirsaugiensi, cuius initium Trithemius, annalium Hirsaugiensium conditor, cecidisse in annum ıɔccc xxxviii, docet. Omitto reliqua, ne, enumerando plura, coenobiorum primordia studiosius

p) Rembertus in Vita Anscharii, Adamus Brem. c. XXXI, p. X, et Albertus Stadensis p. CCIII.

q) ad an. ıɔCCCLIII, p. XII.

diosius conquiram, ab Casparo Bruschio in Chronologia monasteriorum Germaniae praecipuorum atque illustrium, tum ab aliis etiam separatim literis prodita, tabulisque confirmata.

CAPVT VI

Fama omnium, quae clarius in Germania exsplendescebant, florebat *Fuldense*, quam conciliabant et doctrina et merita Rabani Mauri, Bedae illius Venerabilis discipuli, Philosophi, rhetoris, poetae clarissimi, qui pietate, literis, moribus, instituebat iuuenes, numero, ut Trithemius asseuerat, ducentos et septuaginta, ut complures summis in coetu sacro muneribus praeessent, laudemque doctoris sui tuerentur. Inde petebantur igitur uiri literis politi, et famam nominis consecuti, ut alias coenobia instruerent, uitae sanctitate, ac docendi facilitate praeirent omnibus, et meritis, in rem sacram literariamque maximis, coenobia, in quibus uiuebant, nobilitarent. Erlafridus, quem coenobii Hirsaugiensis conditorem supra diximus, nouo suo musarum domicilio non alios quaesiuit alumnos, ac praefectos, quam Fuldenses, quorum numero quindecim, ipsumque moderatorem eius Lindbertum, hinc adduxisse, Trithemius testatur r).

CAPVT

r) in Chron. Hirsaug. in Vita Lindberti, Abbatis primi. de Rabano Mauro uide Casp. Bruschium in Chronolog. monast. Germ. p. CCIII.

CAPVT VII

Redeo ad Ludouicum Pium, qui consiliariis reip. curam relinquebat, ipse sacris intererat frequenter et assidue, utrique et reipublicae, et sacrae hoc ipso incommodum afferebat, atque ab aulicis pariter, atque sacerdotibus contemptus, religioso ordini aptior, quam imperio, habebatur. Plane eam in sententiam scribit Theganus, *Omnia prudenter et caute agens, nihil indiscrete faciebat, praeterquam, quod consiliariis suis magis credidit, quam opus esset. Quod ei fecit psalmodiae occupatio, et lectionum assiduitas, et aliud, quod ille non incipiebat. Quia iam dudum illa pessima consuetudo erat, ut ex uilissimis seruis summi Pontifices fierent, et hoc non probibuit* f). Verbis, quae sequuntur, grauiter castigat antistites, qui, per religionis causam, negotia reipublicae curarent, et regibus imperatoribusque leges darent, ipsi eas negligerent, dum ab officio recederent nefarie, atque cogitationes omnes, spe augendae ambitionis, et auctoritatis amplificandae, retinerent. Inclinabat, hoc rerum statu, auctoritas Ludouici, quam ipse in discrimen maximum adducebat, imprudenti consilio, cuius qui auctores fuerint, facile coniicere licet. Enimuero, ipse uix heres factus, heredes regni constituebat filios, re ipsa bellum, facta intem-

I pestiua

f) de Gestis Ludouici Pii, c. XX, p. LXXIV.

pestiua diuisione, conflabat, tam funestum, et periculosum, ut uires ipse suas conficeret, famam, quae eo usque praeclara fuerat, exteris suspectam redderet, orbi christiano detrimentum afferret maximum, inter filios simultatem, quae animos diuellebat, perpetuo duraturam, excitaret. *Vniuersum imperium*, ut loquitur Nithardus *t*), *inter eos* (filios) *ita diuisit, ut Pippinus quidem Aquitaniam, Lodhuvvicus autem Baiuariam, Lodharius uero post discessum eius uniuersum imperium haberet, cui et una secum imperatoris nomen habere concessit.* Quae diuisio incidit in annum ɪↃCCCXVII. Sub idem tempus, quo fecerat illam, annunciabatur Ludouico Pio eruptio Obotritorum, quos, tempore Caroli M., Francorum amicos et socios permansisse, diximus, atque ab Carolo contra Saxones, antequam ad mansuetudinem christianam transirent, defensos, sed nunc in Saxoniam transalbinam ingressi illi, uicos agrosque uastabant *u*). Facta hac diuisione imperii, Irmengardis, Ludouici coniux, moriebatur. Ludouicus, ducta deinde Iuditha, Guelfi, Baioariae Ducis filia, quam, antiquissima familia ortam, eximie laudat Theganus

t) de Dissensionibus filiorum Ludouici Pii, L. I, p. LXXXVI, Tomo Schilteriano.

u) V. auctor uitae Ludouici Pii, ex eoque Schurzfleischius de diuisione imperii Carolini §. XXIX. Vt malorum lerna erumpere nunc, et corripere Francos, inclinatioque euertere potentiam, et fortunam frangere, uno impetu uideretur.

ganus *x*), incertus, quam partem hereditatis Carolo, ex altero connubio filio, cui Calui cognomen additum est, tribueret. Pipinus, impulsu procerum, primum patri bellum indicebat, Iudithae, nouercae, uiolati connubii scelus obiiciebat, rem cum Bernardo habuisse, praeferens, ut marito Augusto in suspicionem adduceret, animosque diuelleret, et Carolum beneficio his insidiis priuaret. Lotharius, ut de iure decederet, sacramento compulsus initio, mox consilium mutabat, ab Hugone, socero, et Matfrido in hanc sententiam inductus *y*). Hinc, Alemannia Carolo per edictum parentis attributa, fratres in subsidium fracti ueluti per parentem foederis aduocat, ius armis recuperandum, suadet, tametsi nihil ex diuisione priori de suo amissum perspiceret et ereptum. Ludouicus Pius cum coniuge capti monasteriis, tanquam carceribus, tutius, cum praeesse custodes, religione conscientiae uincti, putaren-

x) de Gestis Ludouici Pii, c. XXV, p. LXXV.

y) Nithardus de Dissensionibus filiorum Ludouici Pii, p. LXXXVI, T. Schilt. Theganus addit Rhaetiam, et partem Burgundiae de Gest. Ludouici Pii, c. XXXV, XXXVI, p. LXXVI. Schurzfleischius nihil, monet, detractum aut ademptum filiis, ex Irmengarde natis, noua patris constitutione, qua Carolum, filium, ex Iuditha natu minimum, Alemanniae, Rhaetiaeque ac Burgundiae partis gregem anno DCCCXXIX, in conuentu, apud Vangiones habito, renunciauit, in disp. IV, de regno Austrasiae, §. IV.

tarentur, conſeruabantur. Hanc inibat gratiam ab monachis, ab monachorum magiſtris, ab antiſtitibus ſacrorum, Ludouicus, Pii cognomine, quod impoſuerant, contentus. Satis perſpicue, et, quod colligo, ſine amore et odio, Theganus, cuius, quia eiuſdem aetatis erat, magna fides eſt, magna auctoritas, *Lotharius*, inquit, *duxit ſecum patrem ad Compendium palatium. et ibi ualde affixit eum, cum EPISCOPIS et ceteris nonnullis. Iuſſerunt enim eum ire in monaſterium* (quippe cum uita ſolitaria, quam imperio, digniorem aptioremque, iudicarent omnes) *et ibi eſſe omnibus diebus uitae ſuae. Quod ille renuens non conſenſit uoluntati eorum. Omnes enim EPISCOPI moleſti fuerunt ei, et maxime hi, quos ex ſeruili conditione honoratos habebat cum his, qui ex barbaris nationibus ad hoc faſtigium perducti ſunt. Elegerunt hunc unum impudicum et crudeliſſimum* (en mores ſacerdotum iam tum maxime corruptos!) *qui dicebatur Hebo, Remenſis Epiſcopus, qui erat ex originalium ſeruorum ſtirpe, ut eum immaniter affixiſſet cum conſinctionibus ceterorum. Inaudita locuti ſunt, inaudita fecerunt cottidie improperantes ei. Abſtulerunt ei gladium de femore ſuo, iudicio ſeruorum induentes eum cilicio z*). Ludouicus, cognomine Germanicus, fortunam pii parentis miſerabatur, et miſſis, qui ſolarentur eum, Grimoldo et Gebhardo, clam libertatem pollicebatur. Lotharius denique, at

z) c. XLIII, XLIV, p. LXXVII ſeq.

at aegerrime, restituebat libertati, liberatum excipiebat Ludouicus, pietate hinc patri similis, ut scriptoribus uocatur. Theganus, qui breuiter casus, quos subiit Ludouicus Pius, attamen prudenter, exquirit, et caussas uicissitudinis peruestigat, arduum hoc prudentiae caput, doctrinae causa, attingit, et, arcendos seruili conditione consiliarios, monet, atque, in officio continendos, exemplo Caroli M., docet, ne uires sumant, atque ingenio et uirtute nobiles opprimant, imperio ac reipublicae molesti, et honoribus, quibus impares sunt, indigni, sapientibusque, propter ambitionem, odiosi *a*).

CAPVT VIII

Erat hic, erat at exiguus pietatis fructus, quem antistites, laborum ac consiliorum participes, augusto imperatori dabant, quorum luxum et ambitionem, quae tum maxime pullulabat, in Germania etiam, reprehensurus, legibusque liberius, sed serius, coerciturus, implacabile odium sibi conflabat. Quod liberali indulgentia concesserat, corrigere festinabat, cum occasionem praecidere arrogantiae, superbiamque, ipso impetu, profligare sapientius potuisset. Hinc Antistites, repentinae mutationis insueti, uindictam non tam quaerebant, quam, prae-

a) c. XLVI, XLVII, XLVIII, XLIX, L, p. LXXIX.

matura diuisione illa, oblatam commode, arripiebant. Consiliis illi Ludouicum, sacrorum amplificatorem indulgentissimum, filii armis impugnabant, ac, nulla meritorum habita ratione, augusta dignitate priuabant. Schurzfleischius Pipini et Caroli cum Romuli, Ludouici Pii tempora et res cum Numae, eleganter comparat, atque Ludouicum, sacris nimium indulgentem, auctoritatem proiecisse, grauiter disserit, regiamque dignitatem, multo per illos labore recuperatam, ac conseruatam temere ac timide in discrimen adduxisse, in eaque serius asserenda omnem operam perdidisse *b*). His sane caussis adductus, *Omnium*, colligit, *malorum, quae euenerunt, caput fuit diuisio, quae, a Ludouico Pio imprudenter facta, et deinde ob filium, ex altero connubio natum, inauspicato mutatam, animos trium priorum filiorum distraxit, et, defuncto patre, diffidia magis auxit.* Renouata quidem, uiuo adhuc Ludouico, concordia, at minus diuturna fuit, cum nouae semper dissensionis caussae gliscerent, quae, parente turbis

b) De Diuisione imperii Carolini, § XXV, sequentibus itemque de regno Austrasiae disp. IV, § IV, sequentibus, cum primis § XIII, quo de diuisione, quae firma deinceps fuit, pluribus memorat, et Ludouico Germanico Franciam Orientalem, Carolo Occidentalem obtigisse, Lothario inter Rhenum et Scaldim reliqua relicta, tradit. conf. Disp. de Diuisione imperii Carolini, § XXXVIII, adde Adamum Bremensem L. I, c. XXII, p. VIII, ex eoque Helmoldum L. I, c. IV.

turbis his A. ɪↄcccxl erepto, erumpebant uehementius, heredesque longius seiungebant, quas fuse commemorat Schurzfleischius, et conditiones, quibus redintegrata pax inter Ludouici Pii filios est, ex obscuritate temporum illorum, et annalibus, cum primis Pithoeanis, Fuldensibus, Metensibus, et Bertinianis, explanauit, singulari laude, in diuisione imperij Carolini persequenda, uersatus. Lotharius ut toto illo dissidio, ita ad extremum aetatis, tum dignitatis augustae, quam Ludouicus, pater, ei concesserat, memor semper, fratribus imperare et dare leges uolebat, atque hoc nomine innixus, cum pax demum coalesceret, aliquid ultra tertiam hereditatis partem concupiscebat. *Si uellent aliquid illi supra tertiam partem regni propter nomen imperatoris, quod illi pater illorum concesserat, et propter dignitatem imperii, quam auus regno Francorum adiecerat, augere facerent*, quae Lotharii uerba recitat Nithardus *c*), qui graues querelas affert, et uicem reip., iacturamque regni, quam, diuturna hac dissensione et fatali diuisione, fecit, deplorat. Assensum ei fert Adamus Bremensis, et, luctuoso hoc bello, uires Francorum consumptas, asseuerat *d*). Ex his Helmoldus, qui, infensam hanc discordiam infe-

I 4 stamque

c) Libro IV, p. CV.

d) c. XXII, p. VII.

ſtamque doctrinae Chriſtianae fuiſſe, palam teſtatur *e*).

CAPVT IX

Turbidum optauerant *Antiſtites*, ac belli diſſenſionibuſque materiam quaeſierant ſacerdotes iam pridem, ut auctoritatem, ambitionemque tenerent. Commode obtinebant hoc bello, et eandem, quam Germanorum fere olim habuiſſe, ſupra demonſtrauimus, ut pacem, ſine conſilio ſacerdotum, inire, minus auſpicatum, arbitrarentur. Quibus adeo rebus fiebat, ut ſummum in rep. locum dignitatemque affectarent, mox impetrarent, et legationes, reipublicae cauſa, obirent. Vindicabat, arroganter quidem, ſibi ſecundum in imperio Lotharii locum Guntbaldus, monachus, quem Bernardus, Dux Septimaniae, tenebat, ne ſine praemio pacis conciliationem, inter Ludouicum Pium et filium, renouaſſe uideretur *f*). Auſpicia augures ſacri iſti praenunciabant, ac pacis conſtituendae rationes, et cauſas diuinitus ueluti inſtituti expromebant antiſtites, euentuſque conſilii aperiebant, et caſus prudentia ſacra auerruncabant conciliatores, iuris diuini humanique peritiſſimi, ſalutemque adeo coetui etiam ſacro, quem conſiliis turbaue-

e) L. I, c. IV.

f) Nithardus libro I, p. LXXXVI.

bauerant, poſtliminio reddebant, ut bellum conflare, et pacem, quando uiſum fuerit, componere poſſe uiderentur. Cum Lotharius, uictus praelio, fractuſque animum ad manſuetudinem flecteret, et fratribus propoſitum, de renouanda nunc demum, et firmanda, pace aperiret, hi ipſi, Ludouicus et Carolus, oblatas ſibi conditiones accipere ante iniquum, putabant, quam antiſtites in conſilium adhibuiſſent, in horum conſiliis auctoritatem diuinam ineſſe, pie ſimpliciterque, ut perſuadebant uiri religioſi, rati. Semel atque iterum hoc factum, Nithardus, locupletiſſimus ex illo tempore teſtis eſt, qui, arbitrium eius ineundae penes hos conſiliarios fuiſſe, perſpicue affirmat. *Et primum quidem*, inquit ille, *uiſum eſt, ut rem ad Epiſcopos ſacerdoteſque, quorum aderat pars maxima, conferrent, ut illorum conſultu, uelut* numime diuino, *harum rerum exordium atque auctoritas proderetur. Et hoc illis, quoniam merito ratum uidebatur, commiſſum eſt.* Longum foret, afferre omnia antiſtitum conſilia, quibus Lotharii contra parentem diuum, et fratres bella, eorumque cauſas et euentus explorauerunt, adeo, ut conſiliarii ſacri iſti aegrius pacem admittere, nec niſi, difficilima conditione, uellent. Cauſae illae, quas recitat Nithardus, planae ſunt, et perſpicuae, nec ad inuidiam ſacerdotum comparatae, niſi, quod,

propterea reipublicae inutilem, temere pronunciabant *g*).

CAPVT X

Magis in dies magisque crescebat *Pontificum arrogantia*, auctoritas antistitum aulas occupabat, sacerdotum ambitio et luxus omnium concitabat admirationem, nemo, qui reprimere, tot tantisque patriae turbis, auderet, reperiebatur. Illi enimuero, delata ad alios religionis cura, reipublicae negotia, per causam religiosae conscientiae, curabant adeoque, singulari pietatis specimine, causas in foro agebant, et de belli ac pacis conditionibus constituebant. Haud secus, atque Druides olim, quorum ueluti literas et tabulas, arctius olim conditas, nunc reclusisse, maximo reipublicae detrimento, et coetus sacri periculo, uidebantur. Itaque nunc demum disciplina, tanta ante cura, prudentia, labore, legibus, per Carolum uincta et confirmata, inclinabat, atque remittebat, uiuo etiamnum ac superstite Ludouico, imperatore, qui, suscepta diuisione, occasionem dabat, filii, Lotharius, Ludouicus et Carolus, perpetua prope uitae dissensione, et turbido patriae statu, atque intestino bello, augendae antistitum ambitionis causam suppeditabant, et materiam subministrabant, ut coepisse cum Caro-

g) L. IV de Dissens. fil. Ludou. p. CIV, CV.

Carolo, expiraſſe cum filio iam, uideretur. Quae licentia ſacerdotum regibus proceribuſque imperii grauis et intolerabilis erat, et omnes illi cauſas, quibus imminuere potentiam antiſtitum poſſent, et arrogantiae uim neruoſque praecidere ualerent, conquirebant, ſacrorum miniſtros, in ordines, quibus parere oportebat, redacturi. Sed uires iam tum ſumpſerant, et auctoritate ualebant, quam infringere, ac debilitare ſibi demum ac reipublicae pernicioſum, animaduertebant. Vel hinc patet et manifeſtum eſt, antiſtites, et ſacrae ſocietatis uiros, primas tenuiſſe, quod ipſi reges, ac principes Germaniae uiri, ex monaſteriis reſponſa petebant, ac, de belli paciſque cauſis acturi, ſacerdotes, penes quos, ueluti cauſarum patronos, ac reipublicae moderatores, controuerſiarum in foro peritos, arbitrium erat, in conſilium aduocabant, atque, ex eorum decreto, ſententiam pronunciabant, fineſque conſtituebant, et controuerſias, his oraculis, minuebant. Quare, cum, id agi, intelligerent, ut ſua licentia, quae ſancta erat, peteretur, anno ſeculi noni xcv ſex et uiginti praeſules, rectoreſque coenobiorum, et alii concilio Triburiis, quae uilla regia Moguntiam inter et Oppenheimiam ad rhenum erat, coacto, de aſſerenda libertate ex Saxonia, Baioaria, Sueuia, Gallia, Lotharingia, deliberatum conueniebant, multa de eccleſiae, uel, ut planius dicam, de redituum

dituum facrorum, qui intercepti fuerant, immunitate recuperanda, ftatuebant, maxime, ut Rheginonis, Abbatis Prumienfis, qui eodem tempore uixit, uerbis referam, *contra plerofque feculares* (quo nomine omnes, ftilo mediae aetatis, comprehenduntur, qui, praeter imperatores, reges ac proceres, curiae praeerant, atque hoc ipfo ab religiofi et facri ordinis hominibus diftincti) *qui auctoritatem epifcopalem* (quam arroganter fibi fumpferant, et regibus non amplius confilia dare, fed leges imperare uolebant) *imminuere tentabant.* Iifdem uerbis retulit Io. Trithemius *b*). Quamuis feculo Carolino antiftites inciperent, imitari mores feculi, ac reipublicae negotia tractare, tamen ciuile imperium, urbiumque dominium nondum confecutos, Schurzfleifchius euincere contendit *i*).

CAPVT XI

Laborabant hoc morbo reges atque Principes, ac fua ipforum culpa, cui mederi deinceps non poterant, tametfi remedia, quae putabant facilia, proponerent, malorum originem et caufas declinaturi. Perfpiciebant contra ea facrorum praefides, moderatoref-

b) Chron. Lib. II, p. LXIX, Trithemius Chron. Hirfaugienfi, ubi plerofque Epifcopos et abbates recenfet, ad An. IↃCCCXCVI, p. XXII feq.

i) De Motibus Belgicis, difp. LI, p. XXXVI, feq.

toresque, esse coenobia aulae propugnacula, unde uiros sumerent reges, qui consiliis rempublicam regerent, ac patriam doctrina ornarent. Sed intelligebant pariter, esse monasteria principum asyla, in quae, uel salutis causa, uel, aetatis uacatione usuri, refugere possent illustri loco nati, esse carceres, in quos, ueluti in perpetuum exilium, ablegarentur, siqua admisissent, culpae noxam deprecaturi, uel, ad alias reipublicae procurationes inepti prorsus ac inutiles, sacris traducere melius tempus, et piis officiis uacare, otio hoc religioso, tutius ualerent. Quae erant causae, cur praesules, et qui locis consecratis praesidebant, ut in uiros, summo genere natos, potestatem sibi uindicarent, atque imperare audacius sustinerent, praesertim, cum imperatores ac reges ipsi, animo ab seculi curis reuocato, in solitudinem istam se abderent, atque ab omni consuetudine remoti, propius ad Dei colloquia et congressum ueluti, accederent, et uitae huius aerumnas perpetua tranquillitate lenirent placide et leuarent. Ipse imperator Lotharius, inita morum, consiliorumque mutatione, uiolatae erga parentem pietatis, infensaeque in fratres uoluntatis, memor, nunc demum instare tempus, intelligebat, cum quidem corpus defatigatione ingrauesceret, ut tot bellorum, conuersionumque dolorem ac taedium praeferret, atque, repositis regni occupa-

cupa-

cupationibus, ad sacrum conuersus ordinem, Numinis irati gratiam conciliaret, religiosoque habitu mutatae rationes uitae significaret, in coenobio Prumiensi, quod delegerat, quod reliquum uitae erat tempus, transacturus *k*). Ita Pipinum, Aquitaniae regem, Otto Frisingensis, eiusque fratrem Carolum, ab Carolo Caluo captos, atque consilio antistitum tonsos, ordinique sacro ascriptos, Schurzfleischius, docent *l*).

CAPVT XII

Nihil opus est afferre complures, qui, uitae sanctioris persuasione, in eandem sententiam adducti, ita sibi suaeque saluti consulere uolebant, re ipsa superstitioni praesidio erant et ornamento, quorum exempla, licet non illustri semper familia orti, pecuniosi tamen, et ditiores homines, religiose imitabantur. Antistites, ac coenobiorum prae-

k) Annales Fuldenses, qui VI KL. Octobr. an. IↃCCCLV obiisse, memorant. Otto Frisingensis L. VI, c. I, Hermannus Contractus et Albertus Stadensis ad Annum IↃCCCLV.

l) Otto Frisingensis dicto ante loco, Schurzfleischius ex Annalibus Franc. de Diuis. imp. Carol. § XXVII. Ante hos de Childerico, Francorum rege, Eginhardus, c. I, de Tessilone, Boioariae duce, eiusque filio, Theodone, Vadianus de Mon. Germ. T. III Goldast. p. XXII. De aliis infra pluribus constabit, quam fortunam in coenobiis inuenerint.

praefecti, sibi hoc pacto de fortunarum accessionibus gratulabantur impensius, principum uero potentiam ac uires atterebant callide, et labefactabant *m*). Cum itaque opes in coenobiis crescerent, summi uiri ac principes eo suas liberaliter conferrent, ipsaque coenobia, maiori numero aucta, et recens condita, liberalia uitae otiosae praesidia complecterentur, monachi pietati ac seueriori disciplinae, industriaeque nuncium remittebant, coenobia oneri magis, quam ornamento, Germaniae erant, quod pluribus deinde argumentis conficiemus.

CAPVT XIII

In doctrina *corruptelae* accedebant quotidie plures, quae rei christianae maximopere officiebant, apud eos cumprimis, qui nondum sacris christianorum erant initiati. Iactabant enim insolentius sese somniis, colloquiisque cum coelitibus, et miraculis, atque huius generis pluribus commentis, quibus nomen pietatis, addo etiam fidem, in rebus dubiis atque suspectis, aucupabantur, cum apud exteros, tum etiam Germanos. Io. Turpinus, uel, quisquis auctor historiae *de gestis* Caroli M. sit, ut fabulas multas interposuit, ita, ut fidem conciliaret, passim *ecstases*, et diuinatio-

m) Christoph. Lehmannus Chron. Spir. L. II, c. XLIII pluribus, quod breuiter commemoraui, auctoritatibus probat.

nationes praedicat, maxime eas, quas ſuper obitu Rolandi, Caroli M. ex Bertha, ſorore, nepotis, ipſiuſque etiam Caroli, ſibi obtigiſſe, tradit *n*). Has perſuaſiones probabant ipſi reges ac principes, diuinationiſque originem, quam proponebant noui uates illi, augureſque, diuinitus profectam, opinabantur. Hinc Ludouicus Germanicus uiſus eſt, per ſomnum, uidere patrem Ludouicum Pium, auxilium precum, uti ex igne, quem uocant, *purgatorio* quantocyus liberaretur, flagitantem. Eius rei cauſa rex omnes antiſtites regni in ſocietatem precum aduocabat, et cupiebat, ut eius pietatis, qua ſacris addictior ſemper fuiſſet, qua Deum omni ueneratione coluiſſet, ſacrorumque miniſtros in omni uita, ſalutis cauſa, fouiſſet, rationem haberent, et, pro liberando parente, quanta poſſent, cura, et induſtria laborarent *o*). Quae commenta incertum, utrum ad Ludouicum, an ad auctores hiſtoriae referam, qui, ſacris uenerationem conciliaturi, has nugas uel ſummis etiam Principibus, ſingulari cauſa, commendauerunt, uel ipſi effinxerunt. Alioqui certum eſt mulieris cuiuſdam exemplo, quae hoc iam tum ſeculo, in dioeceſi Moguntina, ab ſacerdote quodam, ut confeſſa deinceps eſt, excitata, com-

n) c. XXV et XXXII, p. LXXXVII T. Reuber.

o) Annales Fuldenſes ad An. IↃCCC LXXIV, p. LXXXIV et XXXVIII, et Lehmannus L. III, c. XLIII, Chron. Spir.

comparuiſſe ſibi *Angelum*, mentita eſt, cuius iuſſu, diem inſtare extremum, praenunciaret. Comprehenſa mox, enunciauit, ſe quaeſtum ex nouo hoc aucupio cepiſſe, multos tamen hoc ipſo fefelliſſe *p*). Turbas maxime excitabat per idem tempus Godeſchalcus, nobili Francorum ſtirpe, ut nonnulli planius teſtantur, ortus, et ingenio, doctrinaque clarus, at in monaſterium, ſacrumque ordinem, receptus inuitus, oneri potius, quam praeſidio, erat et adiumento, et doctiores in ſacro ordine uiros committebat uehementius, ac concitabat, ut ſententias diuiderent, et controuerſias liteſque mouerent, compluribus licet conciliis, non tamen penitus finiendas. Docebat namque, errore, noſtra memoria, etiamnum memorabili, homines quoſdam uitae aeternae, quoſdam morti, diuinitus deſtinatos, quos *praedeſtinatos* in ſcholis uocant, atque complures, ut refellerent, commouebat, uirgis deinde, quae decertantium pro incolumitate eccleſiae tum erant arma, caeſus et regno pulſus. In conuentu Antiſtitum, Moguntiae, per Rabanum, praeſulis Moguntini, fama inclyti, iuſſu Ludouici, regis, coacto, conuictum Hermannus Contractus *q*) docet, attamen cauſam, cum alias tuendam ſuſciperent, manſiſſe quodammodo uictricem, aut ambi-

K guam

p) Trithemius Chron. Hirſaug. ad annum IↃCCC XLVIII, p. XII.

q) ad An. IↃCCC XLVII, ſeq.

guam certe V. C. Vrbanus Godefridus Siberus, copiose demonstrat r). Annales Francorum, quorum fides praecipua est, ita Godeschalci res, sententiamque concilii, enunciant, *Godeschalcus, quidam presbyter, de praedestinatione Dei praua sentiens, rationabiliter, ut plurimis uisum est, conuictus, et ad proprium Episcopum, Hincmarum, Rhenos transmissus est, prius tamen iuramento confirmans, quod in regnum Ludouici ultra non rediret.* Io. Trithemius, quando in Chronico Hirsaugiensi dicto supra loco, iussu Lotharii, imperatoris, indictum Moguntiae concilium istud, refert, erroris, ac merito quidem, arguitur a Baronio et Lehmanno, dum Ludouicus, Germaniae rex, suis in finibus agere concilia ipse poterat, nec imperatoris ea in re sententiam flagitare, et consensum uoluntatemque explorare, necesse habebat, neque Lotharius, quia Augusti nomen dignitatemque habebat, propterea ius aliquod in Ludouicum, fratrem, sibi arrogabat, quod, paterna uoluntate, saluum integrumque ad extremum relinquebat.

LIBER

r). In historia Godeschalcorum, p. VII, sequentibus, Lipsiae cIↃ IↃ CCXIII.

LIBER IV
DE
POLITIORIS DOCTRINAE INCREMENTIS.

CAPVT I

Ludouicus Pius, imp., religionis propagandae magis, quam literarum ſtudio ornandarum, occupatus, et ſacris, quam humanioribus literis, amplificandis intentior, concionibus hinc ſacris, quam ciuilibus, intererat frequentius, *ſenſum in omnibus ſcripturis ſpiritualem et moralem, nec non et anagogen optime nouerat.* Graecam Latinamque linguam didicerat, ſed tamen eodem plane modo, quo ſupra ex Eginhardo docuimus de Carolo, parente. De hoc enim hiſtoricus elegans, *Latinam ita didicit, ut aeque illa, ac patria lingua, orare ſit ſolitus. Graecam melius intelligere, quam pronunciare, poterat*, de Ludouico Pio Theganus, *Lingua Graeca et Latina ualde eruditus, ſed Graecam magis intelligere poterat, quam loqui. Latinam uero, ſicut naturalem, aequaliter loqui poterat.* Erat uero cognitio utriuſque linguae plebeia et uulgaris, qua

conficiebantur tabulae, cumprimis Latinae, quae elegantiam eius feculi commode declarant. Vel eius tamen rei caufa fuperfedere Latinae cumprimis linguae ope haud poterant, quod ea in facro coetu, et curia folennis erat et ufitata. Poetarum uero carmina, quae puer ille didicerat, refpuebat timide, et afpernabatur, adeo, ut ne audire quidem aut legere uellet. *Poetica carmina gentilia, quae in iuuentute didicerat, refpuit, nec legere, nec audire, nec dicere uoluit f)*. Contemnebat fcriptores profanos, haud dubie, quia metuebat, ne, his ipfis, affidua lectione, affuefactus, animum a pietate reuocaret, neque ea reuerentia Deum immortalem coleret, atque religio chriftiana, quae uix uires collegerat, detrimentum aliquod inde caperet, ftudiumque fanctioris doctrinae refrigefceret, atque auctoritas omnis progreffu temporis, expiraret. Iam tum enim iudicio facile affequebatur, deprauatis hominum, facerdotumque ipforummet, moribus, et corrupto patriae ftatu, ecclefiae fortunam inclinare, atque hinc cafus, qui fecuturi effent, fubitos peruidebat ac praenunciabat. Quae fimul caufa erat, quod maiori commendatione pietas, quam literae, hoc feculo, niteretur. Neque tamen eo ualebat fententia pii imperatoris, ut exiftimarent alii, exterminandos ex fcholis fcriptores,

f) Theganus de geftis Ludouici Pii, c.XIX, p.LXXIV, T. Schilt.

ptores, quorum auſpiciis olim doctrina elegantior floruerat, atque auguſtos ipſa auctores uindiceſque habuerat in Latio literatiſſimos, atque ad elegantiam eruditos.

CAPVT II

Nihilo tamen minus, cum, carere praeſidio literarum ſe haud poſſe, ſapienter intelligerent, exiſtimarentque, omni ratione proſpiciebant iuuentuti, ut mature iis educarentur. Ludouicus ipſe, quod ad puerilem aetatem attinet, Antiſtitibus commendabat, ut alerent ludi magiſtros, qui non modo ingenuorum, ſed ſeruorum etiam, liberos docerent, ut *pſalmos* (quibus mirifice delectatum, accepimus) *canere, ac libros legere diſcerent*. Nobiles autem in coenobiis ipſis inſtituebantur accuratius, atque, literis, quas aetas illa requirebat, politi, muneribus ſummis, ac reip. praeficiebantur. Vigebat illa florebatque diſciplina per haec fere tempora, quibus Carolus et Ludouicus rerum potiebantur, et res literaria, accitis in ſocietatem auxilii aliis, multis magniſque acceſſionibus inſignior erat, praeſertim, cum annuis legatorum regiorum, atque ipſorum Antiſtitum conciliis, in officio continerentur, atque, ut ſuo quiſque coetui doctrina, ac uitae continentia praeirent, monerentur. Antiſtitum munus erat, non modo docere, ſed

res etiam ecclesiae, scholarumque diligenter curare, et, neglectis curis negotiisque profanis, hominum saluti consulere, ac literarum dignitatem, pro uirili parte, tueri. Atque, eius rei causa, constat, ipsos praesules, per legatos imperatorum et regum, sui officii saepius admonitos, ne quid temere negligerent, uel, ab aliis, quibus praepositi erant, negligi, paterentur. Suffragantur nobis Viri iurisperitissimi Ioach. Vadianus et Christoph. Lehmannus, in expromendis declarandisque Germaniae antiquitatibus nauiter uersati, atque ab uiris summis maximopere commendati *t*).

CAPVT III

Tametsi de uirtute remitterent in primis, legesque ordinis ac mores aspernarentur, tamen erant, qui, otio literario capti, in monasteriis disciplinas atque artes ingenuas excolebant, scriptisque industriae rationem reddebant. Rabanus Maurus, initio Abbas Fuldensis, post, ut supra docuimus, Antistes Moguntinus, omnis doctrinae politioris

t) Vadianus de monast. Germ. p. III, et XX, T. III Goldast. Lehmannus multa industria ex optimis tabulis, testibusque illorum temporum recensuit copiose, quae breuiter hic commemoraui, Lib. II, c. XXXIII Chron. Spir. Ante hos Eccardus iunior de Casibus monasterii S. Galli c. I, de Salomone Abbate, Tomo I Goldast.

litioris laudem hoc ſeculo complexus, multos inſtituit ac formauit, qui rectius de his ſtudiis exiſtimabant, quam alias homines inepti et otioſi. Teſtem aduoco Io. Trithemium, qui elogia, quibus efferre ſcholam Rabani debeat, uix conquirere ſatis idonea poſſe uidetur. *Tenuerat*, inquit, *Rabanus adhuc monachus ſcholam monachorum publicam in coenobio Fuldenſi, quam etiam Abbas continuauit, in qua monachos non ſolum in ſacris ſcripturis, ſed etiam in ſecularibus literis* (per ſeculares literas aeui medii ſcriptores, cum primis Trithemius, intelligunt literas humaniores omnes, liberaleſque artes, quae tum in Germania aliquo loco numeroque habebantur) *omnifariam erudiuit. Nec ſolum Fuldenſis coenobii monachos, ſed etiam ex diuerſis locis aliis ad ſe tranſmiſſos, multos in omni genere doctrinae diſcipulos inſtituit u*). Eandem fere in ſententiam ſcribit in uita Gerungi, qui Lindberto in coenobio Hirſaugienſi ſucceſſit, atque ex eiusdem Mauri diſciplina prodiit, *Mos erat*, ſic enim ibi loquitur, *in Fuldenſi coenobio his temporibus, monachos non ſolum in ſcripturis ſacris inſtituere, ſed etiam in omni ſecularis ſcientiae literatura ad plenum erudire. Probe enim iudicabant ſapientiſſimi uiri, diuinas ſcripturas neminem poſſe perfecte intelligere, quem literas ſecularis doctrinae contigiſſet ignorare. Extant multa mona-*

u) in Vita Lindberti, Rabani diſcipuli, atque Abbatis primi Hirſaugienſis, Chron. p. IX.

chorum iſtius temporis praeclara uolumina, in quorum comparatione ea, quae hodie cuduntur a pleriſque, tanquam paleae uileſcunt. Laudant Ioachimus Vadianus, et Henricus Petreus, cum de diſciplina ueterum coenobiorum ex inſtituto commentantur, Fuldenſe, Corbeienſe, Hirſaugienſe, Laurisheimenſe, VVeiſeburgenſe, Prumienſe, Caeſarienſe prope Nordlingam, Tuicenſe, Gemblacenſe, Treuirenſe, Sangallenſe, et alia, in iiſque gymnaſia, quae pro Academiis erant, eorumque, licet paullo poſt coeperint, fama tamen, cum iuuenes ad pietatem et humanitatem in eis informarentur, Germaniam maxime illuſtrabant *x*)

CAPVT IV

Sed, ſi ſcriptorum, qui de diſſidiis, per Ludouici Pii filios, poſt diuiſionem factam, excitatis, ex inſtituto et data opera, expoſuerunt, querelas conferas, et penitus conſideres, uideas, literas, quae uix ac ne uix quidem in Germania explendeſcere coeperant, uiciſſitudines tum quoque ſubiiſſe, cum non ingenia quidem, qui dignitati earum conſulerent, deeſſent, attamen, qui praemiis excitarent, et patrocinio tegerent, uel maxime deſiderabantur. Certum illud eſt, artes ingenuas, et literas omnes, non modo ab interitu

x) Vadianus l. c. p. XX, Petreus de Monaſteriis, p. XI.

teritu et ruina incolumes et saluas futuras fuisse, sed etiam propius ad cultiorum laudem gentium accessuras, siquidem omnes, qui Carolo M. literarum statori maximo, succedebant, simili amore in haec studia excitati, tanto ardore uiros, liberali doctrina eruditos, fouissent, et Augusti illi, augustam doctrinae humaniori dignitatem statuissent, ac uirtute sua musas, quae summorum praesidio innituntur, tueri ac defendere non destitissent. Sed, quae de Arnolphi, imp., successoribus Augustis querela iam tum erat, ea huc etiam pertinet, si literas, earumque existimatores consideres, ut, bellis quidem, et Martis ui dediti, ac Caroli similes esse cuperent, non uero propensa in musas mansuetiores uoluntate, addo etiam auctoritate, et existimatione, pares uiderentur. Causas omnes disciplinae, ad interitum uergentis, si altius repetas, animaduertes sane, tribui eas oportere imperatoribus ac proceribus, tribui deinde religiosae societatis uiris, quorum industria hic requirebatur, oportere. Etenim principes reipublicae uiri atque omnes, quibus cura commendata praecipue erat, ab maiorum pietate recedebant, atque, in armis salutem positam, arbitrabantur, lucrumque hinc et questum, perturbato patriae statu, expectabant, curam et defensionem doctrinae ad antistites sacrorum, quorum erat magna existimatio, deferebant.

Antiſtites contra his turbis acceſſiones fortunae ambitioniſque cauſam, et facultatum copiam arripiebant, et rem ſuam egregie curabant, ut ſacrorum antiſtites, et cauſarum patroni ac iuris interpretes in foro ſimul haberentur. Quae familiaritas ſacerdotum poſteris temporibus adeo dura erat, et grauis imperatoribus regibuſque, ut multi, quod deinceps demonſtrabimus, depulſuri ſacrum iſtud iugum, diſcrimen honoris adirent, et ſatis diu hoc malo affligerentur.

CAPVT V

Primum hoc ſeculo inter Germanos ex literis famam ſibi comparabant, et cupiditate laudis excitati ad exteros ſe conformabant, ueterum, ſiquidem melior fortuna, quam uoluntas ferebat, fuiſſet, gloriam adaequaturi, et nitorem elegantiamque doctrinae in his finibus, quibus ſanctior Dei coetus uigere coeperat, reſtituturi, quae in prouinciis olim cultioribus cultores amatoreſque nunc deſiderabat. Laude omnes, quos haec aetas uidit coluitque, praeſtabat EGINHARDVS, cuius eloquentiae uis, quam tenuit, commentario illo, breui quidem, attamen ornate, de Caroli M. rebus geſtis, compoſito, elucet, ut, qui primus inter hiſtoricos, ut paullo poſt docebimus, clarus extitit, inter eos merito clariſſimus etiam habeatur,

beatur, qui sermonis elegantia, et humanitate, quae quidem eis temporibus esse poterat, excellere putabantur.

CAPVT VI

I

POESIN Germani ornare statim aggressi sunt, postquam religio Christianorum ad ipsos delata est, quamuis ipsa ingenii monumenta sint obscura. Ante Caroli tamen M. aetatem, quod equidem sciam, nemo, qui clarus fuerit, extitit, ut, ingenium eis quidem non defuisse, arbitremur, sed doctrinae studia desideremus. Post id tempus uero, quam efflorescebant, in hac doctrinae parte, quantum poterant, praestabant Germani, et, si exteris, quibus itidem cultior doctrina ignota erat, non superiores, attamen nec inferiores erant, sed, documentis, quae partim supersunt, pares sese illis demonstrabant, naturae bonitate, quae familiam ea in disciplina ducit, ad diuinam hanc artem excitati. Illud tamen fateri necesse est, iam tum *rhythmos* in poetarum scholis locum cepisse, quem per omne aeuum illud medium tenuerunt, nec moueri sede antiqua potuisse, quam penitus doctrina elegantior, quinto decimo seculo, in Europa restitueretur. Vnius Poetae Saxonis exemplo perspicuum

cuum eſt, qui, ut primus, in gente Saxonum, ea gloria floret, et antiquiſſimus omnium eſt, qui carmine excelluerunt, ita hanc fingendi carminis rationem iam tum tenuit, et exemplo ſuo, quod alii haud dubie ſecuti ſunt, probauit, in ſchola, cuius alumnus fuiſſe dicitur, Paderbonenſi etſi non omnino receptam, non in uitio tamen numeratam, dum ipſe ſaepius ita numeros et rhythmos poſuiſſe uidetur.

II

Inter poetas, qui clariores, et omnium primi erant, familiam fere ducit RABANVS MAVRVS, gente Germanus, atque initio monachus, poſt Abbas Fuldenſis, denique Antiſtes Moguntinus, et Albini Flacci, Angli, quondam diſcipulus, ac uirtute meritiſque, in rem literariam maximis, ut ſupra docuimus, immortalis, omniumque ſermonibus atque linguis, qui cum literis operam dabant, maximopere celebratus. Multa et praeclara extant, et, propter meritis in poeſin, maxima elogia, quae repetere hic et cumulare nolo. Martinus Polonus, ut de reliquis taceam, *poetam magnum* uocat, et ea laude iam floruiſſe, indicat, cum in coenobio Fuldenſi monachus adhuc eſſet, et docendi laudem impetraret *y*). Conſentit Caſpar Bruſchius, et philoſophum, rhetorem, aſtronomum, et poetam, nulli poetarum ſui tem-

y) in Ludouico, p. CCCLXII Tomo Schilt.

temporis ſecundum, uocat, cui nec Italia ſimilem, nec Germania peperiſſet aequalem, Io. Trithemium, qui pleraque, quae de uita et ſcriptis eius extant, recenſuit, ſecutus, quod lectori, eius rei cupidiſſimo, patebit *z*). Refellit Ger. Io. Voſſius Poſſeuinum, carmine Rabanum expoſuiſſe res Lotharii, Ludouici Germanici, et Caroli, exiſtimantem, et, per temporum rationes, fieri haud potuiſſe, aſſeuerat *a*). Memorat cetera Hermannus Contractus, librum, de *Sancta cruce*, uariis figuris metroque compoſitum, Sergio, Pontifici, tranſmiſiſſe ad An. IↃ CCC XLVII.

III

Doctori iungunt diſcipulum, fama meritiſque perinde clarum VALAFRIDVM STRABONEM, monachum initio Fuldenſem, tum Decanum Sangallenſem, denique Abbatem Augiae diuitis, ſiue, ut alias uocant, Richenauiae in Sueuis. Quanquam Melch. Goldaſtus, ſcholae duntaxat Gallenſis alumnum fuiſſe, memorat, Decani munere functum, non addit, ſed inde ad Fuldenſes, poſt ad Augienſes, commeaſſe, tradit *b*). Nolo hic repetere, quae adduxit Melch. Goldaſtus, Ger. Io. Voſſius, ex hoc Iac. Fr. Reimannus, contra Io. Trithemium, et,

z) Trithemius de Script. Eccleſ. p. CCLIII in Oper. Bruſchius in Chronolog. monaſt. Germ. p. CCIII.

a) de Hiſtoricis Latinis L. II, c. XXXV.

b) T. I Rer. Alaman. p. CXLI.

et, qui Trithemium secuti sunt, Surium, Gesnerum, Frisium, Baronium, VValafridum Abbatem et Strabonem, monachum Fuldensem, perperam, distinguentes. Multa ligata et soluta oratione scripsisse, memoriae prodidit Hermannus Contractus ad Annum IↃCCCXII, qui etiam, anno seculi huius XLIX (non IↃCCCXL, ut apud Goldastum dicto loco extat) obiisse tradit, addunt hic *Vitam et miracula diui Galli*, utroque item sermone ab eo confecta, quorum illam orationem, quae numeris astricta est, superesse in monasterio S. Galli apud Heluetios, asseuerant Henricus Canisius, qui reliqua eius scripta emisit, et Goldastus ita tamen uitiose exaratam, ut, solo ex eo codice in lucem afferre, temeritati potius, quam diligentiae, tribuendum, putent. Alteram, quae duobus libris continetur, edidit post Surium, etiam Melch. Goldastus Tom. II Script. Alamann. itemque de Vita S. Othomari, cum Isonis accessione, quae duobus libris constat c). Io. Trithemius primum Annalium Fuldensium auctorem statuit, ex quo multa se, quae ad Hirsaugiense monasterium spectauissent, petiisse, fatetur in uita Lindberti, abbatis in coenobio Hirsaugiensi primi. Consentit Ger. Io. Vossius, et plura, quae de uitis multorum confecit, ingenii monumenta affert.

IV

c) Plura, quae edidit Strabo, recenset, ab Canisio ui uulgus prolata, Ger. Io. Vossius de Hist. Latinis L. II, c. XXXIII.

IV

Commendat ob humanitatis ſtudia, cum primis eloquentiam, et poeticen Io. Trithemius RVTHARDVM, monachum primum in coenobio Hirſaugienſi, ex Fuldenſi, propter doctrinam, eo dimiſſum, Rabani et Strabonis alumnum. Primus ille diſciplinas ex inſtituto et more Fuldenſium in nouo illo docuit, et totus mente atque animo in literas inſtitit, ut, otio liberali omnino deditus, capeſſere ampliorem dignitatem recuſarit. Memorat inter eius ſcripta celebriora *Paſſionem S. Bonifacii*, carmine heroo, duobus libris laudatam, Trithemius, et plura, quae ad humanitatem pertinent, addit, quae, breuitatis cauſa, omittimus. Quemadmodum et ipſos poetas, quos Trithemius, conquiſitis undique elogiis, exime laudat, *Ericum*, *Rupertum*, *Herdericum*, et plures, quorum ueſtigia, quae ipſe perquiſiuit, at ſine utilitate, aperte produnt, nihil, quod inſigne ſit, memoriae prodere eos potuiſſe. Tum Voſſius his accenſet Monachum Hirſchfeldenſem, qui ita nomen ſuum, obſcure prodidit, HAD. TAC. CVN. et S. Vinberchti uitam, orationem ſoluta a Lupo Seruato expreſſam, carmine complexus eſt *d)*.

V

d) de Ruthardo Voſſius plura L. II. c. XXXV. de monacho Hirſch. L. II, c. XXXVIII.

V

Antiquiſſimus Saxonum, qui res actaque uerſu complexi ſunt, et metro commentarios annaleſque confecerunt, ac poetarum quoque, quos rudis illa aetas uidit coluitque, facile princeps eſt SAXO MONACHVS, alias PADERBORNENSIS dictus, Arnulphi, imperatoris, quod in annalibus ipſe retulit *e*), aequalis, cuius ad laudem duntaxat deeſſe, exiſtimo, quod nomen ipſe ſuum, uel reticuit, uel temporum iniuria obliteratum eſt. Schurzfleiſchius, ut Saxonibus hanc gloriam, quae ex poetice eſt, uindicet, et, inter primos fuiſſe, demonſtret, qui artem hanc in gente ſua dilexerint, hunc monachum exempli cauſa affert, qui, etſi non uenuſtate, quam neque ceteri inter Francos exteroſque aſſequi poterant, ingenio tamen et conatu ceteris non inferior, et laude minor haberi mereatur. *Non recte*, ait ille, *exiſtimant, qui Francorum imperatorum aeuo tantum Francos ſcriptores ea gloria floruiſſe, et ſolos uerſu commentatos fuiſſe, arbitrantur, obliti monachi Saxonis, aliter Paderbornenſis dicti, qui non plane inuenuſto carmine hiſtoriam Caroli M. tradidit, et primus, quem quidem ego ſciam, fuit inter Latinos Saxonicae gentis poetas, et uiſus lectuſque eſt*

ſummis

e) Ita enim tempus, in quod aetas cecidit, patefecit,
NVNC tamen ARNVLPHO merito ſub Principe gaudes,
Qui ſimilis tanto moribus eſt abauo.
Lib. V, v. CCCCXI.

immis uiris Melchiori Goldasto, Reinero Reineccio, Ienr. Meibomio, Hermanno Conringio f). Res mnes Caroli M., seruato annorum ordine, bris quinque, enarrauit, Eginhardum, quem ›se addit, et ueritatis studiosum testem ap-ellat *g*), penitus imitatus, ita, ut uitam Ca-›li, quam ille oratione prosa edidit, nume-s astricta persequatur. Vossius ex Adel-ıo, monacho Benedictino, qui Eginhardum ‹pressit, hausisse poetam Saxonicum, pu-t *h*). Primum in lucem protulit Reiner. eineccius, et, apud Paderbornenses floruisse, ldidit, quamuis, ut illustris Godefr. Guil. eibnitius coniicit, non ipso ex codice ma-ıscripto. Hunc uero membrana exaratum : bibliotheca Iulia nactus, post Io. Schilte-:m, qui pariter repetiit, nouissime Tomo I :riptorum Brunsuicensium ex codice in embrana scripto ex bibliotheca Iulia inse-it Leibnitius, cum, ad Saxonum antiquo-m gloriam accedere propius, et fama, et eritis, intelligeret uir summus.

L CAPVT

f) Dissertationum Academicarum p. XXVI, dissert. XI, item in disp. LXV, de antiqua Saxonum dignitate, §IV, p. VII.

;) L. IV, ad ann. IↃCCCIII, p. XXVIII Tomo Schilt., Tomo I Leibnit. Script. Brunsuic. CLIII,
De uita scriptum Caroli legat ipse libellum,
Quem Francos inter carus ueraxque relator.
A summo prudens Einhardus nomine scripsit.

·) de Historia Lat. l. III, c. IV, p. IↃCCLXL

CAPVT VII

I

HISTORICOS hoc feculum et doctos protulit, et ingenii documentis celebres, quorum aliquot ad posteros uenerunt. In his AEGIL, siue *Aigil*, *Eigil* et *Egil*, ut multis etiam fcribitur, monachus, et post Abbas Fuldensis, Sturmionis, primi Abbatis Fuldensis, cuius etiam discipulus fuit, uitam, quam Christoph. Brovvenes, e codice Bambergensi primus in lucem protulit, descripsit, cui anno ıɔcccxxıı uita functo, Rabanus Maurus fucceffit *i*).

II

Quamuis *Rabano Mauro* tribuat quaedam Ger. Io. Vossius, quae, locum ei inter historicos Germaniae primos deberi, prodant, tamen principe loco commemoramus, cum ob elegantiam, tum propter res, quas apte fcienterque enarrauit, EGINHARDVM, fiue, ut ipse in tabulis fcripsit, *Einhardum*, Caro-

i) Annales Fuldenses ad ann. IɔCCC XXII, Vossius l. c. Schurzfleischius in Stricturis Antiquit. Valdecciae, § IX. Breuiarium Fuldense apud Paulinium Syntagmate rerum Germanicarum, p. CCCC XXVI. Diuersus ab illo est Egil, qui eodem hoc feculo anno LIII, abbas Prumiensis est constitutus, fed anno LX munus deposuit fua fponte, ut Rhegino. Abbas ipse Prumiensis, testis ad hunc annum est p. XLI feq. Consentit ad annum XLIV Io. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi p. XIV.

Caroli Magni perpetuum laborum, rerumque gerendarum socium, et sanctiorem scribam, denique Abbatem monasterii Seeligenstadensis, quod condiderat, primum, ut plerique tradunt. Multi, ducta, uel data potius matrimonio Imma, eius fuisse generum, putant, nouo tamen, quod sciam, commento, quod ex fabulosa illa aetate profectum est, inducti. Enimuero, siquidem eius rei auctor primus est, quem ex bibliotheca Reuberiana primum attulerunt, multo est aetate recentior ille, ac seculo demum duodecimo notus, et, nescio ex quibus schedis monasterii Laurishamensis primum in lucem protractus. Historia ipsa, uti quidem illam commemorat auctor nouus, fabulae similior est, ut, qui illam sequi uelit, fabulas ab historia discernere haud posse, putem. Vt ueritatis caussam consequatur, diplomate Ludouici Pii, quod tamen non probat, quod uolunt in hac caussa, munitur. Fabulae uero occasionem, praeter cetera, dedisse, opinor, quando Eginhardus ipse refert, in prooemio, se, pietate Carolo, et amicitia liberis deuinctum, imperatoris magni res perscribendas suscepisse. Suppetit alia, ab Eginhardo quidem adducta, attamen ea, qua fabulam auctoris refellere simul possis, quando historicus, grauis et uerax, memorat, Carolum magnum filias e complexu suo dimittere haud uoluisse. *Filiorum*, scribit Eginhardus,

et filiarum tantam in educando curam habuit, ut nunquam, domi positus, fine ipsis coenaret, nunquam iter sine illis faceret. Adequitabant ei filii, filiae uero pone sequebantur, quarum agmen extremum ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur. Quae cum pulcherrimae essent, et ab eo plurimum diligerentur, mirum, quod nullam earum, cuiquam aut SVORVM, aut exterorum, nuptum dare uoluit, sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuit, dicens, se earum contubernio carere non posse, ac propter hoc, licet alias felix, aduersae fortunae malignitatem expertus est, quod tamen ita dissimulauit, ac si de iis nunquam alicuius probri suspicio orta, uel dispersa fuisset k). Speciem, quod fateor, praeferunt haec uerba, attamen, quia dimittere eas Carolum noluisse, ipse testis est, neque, post obitum, clarius ea de re in literas quicquam retulit ipse, aut scriptores aequales uel suppares retulerunt, consentio cum Frehero, Quercetano, Pagio, Papebrochio, Baronio, et, qui nouissime de uita et scriptis Eginhardi exposuit, Io. Hermanno Schminckio, statuoque, incertam esse, ac fidem hic scriptorum, qui aetate propinqui sunt, desiderari. Vitam uero Caroli Magni breuiter, attamen elegantius, quam aetas ferebat, perscripsit, eo consilio, ut memoria tanti imperatoris ad posteros incolumis maneret. *Mihi,* ait, *conscius eram, nullum ea ueracius, quam me scribere posse,*

quibus

k) in Vita Caroli M. p. IX. Tomo Reuber.

quibus ipse interfui, quaeque praesens oculata, ut dicitur, fide cognoui, et, utrum ab alio scriberentur, nec ne, liquido scire non potui. Venustate superat suae aetatis historicos, et Suetonium, uti quidem Casaubonus animaduertit, imitandum sibi proposuit, sed tamen, quia seculo, quod literis politum non erat, uixit, suspicari coeperunt uiri literatissimi, eum emendatius Hermannum Nevvenarium edidisse, atque alios, ut idem deinde facerent, sua auctoritate fefellisse. Succenset fere Nevvenario Ger. Io. Vossius, quum plane de huius in emendando Eginhardo conatu suspicionem prodit, *Nec praetereundum est, primum Eginharti editorem, Hermannum Neuenarium, non institisse antiquo codici, quem habebat, sed in eo fuisse, ut passim floridius loquentem induceret. Quod eius institutum, ne quid dissimilem, probare neutiquam possum. Eoque magis displicet, quod etiam, qui postea Eginhartum typis diuulgarunt, hanc Neuenarii, comitis, editionem secuti fuerunt l*). Iustum Reuberum, ut conicio, petit, qui ex eisdem codicibus, Neuenarii labore iterato, Eginhardum, inter reliquos Germaniae scriptores, primo iterum loco collocauit. Atque iam tum Reuberi tempore de Neuenario ita suspicatos fuisse, hic ipse in prooemio obscure prodit, quando, se nihilominus uiri, generis dignitate illustris, praeclara de Eginhardo merita re-

l) Lib. II, de Histor. Lat. cap. XXXIII.

nouaturum, prooemii principio monet. Sed, tametsi ipse non diffitear, elegantiorem quodammodo scribendi formam uideri, quam ex illa aetate constat, tamen, quia Adamus Bremensis *dulci calamo* scripsisse Eginhardum, disertis testatur uerbis *m*), et, quod mihi certius est testimonium, Albertus Stadensis penitus fere eum, quemadmodum infra docebimus, descripsit, ut expressit, post Neuenarium, Reuberus, et Reuberus non aliter ex codice manu exarato repetiit, quam Neuenarius, Eginhardo laudem elegantiae eripi uix posse, arbitror, nisi quis et Neuenarium Albertum Stadensem mutasse, dicere et enunciare uelit, quod tamen nec dum quisquam existimauit. Denuo bis, nostro hoc seculo, in uulgus editum, accepimus, anno quidem septimo per Io. Georg. Leucfeldium *n*), et undecimo per Io. Hermann. Schminkium, Traiecti ad Rhenum, qui non modo libros manuscriptos euoluit et adhibuit, sed notis etiam Besselii, Bollandi et Goldasti auxit, et uitam Eginhardi praemisit, ut opera omnes superasse hic uideatur *o*).

In

m) Lib. I Hist. Eccl. c. XXX.

n) Quod ipse narrat in Antiquitatibus Northeimensibus, p. CCLXIII, seq.

o) Repeto haec ex ipso Io. Georg. Leucfeldio. Cetera de Io. VVeinkenii Eginhardo, ecclesiae Seelingstadensis fundatore, illustrato et uindicato, uide CL. auctorem bibliothecae Halensis, P. XXXIV, n. VI, p. CCCXXXIX, sequentibus.

In Chronico Laurishamensi, quod Marqu. Freherus edidit, liber eiusdem affertur, quem de *Translatione et miraculis Sanctorum Marcellini et Petri martyrum*, conscripsit *p*).

III

Eginhardo tribuunt etiam ANNALES REGVM FRANCORVM, *Pipini Caroli et Ludouici*, Andreas Quercetanus, Petrus de Marca, et P. Lambecius, Iac. Frid. Reimannus *q*). Atque alias diximus, non plane differre scribendi rationem, quae in utroque opere comparet. Primum publici iuris eos fecit Herm. Neuenarius, et monachum D. Benedicti Ordinis praefecit auctorem. Iustus autem Reuberus, quatuordecim annorum supplementum nactus, denuo repetiit, et annos, quos praedixi, addidit, atque *Astronomo et Ludouici regis domestico*, tribuit, auctore supplementi ipso, qui id nominis sibi tribuit ad annum ꟾↃ CCCXXXIX, et, rei mathematicae se peritum, ipse perhibet, adductus.

IV

Inter historicos numeratur merito VVALAFRIDVS STRABO ob uitas SS. Galli atque Othmari, quas supra commemorauimus ab Goldasto in lucem publicam emissas.

V

FRECVLPHVS, uel, ut alias dicitur, *Treculphus*, monachus initio Fuldensis, post

 Lexo-

p) p. LXV T. I Freher.

q) in Introd. in Hist. liter. Germ. L. II, p. CCCXXXV

Lexouienſis in Galliis antiſtes, chronico, quod, duabus partibus diſtinctum, reliquit, clarus. Primam partem ob orbe condito ad Chriſtum natum deduxit, alteram ad tempora Francorum et Longobardorum, atque hanc Iudithae, Ludouici Pii coniugi, inſcripſit. Oxonii manuſcriptum eius ſupereſſe, Ger. Io. Voſſius teſtis eſt, Coloniae tamen et Heidelbergae ſexto decimo ſeculo exiiſſe, Iac. Fr. Reimannus prodit r).

VI

THEGANVS, gente, ut VValafridus Strabo tradit, Francus dignitate *Chorepiſcopus Treuirenſis*, tempore Ludouici Pii imp. uixit, cuius res magna fide, et iudicio perſcripſit. Quod etiam potuit, quia multa, quae de pio imperatore commemorat, ſingularia probant, eum propius ad conſuetudinem Ludouici acceſſiſſe. Ipſe, ſacrorum licet adminiſter, nihilominus improbat indulgentiam domini, qui, conſiliis illorum obtemperans, ſibi damnum contraxiſſet. Tum de diſſidiis, quae inter patrem et filios ex diuiſione conſecuta ſunt, ingenue tradit. Vt mirari ſubeat, ſcriptori eam tum libertatem integram fuiſſe. Nam, ipſo adhuc ſuperſtite Ludouico hunc commentarium edidiſſe ſuum, ex uerbis, quae uotum pro ſalute Ludouici Pii continent, perſpicuum eſt et planum. Ludouico

r) Voſſius de Hiſt. Lat. L. II, c. XXXIII, Reimannus l. c. p. CCCXXXVI.

co tamen fidem, atque in miseriis calamitatibusque propensiorem uoluntatem testatur, uicemque eius grauiter dolet. At Thegarium dilexit eximie VValafridus Strabo, quod uel ex eo intelligitur, quia breui prooemio institutum laudauit, et, uirum acri animo, attamen simul iustitiae deditum, et ueritatis studiosum fuisse, palam profitetur, et nihil in commentario, nisi scribendi elegantiam, desiderat, neque uero excusationis causam omittit, cum docet, negotiis sacris occupatum illum tenere et consectari haud potuisse. Interim capitibus distinxit Strabo, amore etiam erga Ludouicum Pium adductus. Primum edidit Petrus Pithoeus, posthunc Io. Schilterus, uterque, ut diutius superstes esset, scriptorum operibus inserendum, existimauerunt *f)*

VII

NITHARDVS, Angilberti filius, Caroli M. ex Bertha, filia, nepos, adeoque regia stirpe procreatus. Quod ipse commemorat, et, cum de Angilberto, patre suo, exponit, *Ex eiusdem*, addit, *magni regis filia, nomine Berchta Harnidum fratrem meum, et me Nithardum genuit t)*. Quare inscriptio libri ita habet, *Nithardi, Angilberti filii, Caroli M. imp. ex Bertha filia, nepotis* etc. Ipse, quia legationes obierat, et bellorum calamitatumque

L 5 socius,

f) V. Vossius de Hist. Lat. L. II. c. XXXIII.

t) Lib. IV, p. CVII Tomo Schilt.

ſocius, denique pacis conciliator et adiutor fuerat, res, quibus ipſe interfuit, cauſaſque omnes penitus perſpexit, perſcripſit accuratius et enumerauit, ut geſtae ſunt, iuſſu, quod in prooemio declarat, Ludouici et Caroli, quorum cauſam defendebat, ita, ut odio nonnihil indulgeret, et Lothario ſuccenſere grauius uideretur *u*). Reipſa ibi fere incipit, ubi Theganus ſubſtiterat, diſſidiaque, et bella, quae inter Ludouici Pii filios, maximo reipublicae incommodo, gerebantur, perſequitur, atque hinc opus ipſum, hoc nomine edidit, *de Diſſenſionibus filiorum Lodbvuici Pii ad annum uſque Iↄ CCCXLIII Libri IV.* Poſt Pithoeum, du Cheſnium, edidit Io. Schilterus *x*). Adamus Bremenſis Nithardum *capellanum* Ludouici, uel Gaudberti potius, Epiſcopi, memorat, martyrium ſubiiſſe, quem ab noſtro diuerſum eſſe, temporum rationes docent *y*).

VIII

CANDIDVM mox addit hic Voſſius, qui *uitam Aegilis*, abbatis Fuldenſis, monachus metro, et proſa oratione, auctore et ſuaſore Rabano Mauro, ante uero, auctore Aegi-

u) ipſe Nithardus Lib. II, p. XCI et XCVII, item L. IV, p. CCIV, ad. Schurzfleiſchius de regno Auſtraſiae Diſp. IV, § XII.

x) Vid. Ger. Io. Voſſius de Hiſtoric. Lat. L. II, c. XXXIV, qui accuratius hic pleraque de Nithardo collegit.

y) dicto loco c. XXI, p. VII.

ıegile, *uitam Bangulfi*, uel, ut in annalibus 'aulinianis uocatur, *Baugulfi*, abbatis Fuldenſ, perſcripſit. Illius quidem editam ab ;hriſtoph. Brouero, recenſet Voſſius dicto nte loco.

IX

Eiuſdem aetatis fuit auctor ANNALI-'M FVLDENSIVM, quos initio P. Pi-ıoeus uſque ad annum ıↄ ccc lxxxııı edi-erat, Marquardus uero Freherus acceſſio-es ſeptendecim annorum, uſque ad an. ɔcccc, ex bibliotheca Marci VVelſeri ad-:cit, et, in corpore Script. Germ. parte pri-ıa repetiit, Fuldenſeſque annales nomina-it, et, uel eius rei cauſa, ad Germanos, ſi-llatim ad Fuldenſes, conditorem retulit, uod res Fuldenſium et Moguntinorum di-ȝentius, quam aliorum, commemorauit. 'oſſius hinc etiam ſententiae Freherianae ıuſam petit, quod liberius iuſto de Carolo aluo, tum in Gallia Italiaque rerum po-ente, ſententiam pronunciaſſet, haec talia ɔn auſurus, ſiquidem in Germania rerum mma ille potitus fuiſſet. Itaque colligit oſſius, ſcripſiſſe paullo poſt annum ıↄccc :xv, et ante, quam Carolus Caluus in Ger-ania imperare coepiſſet. Vt conſtet ſibi, bitratur, ſupplementi illius, quod Frehe-s Pithoeano operi deinde addidit, aucto-m eſſe alium, eundemque pariter in coe-ɔbio Fuldenſi, in quo fuiſſe, coniicit, ſem-

per

per penes uirum, eius rei nauiter gnarum, arbitrium et officium, res memorabiles in annales referendi z). Quam suspicionem non sine causa esse, mihi aliisque est persuasum, et supersunt causae ex aetate media, quae non modo in hoc, sed compluribus etiam aliis coenobiis, eam rationem ac consuetudinem receptam, usitatamque, probant, quod uel hinc patet, et perspicuum mihi est, quod multas seculo quinto decimo uideo querelas, quibus, institutum uetus reuocari, optant uiri eius doctrinae cupidissimi, et consilia, quae possunt, commendant.

X

RATPERTVS, natus in pago Tigurino, illustri familia inter suos, monachus coenobii S. Galli, carmine pariter atque oratione soluta celebris. Scripsit enim epigrammata ab Henr. Canisio edita, in quibus Eccardus iunior laudat istud, quod inscribitur, *Ardua spes mundi*, tum *Litaniarum* libellum, in omnibus ecclesiis, ut Eccardus testatur, usurpatum. Inprimis uero eius inter historicos memoria seruatur, ob librum, *de origine et diuersis casibus monasterii S. Galli.* Incipit autem ab Columbano et S. Gallo, horumque uitas breuiter ex peruetustis, quae superfuerant, schedis enarrauit, usque ad Bernardum, annum speciatim IↃ CCC LXXXIII. Atque eo usque progressum, non modo Eccardus

z) Pluribus de hoc auctore Vossius L. II, c. XXXVII.

dus testatur, qui incipit ab Salomone, cuius fuit Ratpertus condiscipulus, quique Bernardo successit, uerum etiam Goldastus integrum eo usque edidit ex sex manuscriptis libris, quorum duos habuit in monasterio S. Galli, duos subministrauit Bartholomaeus Schobingerus IC., et duos ipse in bibliotheca sua conseruauit. Monet praeterea, confundi a plerisque Ratpertum, monachum pariter, doctrina et genere insignem, cum nostro, cuius nepos tamen fuit, et illi carmina haud dubie tribui, quae huius essent *a*).

XI

ISO *magister*, monachus S. Galli, apud Rheuguscos, in Alemannia nobili genere procreatus, doctrina et meritis celebratur. Discipulos enim educauit doctissimos, Notkerum, Balbulum cognomine, Tutilonem, Ratpertum, Hartmannum, Salomonem, antistitem, plures, qui ipsi scriptis etiam suis praeceptoris Isonis laudes commemorauerunt. Scripsit Iso *de miraculis Othmari*, Abbatis S. Galli, libros II, attamen exigua mole *b*). Edidisse etiam, memorat Goldastus, *Lexicon Latinum, ex omnibus ueterum glossariis collectum*, ac nomine quidem discipuli Salomonis, Episcopi, quod S. Galli in monasterio, et Constantiae in bibliotheca asseruatur. De *Chartis*, quas confecit, Goldastus exponit

a) uid. Vossius L. III, c. IV de Hist. Lat. p. IɔCCLXI.
b) edidit Goldastus T. I, P. II.

nit c). Mortuus est in Grandiuallensium coenobio An. seculi LXXXVII. Meminit eius de Miraculis S. Othmari libri, Vossius d), attamen adhuc manuscripti. Supersunt et alii eodem in loco, in his Ermenricus, monachus Eluangensis, qui iussu Lantonis, Episcopi Augustani, uitam Magnoaldi, cui ab miraculis magni cognomen impositum est, ab *Theodoro Eremita* inchoatam, perpolit iuxta ac emendauit e).

XII

Addit hic Vossius, ex eoque Reimannus, *monachum Sangallensem* ab Henr. Canisio editum, et *Bononem*, Corbeiensem abbatem, cuius Adamus Bremensis meminit f), denique *Altfridum*, Antistitem Monasteriensem tertium, qui *S. Ludgeri*, primi apud Monasterienses Antistitis, uitam edidit, et multa certe, quae de Vitekindo M., de auspiciis rei Christianae, in Saxonia ueteri, scire interest, addidit, ab G. Guil. Leibnitio, ex antiquo Guelferbytanae bibliothecae codice restitutus g). Instituti rationem ipse in prooemio exponit, atque, unde retulerit sua, ita profitetur, *Exempla et actus S. Lutgeri ideo plene comprehendere nequeo, quia non ea uisu, sed auditu didici,*

c) T. II, P. II, p. CXLI.
d) de H. L. L. III, p. IↃCCX.
e) p. CXLI.
f) L. I, c. XXXV, p. XI.
g) Tomo I Script. Brunsuic. n. IV, Vossius L. II, c. XXXV, Reimannus l. c. p. CCCXXXIX seq.

didici, illis attestantibus, qui ab infantia illum nouerant, Hildigrimo scilicet, Episcopo, fratre eius, et Gerfrido, Episcopo, nepote eius, sed et sanctimoniali femina, Herburga, germana eius, nec non et uenerabil. eius presbyteris, Aluberto, Atingo et Thiatbaldo. Scribendi ratio, et dictio horrida est, et nihil, praeter perspicuitatem, laudis tenet. Sic, quando de aere campano sermo est, *cloccas* uocat. res uero singulares sunt, multae alias minus obuiae, atque literis proditae.

XIII

Addimus hic REMBERTVM, uel, ut Henricus Voltherus scripsit, *Reimbertum*, natione Germanum, quem nonnulli Flandris, Vossius Frisiis uindicat. Initio in monasterio Turholt, tum Corbeiensi, monachus, et *S. Anscharii*, cuius *uitam* perscripsit, discipulus, mox in Pontificatu Hamburgensi, successor et Antistes, uita meritisque sanctus, atque anno IↃ CCC LXXXVIII uita functus. Anscharius ingenium praeclarum in adolescente cognouerat, atque hinc, ut literis ad humanitatem informaretur, curabat, Rembertus uicissim, in familiaritatem admissus, et laboris deinde, curarumque comes, gratum se testari diuo praeceptori uolebat, praeclaro, quod de uita eius confecit, commentario, quem laudant auctor uitae Remberti, Adamus Bremensis, Henr. Voltherus. Auctor tamen ille, cuius fides infirmari non

potest,

potest, et ex illo Petr. Lambecius, in Notis ad Rembertum, testantur, hunc non commentarii illius esse auctorem solum, sed condiscipulum quendam, cuius nomen ignoratur, operam una adiecisse suam *b*). Multam industriam praestitit, attamen uaticiniis, diuinationibusque, et fabulis, ut fert illa aetas, indulsisse etiam uidetur. Extat Rembertus in noua editione Lindenbrogiana, per Cl. Virum, Io. Alb. Fabricium nitide emissa.

XIV

Remberti uitam dedit aequalis illi (uixisse enim dicitur tempore Caroli Crassi et Arnulfi) at obscuro huc usque nomine, auctor, cuius mentionem facit Adamus Bremensis *i*), atque ex eo de Remberto nonnulla, quae repetiit Vossius *k*), attulit. Affert etiam multo post tempore Henr. Voltherus Historiam Rem-

b) p. XLIX, et CXXXI, quo in loco Lambecius refellit Adamum Bremensem, qui L. I, c. XXXI, *direxisse* librum istum ad monachos coenobii *nouae Corbeiae* scribit, contra quem demonstrat pluribus Lambecius, *Corbeiam ueterem*, cuius olim Anscharius fuerat socius, in Gallia intelligi oportere. Quod ipse Rembertus testatur p. LXXIV, ubi testes utriusque, ueteris ac nouae Corbeiae de industria S. Anscharii appellat, et clarius indicat, se librum ad ueteris illius scripsisse. Cetera uid. Henr. Voltherus in Chron. Bremensi, T. II Meib. p. XXV, seq. Vossius de Hist. Lat. L. II, c. XXXVII, p. CCCXXIX.

i) L. I, c. XXXII, p. X.

k) L. II, c. XXXVIII, p. CCCXXXIV, Henr. Voltherus p. XXVI, seq. T. II Meibom.

Remberti, et testatur, Adalgarium, qui Remberto antea ab Anschario peregrinationis comes datus est, eique mortuo successit, uitam eius scripsisse, utrum uero eadem haec sit, quam ex Surio Vossius refert, diuinare non queo.

CAPVT VIII

Horrida erat et obscura Germanorum lingua, quoniam in linguis peregrinis addiscendis maiorem operam collocabant, quam in patria perpolienda, ut, in patrio solo nati, Graecam et Romanam, quamuis et eas ne mediocriter quidem tenebant, suam negligerent fere in scholis. Sero scribi Germanicus sermo coepit, quem, ascitis ex peregrinis regionibus literis, characteribus insolitis, atque literis etiam, breuitatis studio, superstitiosius dediti, omissis, uoces corrupte exprimebant, adeo, ut eo minus legi a posteris, aut intelligi posset. Quam in rem multae extant eruditorum querelae, quas colligere nunc, et cumulare nolim. Vnius Iusti Lipsii, exquisito ingenio uiri, uerba sententiam tuentur, quae ex epistola ad Henr. Schottium, IC. Antvverpiensem, cum grauiter ibi, ac pluribus uerbis, de uicissitudinibus linguae Germanicae differit, ita sequuntur, *Appello ad libros, maiorum aeuo scriptos, multa uocabula desita, multa obscura, nec*

nisi coniecturis indaganda. Profert exempli causa iurisiurandi formulam, qua Ludouicus Germanicus et Carolus Caluus contra Lotharium, imp., fratrem, se obstrinxerunt, ab Nithardo, uerissimo eius rei teste, in tabulas relatam, atque a Pithoeo, tum Schiltero in lucem publicam emissam, ab Marquardo autem Frehero pluribus uerbis illustratam. Non uacat nunc, nec libet conferre omnia, et explicare, quae mutata sunt, librariorum, uel quorumcunque aliorum describentium culpa, ut, si Pithoeanum illud cum Schilteriano compares, et, quod Christoph. Lehmannus expressit *l*), exemplum conferas, planum sit, literas formulae perperam fuisse scriptas, ut alii aliter, describendo, legendum semper sint arbitrati. Istud tamen, quod Freherus ex antiquissimo omnium, et primo libro manuscripto, ut praedicat, exprimendum curauit, exemplum sisto hic, et, quae addit ille de uicissitudinibus linguae Germanicae breuiter attingo. Est uero formula, ut Teudisca, quod Nithardus obseruat *m*), lingua pronunciauit, ita superstes, ***In Godes minna ind durch tes Xristianes folches ind unser bed hero gehaltnissi fon thesemo dage frammordes so fram so mir Got geuizzei indi mahd furgibit. So hald ih thesan minan bruodher. . . soso man mit rehtu sinan bruodher scal, inthi***

l) Chron. Spir. L. II, c. XLV.
m) L. III, p. CXCI.

ıtbi utbazer mig ſoſo maduo, indi mit Lutherem ıno theinni thing ne gegango zhe minan vvillon ıo. . . . ce ſchadhen vverben. Comparet ſimul ibi Ludouici iuſiurandum lingua Romaa, ut Nithardus uocat, attamen Gallica et .omana mixta, et penitus deprauata, et poıli ſacramentum, quae breuitatis cauſa oıitto. Ex quibus conficit Freherus, utramue Romanam illam, quam Franci ipſi ruſtiım Latinam appellabant, et Teudiſcam intellexiſſe Ludouicum et Carolum, fratres, ım ex uocibus *Piſcoteſheim*, Caroli, et Luouici Pii uerbis extremis, *buz buz* (quae uox *ras* ſignificat) inde ab Clodouaei tempore, robat, Germanicam Linguam Francis receptam, atque his, quae ad extremum adiicit, erbis coarguit Gallos, *Quapropter recte faent cordatiores Gallorum, qui linguam Teutonim (quam uulgus inſulſum ceu barbaram et innditam contumelioſe Barragouin uoce pluſquam ırbara uocat, quam ſuis maioribus ipſiſque adeo imis, et laudatiſſimis regibus, gentilem et uerıculam fuiſſe agnoſcant, ſi non ipſi addiſcunt, et ıenter uſurpant, certe ob antiquitatem, copiam, maieſtatem, admirantur, ipſamque Germaniam ea, qua olim Romani Ilium, ueneratione bant n).* Complura idem Lipſius ex ueteri *'alterio*, quod Arnoldus VVachtendonckis habuit, ſub idem tempus ſcriptum, Laıum quidem, ſed inter uerſus et regiones, ad

n) p. CXIX. T. Schilt.

ad ſingula uerba Germanica, interpretatione addita, affert uocabula, quae ſi quis ſine interprete intelligere et aſſequi uelit, multum, attamen et iſtud fruſtra, tempus conſumet. Quae eo conſilio affert, ut demonſtret, Germanam illam, nobilioribus atque honeſtioribus uſitatam, Romanam uero illam corruptam, ſiue, ut planius loquitur, Gallicam illam, ex Romana conflatam, plebi duntaxat placuiſſe. Quod perſpicuum eſſe, docet ex Canone Concilii Turonenſis, Caroli M. aeuo, quo Epiſcopus iubetur, ſermones ſuos, quos *homilias* in ſcholis ſacris uocant, *transferre in ruſticam Romanam Linguam*, qua uocis ſignificatione diſtinguitur antiquior et cultior Latinitatis aetas ab noua illa, cum primis Gallica, aut *Theotiſcam*, ſiue Germanicam, quo facilius cuncti intelligere poſſent, quae dicerentur *o*). Idem, quod hactenus probauimus, confirmat Ioach. Vadianus ex *Pſalterio* etiam ab Notkero, monacho, quem ob linguae difficultatem Balbulum, cognomine uocarunt, in linguam Germanicam, Arnulpho imperante, tranſlato, tanta quidem obſcuritate, ut, niſi multo labore, et aſſidua uocum repetitione, intelligi non potuerit.

o) Epiſtolarum centuria III ad Belgas, epiſtola XLIV, qua antiquiorem linguae Germanicae uſum contra Gallos nouos defendit. adde Chriſtoph. Lehmannum in Chron. Spir. L II, c. XLV. Hachenbergium differt. VII, de lingua ueterum Germanorum § VI, VII, IX.

uerit. Affert ex eo exempli causa, *Oratioem Domin.* et *Symbolum Apostolicum*, repeto, ıt perspicuum sit, quod dixi, et pateat, exeunte hoc seculo, lectu faciliorem, quodammodo fuisse : Fáter vnser, du in hîmele bist: Dîn námo vuérde geheiligot; Dìn riche home. Dîn vville gesképhe in erdo álso in ıimele. Vnser tágolicha brôt kib uns hiúto. Vnde unsere sculde beláz úns álso óuch vvir belázend únsern scúldigen. Vnd in chórunga nit leitest du únsich. Nú belôse únsch fóme úbele. Symbolum Apostol. *Guerf* uocarunt, a coniiciendo, ut Vadianus coniicit, quia ab Apostolis *coniectum*, et conscriptum, crediderunt. Quod probat ex uerbis Notkerii, quae Symbolo illi, attamen perobscure, praemisit, *Daz Graeci Chédent Symbolum, Latini collationem, daz chéden vvir gevvèrf, vvan da iz Apostoli gesá menoton, unde zesammine gevvúrfen, dáz iz Zeichen sî Christianae fidei. Also ouh in proelio Symbolum heiczet daz Zeichen, dázan suilten alde angemóten VVorten ist, tannan iógliche iro socios irchénnet.* Ipsum uero Symbolum ita est, *Ih kelóubo an Gót àlmáchtigen fatere skeffen himels unde erdo. Vnde an sinnen Sun den gevvíchten halt áre einigen únseren herren: der sóne de mo héiligen géiste infángen vvard: sóne Maria dero mágede gebórn vvard: kenóthäfftat vvard pi Pontio Pilato: Vnde bi îme an crucem gestáhter ī. starb: Vnde begraben vvard,*

 ze

ze hêllo fûor: an demo drîtten tâge fône tôde irstuônt: Ze, hîmeli fuor, dâr sizzet ze Gôtes zesesuuun dés almachtigen Vâter: dânna chîmftiger Zeirté illene die er dá allelichun gesâ menunga kelôubo zebâ benne déro beiligen gemeinsame: ablass déro sunden: geloûbo des fleiskes ûrstendede: gelôubo ēvvigen lîb, Amon. Daz tūm ib keuuāro p).

Multa etiam cognoscere licet, ex Rabani Mauri *Glossis Latino-Barbaricis*, quas, de partibus humani corporis, ab eo editas, recensuit Melch. Goldastus Parte II Antiquit. Alman. in quibus multa ridicule ex Seculi ingenio interpretatur.

II

Metro quidem clarus fuit id temporis OTFRIDVS, monachus, in dioecesi Spirensi VVeissenburgensis, Rabani Mauri discipulus, quem Trithemius philosophum, rhetorem, astronomum, poetam et theologum, nulli suo tempore secundum, uocat. Ac primus ille quidem, quod mihi constat, antiquissimusque est inter Germanos, ex quo literas humaniores acceperunt, qui poeticen nostro sermone excolere, atque arti seruire

p) De Collegiis Monasteriisque Germ. L. II, p. XXXIV Tomo III Goldasti Rerum Alaman. Multo aliter expressit et Orationem Dom., et Symbolum Apostol. Christoph. Lehmannus, Chron. Spir. L. II, C. XLV. Adde hic *Symbolum* et *Confessionem* ueteris Alamannorum ecclesiae ab Melch. Goldasto T. II, P. II, p. CXXXIV, seq. allata, quae afferre longum nimis esset. Casp. Caluoerius P. I, L. III, c. V. p. CIII, seq.

ſeruire uoluit. At conatus tamen magis uidetur, quam perfeciſſe. Enimuero, ut Trithemius ait, ad praeſcriptum Caroli M., ſiquidem ad poetas ſpectare illud exiſtimari poſſit, carmine multa compoſuit, at nemo, ut addit hiſtoricus, legere, aut intelligere poſtea potuit, quam cultior extitit, ne peritiſſimus quidem patrii ſermonis. Idemque carmine reddidit quatuor *Euangeliorum* libros, et *Gratiam theotiſce* nominauit, ingenti mole opus; at eodem laboris ſucceſſu, ut poſteris temporibus, quibus emendata dicendi ſcribendique ratio coepit, nec intelligi potuerit, nec legi. Inſcripſit Antiſtiti Moguntino Luitberto, uel, ut in annalibus Hirſaugenſibus habet, Lintberto *q*). Primus, ut Chriſtoph. Lehmannus *r*) memorat, in lucem protulit Matthias Flacius, ſed alio, quam ex Trithemio retulimus, titulo, quem addit Cl. Reimannus, *Otfridi Euangelium, liber ueterum Germanicorum Grammaticae, poeſeos, Theologiae, praeclarum monumentum.* Quanquam uidere idipſum necdum licuerit, tamen, ſiquidem ex inſcriptione Flaciana ſententiam pronunciare liceat, uideo eo ſpectare, quae de conatu omnium primo, et legibus poetices, ab Otfrido propoſitis, paullo ante accepimus *ſ*).

q) in diplomate Ludouici Germaniae regis ſcribitur Luitbertus apud Schilt. p. CXII.

r) Chron. Spir. L. II, c. XLV.

ſ) Trithemius de Viris Illuſtribus p. CXXVII.

III

In conciliis tamen, legibus, diplomatibus, et quacunque reip. causa incuria agebantur, Latinis duntaxat literis conficiebantur. Originem eius consuetudinis ab Italis ad Gallos, ab utrisque demum ad Germanos etiam uenisse, docent Beatus Rhenanus et Christoph. Lehmannus, et temporum rationes uicissitudinesque congruunt maxime et consentiunt, Romanos in prouinciis, quas tenuerunt, linguam etiam propagasse. Quae lingua Romana in Galliis penitus insedit, nec prouincialis tantummodo fuit, sed gentilitia etiam, quamuis deprauata atque ab antiqua illa et Romana plane diuersa. Germani uero suam retinuerunt, non passuri, ut penitus extingueretur. Sed enim in curia mansit Latina, et diutius perstitit, praesertim, cum graues essent causae, cur ab instituto recedere non possent, et utilitati publicae consulere, tametsi uel maxime uoluissent. Namque, ut eruditio omnis, ita eruditionis etiam instrumenta, et linguae in coenobiorum scholis perseuerabant, atque omnes, qui reipublicae negotia curabant, inde digressi, antiquum obtinebant, et tabulas ea lingua, quae primas tenebat, conficiebant, idque auctores tabularum, sibi commodum atque utile, perspiciebant. Quibus adeo rebus, impe-

itemque de Script. Eccl. p. CLVII, Reimannus Introd. in Hist. lit. Germ. L. II, p. CXCIV.

nperitum uulgus piae fraudi, maximo inommodo, indulgebat. Ioach. Vadianus, uum ſtudione magis, an imperitia ſeculoum, haec Latinae linguae conſuetudo praeualuerit, addubitat, et, dubitandi cauſas, in udi iſto et inerti ſeculo, non latere, opinatur, hanc tandem fere praecipuam colligit, *aliquid* uidelicet *tributum uulgo et plebi fuiſſe, Latinas literas utcunque noſcenti, nec, niſi conſulto, ineptitum a ſcribis, ut tot modis barbari et aſperi uideri uoluerint. Quanquam negari non poteſt, in illa aetate, ut in noſtra quoque, longe maximam partem monachorum, cum ſuo, tum etiam temporum uitio, rudis et aſperae Latino ſermone uſos, qui, latine tamen loqui ſe, et ſcribere, putarint. Neceſſitate autem factum uidetur, ut in gente illa Francorum et Alemannorum, armis et bello aſſueta, quae nec ſcribere ſua, nec legere aſſoleret, Latinae, hoc eſt, prouincialis linguae, uſus qualiſcunque retineretur. - - - Franci igitur, limitem tranſgreſſi, primo non tam ſuam, quae nec arte, nec lege, continebatur, quam aliena in prouincia repertam, linguam addidicere, ingenua quadam uerecundia talem linguae ſuae* (Germanicae) *barbariem confeſſi, quae ciuilitati, et humanitati prouinciali, merito ſubmitteretur. Quare demum, ad fidem Chriſti conuerſi, tabulas uulgares conuentionum, chartaſque, et leges etiam ipſas, et diplomata Latino ſermone ſcribi, curarunt. Prior hic erat ſine dubio, quum Romani prouincias, tuto dum limite, tenerent: impurus poſtea tarditate et iner-*

tia nostratium factus, quum, rupto limite, non modo Prouincias Europae maximas, sed etiam Italiam et ipsam Vrbem, linguarum altricem, inuaserunt. Illam enim, post Herulos et Rugos, Gothi etiam, Longobardi et Franci, successione quadam regni, multis seculis tenuerunt. Arbitror autem, et religionem stimulos addidisse nostratibus, quo eam linguam addiscerent, sine cuius peritia religio constatura non uideretur. Sacri libri, ueteres interpretes, Conciliorum decreta, non nisi Latine scripta extabant. - - - Mysteria sacrificiorum et ceremoniarum Latini libri continebant t).

CAPVT IX

Instruebant Romani bibliothecas, constitutisque, qui conquirerent, aut describerent libros, uiris, doctrina praestantibus, rei literariae opem et auxilium liberaliter ferebant, ut uel his instrumentis, quibus indigere haud possent, literae florerent, ac musae rei librariae praesidio recrearentur, atque memoriae posteritatis consulerent incolumes ac saluae. Ludat magnificentiam regiam Suetonius *C. Caesaris*, qui, data M. Varroni cura, Graecas Latinasque bibliothecas comparauit, *Octauii Augusti*, qui, praefecto bibliothecae augustae constituto Pompeio Macro, auxit, et templo Apollinis iunxit, et magno impendio

t) de coenob. Germ. L. II, p. XXXIII, Tomo III Goldast. rerum Alam.

lio pretioque deſcribendos, aut emendandos, curauit *u*). Germani, ex quo muſae n his terris domicilium ſibi ſedemque fixeunt, haec eſſe ſubſidia, intelligebant, quious ab interitu defendi poſſent, atque hinc nature bibliothecas aperiebant, ac, libris ex initimis et longinquis locis, magnis ſumptious, in patriam importatis, amplificabant, naxime coenobiorum praefecti, qui hanc uoque curam, quoniam muſis praeerant, ad e pertinere, ſapienter perſpiciebant. Hoc umprimis ſeculo, quo inſigniores bibliothecae conditae ſunt nouae, et multa cura auctae, ut certare liberalitate, ac uincere ſeſe, nuſarum patroni uiderentur. Henricus Pereus, IC., monachos in laudis ſocietatem dmittit utique, et magnam ſane, ac merito, audem defert conſeruatae in Germania rei iterariae, quando aſſidue ſolliciteque libros, x maxime diſſitis regionibus, conquiſiuerunt, conquiſitos iterum deſcripſerunt, decriptos magna cura conſeruarunt, et, pro irili, quauis occaſione bibliothecas locupleores reddiderunt *x*). Eximia Rabani Mau- i laus eſt, qui, eruditione ac uirtute illuris, Fuldenſem illam inſtituit primum, ac inta librorum multitudine auxit, ut alios udabili propoſito excitaret, inter ſuos auem diſcendi ardorem commoueret, atque effi-

u) in Caeſ. c. XLIV et LVI, in Auguſto, c. XXIX in Domit. c XX.

x) de monaſteriis Germanorum, p. IV.

efficeret, ut maiorem induſtriam oſtenderent, ac tanti doctoris ueſtigia ſequerentur. In his Hildebertus, et plures alii, quorum diligentiam commendat Bruſchius, et librorum copiam, in iiſque ordinandis laborem, continentiamque mirifice laudat *y*). Halberſtadii idem conabatur Haymo, gente et natione Britannus, Flacci Albini alumnus, Rabani Mauri, in coenobio Fuldenſi, aequalis, uir diuinis humaniſque literis clarus, et ſacrorum apud Halberſtadienſes Antiſtes. Primam ac praecipuam bibliothecae rationem habebat ille, eamque in templo urbis primario, conquiſitis magna impenſa libris, inſtituebat *z*). Eadem gloria inſignis eſt Viobertus Hildeſheimenſium Antiſtes VI, qui bibliothecam ipſe ornauit, et, ut in annalibus loquitur hiſtoricus, *propria manu elaborauit a*). Tum in coenobio Schvvarzachienſi, quod, imperii faſces tenente Ludouico Pio, aedificatum eſt, librorum curam ſuſcepit monachus Treutgarius, qui multos ipſe de-

y) Bruſchius in Chronolog. monaſt. Germ. p. CC, CCIII. De Rabano ita Cornelius in Breuiario Fuldenſi, p. CCCCXXVI Syntagm. Paulin. *Anno Dom IↃCCC XXXVIII bibliothecam monaſticam in tota Germania claram magna cura et labore inſtituit.*

z) Paulus Antonius de Vita et doctrina Haymonis, p. VIII diſp. Halae cIↃIↃCC habita, et Io Georg. Leucfeldius Antiqu. Halberſt. p. LIV, qui plura de uita Haymonis recenſet.

a) T. I Leibnit. Script. Brunſ. p. IↃCC XLIII.

lescripsit libros atque in bibliothecam intuit, multosque, ut coepta perficerent, et nunero instruerent, adduxit *b*). Collegit item Agapitus Campiodonensem, paullo tamen post incendio extinctam *c*). Praeterea commemorat Bruschius, auctam insigniter, et locupletatam, allatis ex Germania tota libris, Reichenauiensem, celebratque praecipuas Vadianus Laurisheimensem, Hirsaugiensem, Caesareensem iuxta Nordlingam, et, quae librorum, manu exaratorum, iam tum copia anteferebatur, Gallensem, quam Gozbertus, vel, ut alias dicitur, Gosbertus, Abbas, Ludouici Pii tempore, pristinae dignitati restituit, eo usque neglectam ab monachis, quos inde ab Galli obitu literarum plane expertes fuisse, ex schedis, quas interserit, conficit elegantissimus humanissimusque Iureconsultus *d*). Auxit deinde Grimaldus, tempore Ludouici, regis, et omnem in eo operam posuit, ut literae ab interitu defenderentur. Similiter, atque Hartmutus, qui Grimaldo accessit, et bibliothecam sua liberalitate ornauit, ac libros sacros dedit, speciatim duos scripturae S. codices, auro et gemmis splendidos, ac magno pretio comparatos. Consentit Bruschius, et per tres uiros bibliothecam incrementa cepisse, asseuerat, adeo, ut coeno-

b) Bruschius p. IↃ XXV.

c) idem p. CII.

d) Vadianus L. I, p. XX seq.

coenobium Sangallense et uiros tum habuerit, qui literarum studia excoluerunt, et subsidia, multa industria, et labore, compararunt, uirosque illustres fama meritorum adduxerunt, ut filios, ingenuis artibus erudiendos, disciplinae eorum commiserint *e*). Funesto tamen casu etiam aliae bibliothecae interierunt, et uel incendio conflagrarunt, uel ab hostibus dispalatae dissipataeque sunt, cumprimis luctuoso illo bello, quod magná animorum dissensione, inter Ludouici Pii, imperatoris filios, maiori rei literariae incommodo, gerebatur. Argentoratensis illa perierat igne, et *munimina cartarum* ecclesiae illius concremata erant, quemadmodum Ludouicus Germanicus ipse testis est in tabulis, quibus Ratoldi, Antistitis, liberalitate sua iacturam leuare quodommodo elaborauit *f*). Hamburgensis, quam summo studio collectam, Adamus Bremensis, huiusque aemulus, Albertus Stadensis *g*), testantur, irruptione Normannorum, de qua supra diximus, penitus consumpta est. Etiamsi de reliquis nihil addant illi, certum tamen est, complures, hostili impetu, eandem subiisse fortunam.

LIBER

e) p. CCCC X, seq.

f) p. CXI Tomo Schilt.

g) Adamus Bremensis L. I, c. XXI, p. VII, ex eoque, iisdem plane, ut assolet, uerbis Albertus Stadens. ad An. IↃCCCXL, p. CCI, Tomo Schilt.

LIBER V
DE
RELIGIONIS STATV.

CAPVT I

Deuictis ab Arnolpho Normannis, Germaniam armis infestam habebant *Vngari*, qui, ex ultimis Scithiae finibus profecti, Pannoniam, pulsis Auaribus, siue Hunnis, occupabant, atque ab Arnolpho, contra Zvventebaldum, ad infestandum Morauiae regnum, in Germaniam exciti, Arnolpho opem, filio autem, et successori, Ludouico, cladem, ex moerore animi mortem, afferebant. Nam, post obitum Arnolphi, Vngari maxima multitudine in Germaniam effusi, mox, uia iam tum, per imprudentiam Arnolphi, patefacta, ad amoenam uoluptatis sedem reuertebantur, ac, nemine resistente, Baioariam, Sueuiam, Franciam, Turingiam, Saxoniam, ac, Rhenum transgressi, Lotharingiam, Galliasque, crudelitate immanissima uastabant, et, furore insano agitati, uiros, religionis munus obeuntes, e concione in publicum protractos, atrociter uexabant, nec sexui sequiori parcebant, pretiosis et maximis

mis

mis sumptibus paratis, monumentis religionis incredibili scelere direptis, ac funditus excisis, ne uestigium usquam superesset, quod, sacrum fuisse, et religione sanctum, locum, ad posteros testaretur. Grauiter coarguit Arnolphum imp., quem tamen, contra fidem diplomatum, et historiae omnis, regem duntaxat uocat, inuidiae impetu inflammatus Liutprandus, et imprudentiae, non sine causa, accusat, ac fructum, quem et Vngarorum, contra unius impetum, ceperunt posteri, explodit, detrimentumque, quod ab feroci, et barbara tum, gente profectum est, exponit, neque auxilium id dici posse, pronunciat, *quod paullo post, eo* (Arnolpho) *moriente, tum genti suae, tum ceteris, in meridie occasuque degentibus, nationibus graue periculum, immo excidium fuit. Quid igitur? Zvventebaldus uincitur, subiugatur, fit tributarius, sed domino solus. O coecam Arnulfi regis, regnandi cupiditatem! O infelicem amarumque diem! Vnius homuncionis deiectio fit totius Europae contritio. Quot mulieribus uiduitates, patribusque orbitates, uirginibus corruptiones, sacerdotibus populisque Dei captiuitates, ecclesiis desolationes, terris inhabitatis solitudines, coeca ambitio paras? b)* Sane Arnolphus interitum Carolinae genti accelerabat hoc pacto, quum quidem filius, tantae Vngarorum potentiae impar, praematura aetate, moerore confectus, ex uita citius,

b) Hist. L. I, c. V, & IX, et L. II, c. I sequentibus.

citius, quam consulere familiae, inclinanti in Germania, posset, migraret. Ludouicus enim Francorum sociorumque socordia dicam, an hostium dolo uictus, acie renouata, uictoriam deferebat, et summum salutis publicae discrimen adibat, pace, quae ignominiosa erat, et genti, liberae grauior, facta, uel tributo potius recuperata, quae, seruitutis in Germania initae, et libertatis amissae, nunc demum suspicionem excitabat *i*). Quae dum de Vngaris hic in commentarium refero, memini, Vngaros ab quibusdam cum Hunnis commutari, quos tamen esse distinguendos, et rationes temporum, et migrationes gentium suadent. Enimuero Hunni, uel ut iidem etiam uocantur, Auares commigrauerunt in Pannoniam, superiorem etiam, quae Marchia Orientalis, tum Austria denique dicebatur: Victi Hunni subactique sunt a Carolo M., bello, quod Eginhardus docet, post Saxonicum, omnium grauissimo atrocissimoque *k*). Hoc excipiebant Vngari, ante seculum IX in Pannonia ignoti, sed belli fiducia freti, sedem illam occupabant, et proferendae illius cupiditate incensi, Arnolpho libenter opem ferebant, uiamque hac commoditate, qua reuerterentur ad belli olim socios, et uectigales redderent, circumspiciebant. Itaque consequens est, Vngaros, sub

N Ar-

i) V. Luitprandus L. II c. II
k) in Vita Caroli M. p. VI

Arnolphi tempus in Auarum ſedem commigraſſe, adeoque nono demum ſeculo, extinctis, uel pulſis Hunnis, Vngariae nomen, ad poſteros omnes manſurum, dediſſe. Quod auctoritas Vitechindi, monachi Corbeienſis, probat, quando de Auaribus exponit, et addit, *quos modo Vngaros uocamus*, ubi per particulam, *modo*, uſitatam ſcriptoribus aeui medii, tempus praeſens notat. Ex quo intelligas, nouam tempore illo adhuc Vngarorum in Auarum regiones commigrationem extitiſſe. Alios forte, ut committerent Auares cum Vngaris, quando paullo poſt ita loquitur *l*). *Auares autem, ut quidam putant, reliquiae erant Hunnorum.* Quibus uerbis et inprimis, quando Henricum ad bellum contra Vngaros renouandum, ſuadet, *Auares* uocat, atque minus accurate diſtinguit. Conſenſu autem nitorRheginonis *m*), Liutprandi, Adami Bremenſis, Hermanni Contracti, Ottoſis,

l) L. I Annal., p. IↃCXXXIV ſeq. Tomo I Meib. Excuſare tamen eo poſſis Vitechindum, quod, tum facta paullo ante Vngarorum profectione, Auares aliquot ſuperſtitiſſe, exiſtimari poſſint, atque hinc etiamnum Hunnos uel Auares interdum nominatos.

m) Rhegino, abbas Prumienſis, Vngarorum immigrationem in Hunnorum ſedes factam IↃCCCLXXXIX ita tradit, *Anno Dominicae incarnat. IↃCCCLXXXIX gens Hungarorum ferociſſima et omni belua crudelior, retro ante ſeculis ideo inaudita, quia nec nominata a Scythicis regnis et paludibus, quas Tunais ſua refuſione in immenſum porrigit, egreſſa eſt*, p. XCVI Tomo Piſtor.

nis Frisingensis, Helmoldi, Alberti Stadensis, Andreae Ratisponensis, qui omnes Vngaris id uindicant, atque ab his Germaniae cladem, quae seculo nono foeda et familiae Carolingicae fatalis erat, repetunt, inprimisque Otto Frisingensis, qui diserte, Vngarorum migrationem in imperium Arnolphi incidisse, animaduertit, et, Auaribus eiectis, Pannoniam inhabitare coepisse, addit *n*). Quae, grauius Arnolphum errasse, produnt, quando ille gentem, nouae eiusdemque melioris, fortunae cupidam et migrationis nondum pertaesam, acciuit, et sibi societate iunxit, cum nondum res et consilia e longinquo penitus explorata haberet.

CAPVT II

Saxoniam uno tempore affligebant Vngari et Dani, uelut malorum socii, et, facta quasi conspiratione in ruinam rei Christianae, confluebant, finem sacris Christianorum uno impetu statuturi. *In diebus illis*, ut Adamus Bremensis locuples mihi testis est, *immanissima persecutio Saxoniam oppressit, cum hinc Dani et Slaui, inde Boemi et Vngari laniarent ecclesias o*). Regnum id temporis administrabat in Dania Gormo, siue, quod ipsius

 Adami

n) Chron. L. VI c. X Consentit nobiscum Schurzfleischius disp. XII § XL de rebus Vngaricis.

o) L. I c. XLV

Adami Bremensis interpretatio explanat, VVormius, nominis Christiani hostis infensissimus, qui, pulsis occisisque, numero plurimis, sacri ordinis uiris, extinguere in ditione sua doctrinae coelestis lumen conabatur. Ope Slauorum quoque, eruptione in Saxoniam facta, Saxones, qui ad utramque Albis ripam incolebant, atroci iniuria lacessebat, et ferro flammaque fines eorum uastabat, templa, et loca, religioni consecrata, euertebat. Qua conuersione rerum, et hostium furore, sacerdotium Hamburgense ab Danis et Slauis, Bremense ab Vngaris, ad uastitatem solitudinemque redacta, deplorat Adamus Bremensis, ex Adamo Bremensi Helmoldus, Albertus Stadensis. Adamus Bremensis, *Dani*, scribit, *Slauos auxilio habentes, primo transalbianos Saxones, deinde cis Albim deuastantes, magno Saxoniam terrore quassabant. Apud Danos eo tempore filius Hardevvic Gvvrm regnauit, crudelissimus inquam uermis, et Christianorum populis non mediocriter infestus. Ille, Christianitatem, quae in Dania fuit, prorsus delere molitus, sacerdotes Dei a finibus suis depulit, plurimos quoque per tormenta necauit p)*. Eadem haec uerba ex magistro suo, Adamo, transtulit Helmoldus *q)*, eadem transtulit, seu ex Adamo, seu Helmoldo, perinde erit, Albertus Stadensis *r)*. Mansit tamen, quod Adamus

p) L. I c. XLVII
q) Chron. Slau. L. I c. VIII
r) ad Annum IↃCCCCXXI p. CCII Tom. Schilt.

mus Bremensis monet *f)*, aliquis Christianorum, quamuis exiguus, coetus, maxima calamitate, et omni fere cruciatus genere, uexatus. Erat haec Germaniae fortuna, erat at eadem fere imperii Romani, quod bellis intestinis, contentionibusque, in discrimen adducebant. Belli materiam dabat Augusta dignitas, quam eripere Germanis, Itali cum primis, omni impetu nitebantur. Vt ab Arnolpho usque ad Ottonem non *imperatores* et *Augusti*, sed *inuasores* et *angusti*, quod ex actis Italorum obseruat Otto Frisingensis *t)*, dicerentur.

CAPVT III

Auspicato Germaniae libertati, quae per Vngaros labefactata fuerat, subueniebant Saxones, qui, maiorum exemplo, didicerant, non obiiciendam temere hostibus libertatem, quae, tot bellis uindicata olim, uno nunc impetu concidisse uidebatur. Diuinitus ad Saxonas regia dignitas commode deferebatur, qui, patriae olim libertatis in Saxonia uindices, seruitutem depulerant, et, pace facta, retinuerant incolumem, nunc demum, ignominiosum, putabant, amitti eam, et Germaniam omnem tributis, quae barbari et profani imposuerant, exagitari. Itaque

 Saxo-

f) L. I c. XLV et L
t) Lib. VI Chron. c. XIII

Saxones, quorum maiores Saxoniae olim eam conſeruauerant, Germaniae omni, maxima omnium laetitia, reſtituebant, ad regiam dignitatem euecti. Maxime Henricus, cognomine Auceps, qui antea iam in Dalemincia, Miſniae regione, Vngaris uirtutem demonſtrauerat, tributa dare reſpuebat. Liutprandus teſtis eſt, firmo animo propoſuiſſe hoſtes, nouum Francorum Saxonumque regem, ſiquidem ſoluere recuſaret, compellere ad tributa, et, facta in Saxoniam ipſam, quae oppida nondum munita haberet, irruptione, aggredi, in qua non ita confeſtim ex Lotharingia, Sueuia, et Baioaria auxilium habere poſſe, coniiciebantur *u*). Ex Vitechindo intelligimus, Henricum, ut tempus duceret, et uires colligeret, urbeſque conderet, pacem annorum nouem accepiſſe. Interea urbes muniebat, ciueſque in re militari exercebat diligentius, et limites, conſtitutis primum limitum cuſtodibus, quos Marchiones uocabat, contra irruptiones barbarorum tutos eſſe, cupiebat. Nam, ut Vitechindus plane et diſerte teſtatur, *rudi adhuc militi, et bello publico inſueto, contractam ſaeuam gentem non credebat x*). Ceterum diſciplinam, ex ueteri Germanorum conſuetudine, inſtituebat, et nonum quemque ex agro militem, quem delegerat, participem frugum, quas reliqui

u) Hiſt. L. II c. VIII
x) L. I p. IↃCXXXVIII

reliqui octo colligerent, esse cupiebat, ut haberent, unde uiuerent, tum plerasque *Marchias* condidit, Slesuicensem contra Danos, quae id nomen postea amisit, Misnensem et Lusaticam contra Boiemos et Polonos, Brandenburgicam contra Henetos et Obotritos. De Slesuicensi consentit Adamus Bremensis *y*), ex eoque Helmoldus *z*). Constituta disciplina, contra Slauos, qui Saxoniam irruptionibus infestabant, Heuellos, Dalemincios, Obotritos, Vulzos, Redarios, Boiemos, proficiscebatur, eosque, ut pacem peterent, et fidem ac tributa sponderent, armis compescebat *a*). *Posthaec*, pergit Vitechindus, *legati Vngarorum adierunt regem*, *pro solitis muneribus*, re uera tributis, quae munerum nomine, in pacis conciliatione, pollicitus erat. *Sed ab eo spreti*, scribit historicus idem, *in terram suam uacui sunt reuersi b*). Inde Vngari, in Saxoniam ingressi, tributa petituri, proelio non procul Merseburgo ad Salam infeliciter commisso, ius petendi amittebant, et, plerisque inaudita strage caesis, tributarios se Henrico Aucupi, facta for-

 tunae

y) L. I c. XLVIII

z) L. I c. VIII Cetera tradunt Vitechindus Annal. L. I p. IↃCXXXVIII seq. Schurzfleischius disp. XXIV de rebus Badensibus, § II p. VI

a) Vitechindus L. I p. IↃCXL

b) Annalium Lib. I p. IↃCXXXVIII IↃCXL seq. Tom. I Meibom.

tunae commutatione, ſubiiciebant c). In Daniam, ut finem immanitati imperaret, ingreſſus, VVormium primo impetu terrebat, ut pacem ſupplex peteret, et, imperata ſe facturum polliceretur d).

CAPVT IV

Viam ſibi per Henricum Aucupem in Daniam communitam uidebat *Vnno*, Bremenſium praeſul, delectiſque laboris ſacri comitibus, ſubito eo commeabat, religionis diuinae ſacra, quae collapſa fuerant, inſtauraturus. Vormium, qui in impietate perſeuerabat, flectere ad manſuetudinem non poterat, filium tamen Haroldum mitigabat, atque animum in obſequio Chriſti retinebat felicius, ut copiam faceret docendi, et liberum nouis Chriſtianis patrocinium promitteret, ac tuendos ſuſciperet, tametſi ipſe publice ſocietatem nondum profiteretur, metu, quod coniicimus, patris, infeſti rei chriſtianorum ſacrae et infenſi. Vnno igitur, relictis, qui perſequerentur inſtitutum, ſacerdotibus, in Sueciam mari tranſito, pergebat,

c) Liutprandus L. II c. IX Adamus Bremenſis L. I c. XLVIII Otto Friſingenſis L. VI Chron. c. XVIII Helmoldus L. I Chron. c. VIII et, qui de Vngariae conuerſionibus induſtrie expoſuit, C. S. Schurzfleiſchius diſp. XII §. XI

d) Adamus Bremenſis L. I c. XLVIII Helmoldus et Albertus Stadenſis, dictis ante locis, quibus Adamum deſcripſerunt.

gebat, Anscharii Rembertique operam in ea gente pariter renouaturus. Sed maiori impetu coepit, quam perficere poterat, morte, cum, redire ad suos, in animo haberet, correptus, ac Bircae, quod primarium regni oppidum erat, et Vpsaliae finitimum, tumulo illatus *e)*.

CAPVT V

Fortunam Ottonis, Henrici filii, qui primus Augustam dignitatem in Saxoniam intulit, experiri connitebantur Vngari iterum et Dani. Vngari, finibus suis egressi, Baioarios, Francos, Saxones, lacessebant. Audacia ad pugnam eos, prouocabat, cum Ottone, quem uirtus iuuabat, repentino casu ineundam. Manus conserebant ad Licrum, flumen, prope Augustam Vindelicum. Fortuna stabat cum Ottone. Otto consiliis, Vngari potentia, aciem instruebant. Vt uirtus impetum uicisse putaretur. Quae imperatoris erat uirtus, quando, uictis superatisque in alieno solo hostibus, turpe, ducebat, in patria ab exteris uinci. Multitudine hostem se superare, sciebat, sed armis, uirtute, praesidio Numinis praesentissimi, se hoste superiorem, non ignorabat. *Illis*, aiebat, *est sola pro muro audacia, nobis spes et protectio*

e) Adamus Bremensis L. I c. XLIX ex eoque iterum Helmoldus et Albertus Stadensis.

tectio diuina. Tali cohortatione facta uirtute praeibat, et ferro uiam aperiebat, reliqui sequebantur omnes. Victoria penes consilii auctorem erat. Vngari, immani clade accepta, et robore militum prostrato, auctori belli, quem ex illustri comitum Schirensium familia fuisse, Otto Frisingensis tradit, supplicium pro praemio decernebant, consilii ducem, ne superstes dedecoris teneret memoriam, subito remoturi. Incidit ea Vngarorum clades in annum ɪɔccccʟᴠ, memorabilis illa, et Germaniae salutaris, Vngaris praeceps et exitiosa *f*).

CAPVT VI

Idem moliebantur Dani, ductu Haroldi, regis, qui, obtruncatis Marchione Slesuicensi, quem primus constituerat Ottonis Magni pater, itemque Ottonis legatis, Saxones, colonos, extinguere parabat. Otto autem, in Daniam eruptione facta, iniuriam ulciscebatur, et Haroldum, ut pacis conditionem acciperet, et religionem Christianam ipse profiteretur, compellebat. Sponsoris ad fontem sacrum officio fungebatur uictor Otto. Daniam cismarinam, quam Iutiam, uel, ut Adamus Bremensis, Iutlandiam, incolae

f) Otto Frisingensis L. VI Chron. c. XX Hermannus Contractus ad annum IɔCCCCLV comprimis Vitechindus Annal. L. III p. IɔCLVI seq.

colae iam tum nominabant, in tria ſacerdotia ampliſſima diuidebat, et Hamburgo, metropoli, ſubmittebat, ipſe Daniam beneficiaria lege deuinctam, tributariamque tenebat. Adaldagus, Bremenſis Antiſtes, eo dimittebat tres praeſules nouos, et quidem Haroldum *ad Sliaſvvich*, Riafdagum *ad Ripam*, Reinbrandum *ad Arbuſam*, quibus commendabat, ſimul eccleſiae ſalutem in Fionia, Selandia, Sconia, et Sueouia, ut memorat Adamus Bremenſis *g*). Plane conſentit Henr. VVoltherus, *Tunc*, inquiens, *primo idem Archiepiſcopus* (Adaldagus, Bremenſis, numero X) *inſtituit in Dacia* (ita medii aeui ſcriptores plerumque Daniam uocant, quos tamen arguit Gobelinus Perſona, et, diſtinctionis cauſa, antiquum nomen prouinciae uindicat Coſmodrom. aetate I, c. VI) *ſuffraganeos* (*licet Anſcharius prius in Suecia, Iſlandia, Gronlandia, et Noruegia*) *unum in Sleſvvick, ſecundum in Ripen, tertium in Arbuſen h*). Addit hic Helmoldus, Aldenburgenſem in Vagria, Marconem, antiſtitem, ab Adaldago conſtitutum, eique commendatam Obotritorum, uſque ad Penim, flumen, prouinciam, Sleſuitumque

g) L. II c. II et L. IV Helmoldus L. I c. IX et XV et, qui ex Adamo ſapit, Albertus Stadenſis, ad annum IↃCCCCXLVIII p. CCXV c. LVI conf. Schurzfleiſchius de antiqua Saxonum dignitate, diſp. LXV §. VIII

h) Voltherius Chron. Bremenſi, p. XXIX Tomo II Meibom. Helmoldus Chron. Slau. L. I c. XII

cumque eius curae traditum, docet, et Slesouici fines ab lacu Slya usque ad Egdoram, flumen, patuisse tum, refert, ac, Marcone mortuo, Slesuicum suum denique antistitem praecipuum accepisse Eduardum, subiicit, quorum auxilio et opibus, quas, per Ottonem, omnium rerum copia affluentes, acceperant, reguli Slauorum atque populus commoti, facilius consilium animumque mutauissent. Plerosque Obotritos et Vagrios sacris Christianorum Marco initiauit Christianorum mysteriis, et in obsequio beneuole continuit. *Creuit autem*, ut prodidit memoriae Helmoldus, *populus fidelium, nec fuit aliquid, quod nouellae ecclesiae aduersaretur omni tempore Ottonum. - - Et repleta est omnis Vagirorum, Obotritorum, siue Kycinorum, prouincia ecclesiis, sacerdotibus, monachis, et Deo dicatis uirginibus.* Nonnihil quod ad Aldenburgensem attinet, differt ab Adamo Brem. Helmoldus, quoniam ille Eduardum Aldenburgensem antistitem primum uocat, hic Marconem. Marconis non meminit Adamus *i*). Cetera Albertus Stadensis, *Adaldagus*, inquit, *ordinauit in Daniam plures Episcopos, quorum nomina quidem reperimus, ad quas uero sedes specialiter inthronizati sint, non facile potuimus inuenire. Aestimo ex faciente causa, quod, pro rara Christianitate, nulli Episcoporum adhuc certa sedes designata fuerit.* Subiicit Adamus deinde eos, quos

i) L. II c. VIII

quos praediximus, et plures, in Daniam dimissos, ex Adamo Albertus *k*). Ex quo tempore rem Christianorum sacram incrementa cepisse, testis est Adamus Bremensis, et, ad suam usque aetatem, diuini Numinis prouidentia, hominibus, qua Septentrionis regiones incolunt, salutaria accidisse, summopere laetatur.

CAPVT VII

Inde conuertebat arma in Slauos Otto, eosque ita domabat, ut imperata facerent, et tributa promitterent, ac religionem christianam, extructis templis, profiterentur, in familiam ueri Numinis cooptati. *Et ecclesiae tunc primum in Slauonia sunt constructae*, ut loquitur Adamus Bremensis, ex eo, eodem plane modo, Helmoldus *l*). Slauorum uero praecipui, contra quos bellum suscipiebatur, erant ab oriente sole Saxonibus, ut Saxones olim Francis, infesti, Vagrii, Obotriti, Hauelli, Vcri, Lusici, quorum fines noti sunt, atque ab eruditis patefacti, et uel ipso, quod superest, nomine distinguendi, praeter Obotritos, quos in Meclenburgicis regionibus consedisse, primaria urbs, quae iam Helmoldi aetate celebris eo nomine erat, testatur. Egregiam hoc bello operam nauabat Ottoni,

Gero,

k) p. CCXIX
l) Adamus L. II c. III Helmoldus L. I c. IX

Gero, primus Lusatiae, quam, Vitechindo teste aequali et uero, uicit, primus ac domuit, Marchio, et ob animi praesentiam, ac belli peritiam, consiliorumque, quae familiam hic ducunt, celeritatem, maximopere omnibus commendatus, ac meritis in rem sacram illustris *m*). Tuetur herois, toga sagoque insignis, memoriam coenobium, ab eius, quippe conditoris, nomine praeclarum, in Anhaltinis, Gerenrodense, et monumentum uita functi seruat, nuper ab Io. Christophoro Becmanno, cum literis et tabulis, quibus sanctum ad posteros uoluit, in lucem publicam prolatum *n*). Vt Adamus Bremensis commemorat, Otto fines Christianorum non modo inter Albim ac Viadrum, et ad mare Balticum, aperuit, sed in Poloniam quoque et Boiemiam transtulit, et gentes ad coetum diuiniorem adduxit *o*).

CAPVT

m) Vitechindus Annal. L. II p. IↃCXLVIII et L. III p. IↃCLVIII IↃCLX Popperodius Annalium Gerenrodensium p. CCCCXVIII Tomo II Meibom.

n) in Chronico Anhaltino Parte III L. I c. VII quo in loco antiqua diplomata, ab Andr. Poppenrodio male expressa, corrigit. Maximopere optamus, ut, quod iam pridem in animo habuit, perficiat, et Poppenrodium, mendis emendatum, restituat orbi literato. Cetera leg. Ditmarus L. II

o) Adamus Bremens. L. II c. X XI XII XIII Conf. Schurzfleischius de Rebus Borussorum disp. XXVII p. IV

CAPVT VIII

Victis superatisque, qui libertati Saxonum, ac religioni meliori, insidiabantur, id superesse, putabat, ut meritorum in rem sacram gloria magnum illum Carolum aequaret etiam, atque hoc pietatis monumento patriae consuleret, et temporum obliuioni occurreret munificentia regia, quae magnum imperatoris pii nomen seruaret perpetuo, et memoriam laudis ad posteros incolumem tueretur. Itaque templa, hostium furore diruta passim et deleta, restituebat, noua item aedificabat, et amplissimis reditibus, ut sacrorum antistites ac ministri liberalius alerentur, ornabat insigniter et amplificabat. Floret eo nomine, et eximium est, Sacerdotium summum, quod Magdeburgi condidit, et, eo imposito Adalberto, pontifice primo, Slauis, quos subegerat, metropolin statuit, finesque ad Penim usque, Pomeraniae flumen, esse uoluit. Perspicue Adamus, *Magdeburgensi Archiepiscopatui subiecta est tota Slauonia, usque ad Penim, fluuium.* Addit historicus idem quinque noua, quae ad Magdeburgicum metropolitanum referebat, sacerdotia maxime illustria, *Martisburgense, Cicense, Misnense, Brandenburgense et Hauelbergense. Aldenburgense*, quod pariter summittere ditioni Magdeburgici Antistitis decreuerat, propter pro-

propinquitatem loci Hamburgenſis, Adaldagus inprimis iure territorii, antiquitus per imperatores Auguſtos definiti, repetebat pariter, atque impetrabat *p)*. Magnam his religionis monumentis, quae praeſidio chriſtianis erant, gratiam inibat ab religioſo ordine, et immortalem ſibi memoriam acquirebat, rebus, quae praeclare domi foriſque geſſerat, nomine iam pridem inter Saxones magnus, et linguis omnium ſermonibuſque celebratus. Fortuna enim, et uirtute non impar Carolo M., ampliſſimas regiones, quas Chriſtoph. Lehmannus enumerauit *q)*, hereditate tenebat, et gentes potentiſſimas, quae defecerant, ad officium redigebat, Danos, Vngaros, Slauos, Gallos, Italos, quorum alios, nondum diuina religione imbutos, reprimebat fortiter ac profligabat, alios, ut ferociae nuncium remitterent, ui compellebat, atque ut animum mutarent, uincendi prudentia flectebat, fuſis profligatiſque, qui Germaniae libertati ac fortunae inhiabant. Imperium denique, armis Caroli ad Germanos delatum, aſſerebat armis, ac regnandi

p) Ditmarus Libro II Adamus Bremenſ. L. II c. VII ſeq. et eiusdem aemuli Helmoldus L. I c. XI Albertus Stadenſis ad annum IↃCCCCLXXI p. CCXVII ſeq. Gobelinus Perſona Coſmodrom. Aet. VI c. XLVIII apud Meibom. T. I p. CCL ſeq. Georg. Fabricius Orig. Saxon. L. II, p. CLXXVIII ſeq. Bangertus ad dictum Helmoldi locum.

q) Chron. Spir. L. V c. III

gnandi libidinem compeſcebat, Pontifici, in auxilium pariter, ut Carolus olim, aduocatus, incolumitatem reddebat Auguſti dignitate primus in gente Saxonum, quod auſpicato accidit, auctus Ioannem tamen XII, Pontificem, qui conſecrationis ſolennia peregerat, periurii, ſacrilegii, inceſti, et tantum non omnis ſceleris, reum, conſentientibus omnium ſuffragiis, loco et dignitate mouebat, Leone VIII, Pontifice maximo, ſurrogato *r*). Vtriuſque Caroli et Ottonis res geſtas contendit, et, quid utrique debeat Germania, expendit Otto Friſingenſis, ac docet, alterum, capto Deſiderio, Longobardorum rege, imperium ad Germanos detuliſſe, alterum, inclinata iam fortuna, capto Berengario, aſſeruiſſe, alterum Francos ſuos, alterum Saxonas, Auguſti honore, et amplitudine nominis nobilitauiſſe *ſ*).

CAPVT IX

Multa hoc tempore coenobia extructa utriuſque ſexus ſunt, et ſanctior doctrina in eis propoſita, iis maxime regionibus, quibus Ottonis magni uirtute, homines profanum deorum cultum abiecerant, et fidem

O obſe-

r) Acta ſolennis huius exauctorationis inſeruit teſtis eius rei uerus Liuthprandus L. VI c. VI uſque ad finem eius libri et operis totius.

ſ) Chron. L. VI c. XXIV

obſequiumque polliciti fuerant, eadem cum Saxonibus, etſi nondum libertate, et immunitate, tamen Numinis ſanctioris colendi ratione, iuncti. Praedicant ſacroſanctum inſtitutum, et laudibus extollunt ſcriptores, qui temporis illius memoriam pie recolunt, et propagationem ueri cultus admirantur, cum primis inter Slauos, quos foeda olim ſuperſtitio penitus occupauerat, nunc Ottonis felicitate, coeleſtis illa lux colluſtraret, ac, tenebris diiectis, amore praepotentis Dei aleret quotidie ac foueret. Speciatim de Vagriis, Sleſuicenſibus, finitimiſque, Helmoldus in annales, Adami Bremenſis nixus fide, retulit, quod cultiores facti nullum nunc locum, urbibus, uicis et monaſteriis uacuum ſinerent, ſed undique ſolitudinem tot ſacris monumentis, ueluti exterminarent. *Et repleta eſt*, Helmoldus ait, *omnis Vagirorum, Obotritorum ſiue Kynicorum prouincia eccleſiis, ſacerdotibus, monachis et Deo dicatis uirginibus t)*. Quamuis, quod paullo poſt docebimus, Dani et Slaui, commoditatem nacti, excutere chriſtianorum iugum, et priſtinam reuocare libertatem, reuocare priſtinam profani cultus rationem, conniterentur. De coenobiis aliis, quae ad regulam D. Benedicti in Saxonia, et alias, coeperunt aetate Ottonis, pluribus commemorat Io. Trithe-

t) L. I c. XII Chron. Slau.

Trithemius, ipſe familiae Benedictinae ſocius olim et ornamentum *u*).

CAPVT X

Cum religione tamen propagabatur ſuperſtitio Romana, atque inter nouos Chriſtianos, quibus perſuaderi omnia poterant, per antiſtites, ſuperſtitionis praecones, confirmabatur, cum alias iam radices egiſſet, et omnem melioris doctrinae coetum repleuiſſet. Praeter cetera, *reliquiae diuorum*, magna copia in Germaniam importatae ſanctiſſimis nunc demum locis aſſeruabantur, et religioſius colebantur, cum, in cinere eorum diuinum aliquid, et uenerabile ineſſe, exiſtimarent. Quicquid hinc, ſanctum ubique haberi, cognouerant, magnis ſumptibus in Germaniam aſportabant prouidie, et uenerabantur. Bruno, Ottonis magni frater, et praeſul Colonienſis, cuius res iam tum in bello geſta Ruotgerus et Leuoldus Northofius praedicant, reliquis Euergiſti, Petri, Proculi, Eliphii, Gregorii, Agilophi, diuorum, ex remotiſſimis locis ſtudioſe conquiſitis, baculo etiam et uinculis diui Petri, ne quid ad cultus ornamentum deeſſet, Auguſtam Vbiorum et Suſatum, pro opinione ſeculi, ornabat, magna hinc laude ab ſcriptoribus ornatus

u) Chron. Hirſaug. ad annum Io CCCC LVIII p. XXXIII

tus ipse et commendatus x). Nescio, quid in mentem uenerit Adamo Bremensi, quod Brunonem istum, Ottonis regis, filium nominat, quando Bremam sibi uindicare uoluisse, narrat, quem tamen Ottonis, regis, post Augusti, fratrem fuisse, inter omnes illius seculi historicos constat y). Sic inter merita Adaldagi, Bremens. Antistitis, uel numeratur inprimis, quod coenobia his antiquitatis monumentis locupletiora et insigniora reddidit, et Quiriaci Caesarii, Victoris, Coronae, Felicis et Feliciani, Cosmae denique et Damiani ex Italia allatis corporibus, superstitionis incrementa fecit z). Nolo conquirere plura, quae magno cumulo de reliquiis supersunt, testimonia, cum, uel haec suffectura, putem, ad demonstrandam, quae hominum animos coeca superstitione retinuit, ineptam pietatem, et praesulum fraudem, quae mendacia, religiosa diuorum ueneratione, facilius tuebatur. Sed et conditores coenobiorum, nimia sanctitatis persua-

x) Trithemius Chron. Hirsaug. ad annum IↃCCCCLXIV Leu. Northofius. Hic, ait, corpora reliquiarum sanctorum studiose ubicunque collegit in Catalogo Archiepiscoporum, Coloniens. p. V et VI Tomo II Meibom. ante hos Ruotgerus, qui uitam Brunonis perscripsit, capite XXVI p. CCLXXII T. I Leibnit.

y) Hist. Eccles. L. II c. III

z) Adamus Bremens. L. II c. VI ex eoque Albertus Stadensis ad an. IↃCCCCLXI

ſuaſione, inflati, coeleſtia ex beneficiis eiuſmodi munera ſibi pollicebantur, ſaluti ſuae, ne diſcrimen adiret, conſulturi, et gratiam Dei, quae tamen merita hominum reſpuit, ſua prouidentia conciliaturi. Quamobrem ſolennes uideas in tabulis, quibus inſtituti ab ſe monumenti cauſas expoſuerunt, formulas, *ob amorem Dei omniumque ſanctorum, pro remedio animae.* Quin et eis, qui imminuere aliquid, uel detrahere de honore illorum et reditibus ſacris auſus fuerit, poenam, et iuſti quidem Numinis uindictam minabantur, attamen, diuis coelitibus non omiſſis, ſtatuebant ſimul, et decernebant, hos ſacrilegii fore uindices, quorum, ſiquidem in poſterum eripere quicquam, aut uim pietati facere conaretur, *iram incurreret*, quae ipſius magni Ottonis uerba ſunt in literis, quibus monaſterium Bergenſe, iuxta Magdeburgum, ratum firmatumque uoluit *a*). Eandem in ſententiam fere Gerenrodenſe, cuius ſupra mentionem iniecimus, Gero, Marchio, ab ruina liberum praeſtare uoluit, et ſuam conditoris pietatem indicauit tabulis, quas ex memoria ſeculi illius accurate expreſſit, eo, quem praediximus, loco, celeberrimus Becmannus. Peregrinationis ſacrae primordia, iam tum clara, inſigniora nunc faciebant, dum ad diuorum tumulos ſuſcipiebant eas

O 3 ſummi

a) Henricus Meibomius ſen. in Chronico Bergenſi, p. CCXC ſeq. Tom. III Meibom.

summi et in republica principes uiri, imperatoresque, magna meritorum persuasione, maiori ciuium et patriae impensa ac detrimento. Qui pietatis nomine clari erant, uaticiniis diuinationibusque et colloquiis cum coelitibus, somnia tegebant, et, quae animo destinauerant, his commentis efficiebant. Cuiusmodi uates praeconesque somniorum extant numero plurimi, etiam inter Germanos, qui, ex consuetudine exterorum, suam quoque fingebant fortunam. Hinc noui diuorum festi dies, in fastos relati, in his memoriae *fidelium animarum* sanctus ille et celebris erat, monachi in Sicilia somno, quod ex Vulcani flammis profectum, memorant, institutus *b*).

CAPVT XI

Monachorum reuocare disciplinam, quae inclinabat, omni opera annitebatur, et eius rei causas conuentus solennes instituebat. Etenim monachi illi, quibus, quas illustri loco nati liberaliter suppeditabant, freti, otio, libidini, indulgebant in primis, officio se satisfecisse suo, rati, siquidem profunderent liberaliter beneficia, cetera religiosi ordinis habitu distincti. Vt ipsi Pontifices, rei

b) Io. Trithemius Chron. Hirsaug. in uita Conradi Abbatis X idemque somnia monachorum sollicite collegit, tum Hachenbergius differt. VIII §. XII

rei indignitate commoti, enunciarent, *melius paucos uitae claros, quam multos negligentes in monasteriis esse, ideoque oportere conuersationes per monasteria perspicere, et non bene conuersantes abiicere.* Quae Alberti Stadensis uerba sunt *c*), attamen, quod inspicienti patebit, ex Vitechindo Corbeiensi eo translata, quod ante me uiri, in antiquitate Germanica, magna industria uersati, annotauerunt. In his H. Meibomius, qui Vitechindi annales eruditis animaduersionibus illustrauit *d*) Quo facto, multi, uel male sibi conscii, uel uitae solitariae pertaesi, deposito habitu, et relictis monasteriis, ut pergit Vitechindus, ex Vitechindo Albertus, aliam uitam delegerunt. Quorsum respicit Vadianus, atque eadem ex Vitechindo refert, licet auctorem, ut institutum habet, non addat, quando, multos, instituta, per Ottonem, emendatione, monasteriorum, diffugisse, docet *e*).

CAPVT XII

Accedebat huc, quod Antistites, neglecta sacrorum cura, in procuratione reipubl. auctores actoresque erant, adeoque in aula, non

c) Albertus Stad. ad an. IↃCCCCXLI p. CCXIV

d) Vitechindi uerba leguntur Annal. L. II p. IↃCL ad extremum.

e) Lib. I de Monast. German. p. XXV Tomo III Goldasti. Cetera Lehmannus Chron. Spir. L. V c. IX

non in templo, aut musarum domicilio, ut officii ratio exigebat, uersabantur. Magna quidem erat sanctitatis opinio, quam habebat Adaldagus, Antistes Bremensis, attamen, quantum ex Adamo Bremensi perspicimus, consiliorum magni Ottonis particeps, in Italia, cum imperio dignitatem, Italis libertatem ille restitueret, diutius tum moratus est, quam munus arduum ferre poterat, nec, nisi multis suorum repetitis precibus, in Germaniam reuersus *f*). Alii, liberalitate et fauore Principum elati, facultatibus locupletati, libertatem quaerebant, maxime Ottone I extincto, cum Ottones, II et III externis bellis, negotiisque reipubl. distraherentur. Ex quo fiebat, ut disciplinae sacrae multi se subducerent, et luxuriosi, dissoluti, libidinosi, intemperantesque deprehenderentur. De Treuirensibus, Confluentinis, Moguntinis, Vormatiensibus, et Spirensibus, qui, e sacerdotiis coenobiisque egressi, uitae rationes commutauerunt, Io. Trithemius memorat, et deprauatos sacerdotum mores refellit ad Annum IↃ CCCC LXXVII *g*). Corruptum ecclesiae statum, qui hoc seculo inueterauit, et uitia, quae in coetu christianorum sacro elucere clarius coeperunt, exponit Georgius Fabricius, uir historiae patriae, et rei literariae,

f) Hist. Eccles. L. II c. V et, qui hinc mutuatus est, Albertus Stadensis p. CCXVII
g) Chron. Hirsaug. p. XXXVII

riae, sciens apprime, et exteris commendatus. *Iam aucti magnis facultatibus et accessionibus ditati* (antistites, de quibus iudicium ibi facit) *libertatem sumpserant, et carceres disciplinae perruperant, nam Ottone II bellis Italicis occupato, et filio eius Ottone III adhuc puero, non habebant, quem obseruarent, aut metuerent, aut, qui eorum libidini ualeret, obsistere, aut saltem contradicere. Igitur coenobitarum aut fratrum nomen, amplius non admittebant, sed Canonicos sese, et Dominos mutuo salutabant, non discere, neque sacra ipsi facere, sed uicariis operas suas committere, ipsi equis studere et opibus, militare, et ordines ducere, in conuiuiis nobilium spectari, interesse theatris et pompis solebant. Neque iuxta ecclesias in sacrariis pernoctari, sed priuatas domos ornare, cocos, structores, sartores alere, cum concubinis et famulabus habitare, scurris et morionibus dare praemia, ueste linea habitum militarem, aut theatricum tegere, ad nuptias plebeias adire, et quod inauditum antea seculis omnibus fuerat, priuilegia de uenationibus ferarum ab imperatoribus petere. Tale enim Erpo, Antistes Verdensis, senectute iam delirus, sed in sua iuuentute praesul eximius, ab Ottone III flagitauit et obtinuit. Non uisitabantur pauperes, non egeni alebantur, non hospitum cura erat, sed auaritia eos ita occoecauerat, ut exactionibus, et tributis insolitis plebem exhaurirent, adeo, ut gentes Vandalicae, et Slauicae, quas Henricus et Otto, optimi Imperatores, ad ecclesiam magnis laboribus, et sum-*

„ma pietate collegerant, iam odio religionis exardescerent, et mori potius praeoptarent, quam a sacerdotibus tam impuris et auaris se degluhi, paterentur. Cum remedium talibus malis afferri nullum posset, aucta licentia est, et e collegiis sacerdotum exulare iussa disciplina, sanctitas, pudicitia b).

CAPVT XIII

Hinc graues quoque monachorum, de luxuria Abbatum et arrogantia, querelae in aulas delatae, proceres in diuersas sententias distrahebant, cum alii, qui similem tumultum pertimescebant de suis, coercendos monachos, atque, infectis rebus, remittendos, dicerent, alii, reprimendam rectorum liberiorem uitae consuetudinem, et superbiam ex animis euellendam, sapienti consilio suadebant. Repetundarum postulabant Gerhardum, Abbatem suum, Sangallenses monachi, atque, re ad Ottonem III imper., delata, patrimonium profundere sacram, dicebant, inutilem tanto muneri et indignum, qui diutius coenobio praeesset, pronunciantes. Burcardus literas, quibus eundem sacrilegii reum fecerant, interserit, et uerba, quae continent querelam, addit, quae, ut cau-

b) Lib. II Orig. Saxon. p. CCXV seq. pertinent huc, quae de Brunone, Ottonis M. fratre, ex Vitechindo, repetit Hachenbergius diss. VIII §. XIII

caufae iuftitia pateat, repeto, *Simoniace ecclefias uendidit, res ecclefiae inbeneficiauit, thefauros diffipauit.* Abbas uero Gerhardus, qui facile iudicio fuo fententiam iudicis affequi poterat, callide eam interuertebat. Largitio animum flectebat. Non imperatoris, fed comitis Mutzonis, qui, proximus ab imperatore, autoritate omnes anteibat. Muzo, corruptus pecunia, tantum efficiebat, ut monachi, rebus infectis, difcederent, Gerhardus reprehenfione feuerioris poenae periculum effugeret, quod monachi minitabantur. Otto, imperator, auaritiae, innoxius tamen, accufatus *i*).

CAPVT XIV

Quo perturbato coenobiorum ftatu, praefertim, cum honores quifque cum impetu ambiret, et diffidiis plerique animos diftraherent, fieri aliter non poterat, quam, ut fummi etiam uiri ac proceres, territoriique domini auctoritate fua fe interponerent, reditus facros, nemine, tanta turba, prohibente, occuparent, religiofi ordinis miniftros et facerdotes afpernarentur. Quae uiciffitudo et commutatio fortunae afflixit Hirfaugienfes, qui, in eligendo Abbate nouo diffi-

i) u. Burcardus de Cafibus monafterii S. Galli, p. LXIII feq. T. I Goldafti, ubi uerfus, quibus Ottonem, imp., auaritiae participem fecerunt, recitat, quos repetere hic nolo.

diſſidentes, Comiti, ut coenobii fortunis inſidiaretur, occaſionem dabant. Atque hinc, pulſis monachis, et libris, quos magna olim cura conquiſierant, direptis, aedibuſque ſacris dirutis, uel incuria neglectis, facultates et reditus annuos, progreſſu temporis, interuertere, ſacriſque finem ita ſtatuere cogitabat. Cuius rei teſtis eſt locuples et grauis Io. Trithemius, qui miſeriam, quae diu deinde afflixit monaſterium iſtud, deplorat, et, quantum rei ſacrae detrimentum contraxerint diſſenſione ſocii, pluribus exponit *k*). Quare alii alias tot precibus obteſtationibuſque ſucceſſores, qui futuri eſſent, in tabulis ſupremis monebant identidem, et hortabantur, cauerent induſtrie ac diligenter, ne pius ille conatus, quem coepiſſent, ullius uſquam ceſſantis culpa, interuerteretur. Gebhardus, Antiſtes Ratiſponenſis, qui ſacerdotum mores haud dubie perſpectos habuit, in literis, quibus monaſterium *Pruel* in finibus illis ab ſe conditum probauit, et ſanctum inuiolatumque iuſſit, ad extremum, quod memorabile eſt, ita decreuit, *Proinde, quisquis es futurus meus ſucceſſor, te precor et efflagito, te poſco, te peto,* (condonanda huic ſeculo periculoſa, caſu accuſandi, alias dictio) *te admoneo, te obteſtor, per S. Paracletum, quem in baptiſmo ſuſcepiſti, in cuius uidelicet honore haec domus eſt ſpecialiter conſecrata, ne regularem uitam inibi deſtrui*

k) Chron. Hirſaug. p. XLIV

ſtrui patiaris, nec in aliquo minui, ſed certus de aeterna remuneratione facias augeri, et ſemper in melius profici. Sed enim, tametſi Gebhardi II et III qui ſecuti eum ſunt, eandem in priuilegiis formulam repetierunt, tamen ne ſic quidem ab ruina et prolapſione manſit liberum, cui obnoxium fuiſſe, Andreas Ratiſponenſis, ex quo hanc formulam recitauimus, teſtatur *l*).

CAPVT XV

Cum primis, Ottone I rebus humanis erepto, ſubita rerum in eccleſia conuerſio ſequebatur, atque irrita fere erant, quae pro defendenda ea et amplificanda ſuſceperant, Henricus et Otto. Maxime inter Slauos, qui, occaſionem commodam nacti, Chriſtianorum excutere iugum annitebantur. Ditericus, Marchio Brandenburgicus, nouos illos Chriſtianos tributis, quae imponebat inſolentius, commouebat, ut periculum liberandi ſui facerent, non dimittendam, quae commoda erat, occaſionem illius rati. Pro libertate uitam effundere, et in alieno etiam ſolo, malebant, quam proiicere eam ſacerdotibus, qui gratiam commodis metiebantur. Facta igitur conſpiratione, Hauelbergam et Brandeburgum inuadebant, ſacerdotes obtrun-

l) Chronico Bauariae ad Ann. Iↄ CCCC XCVII p. LXXXI Tome Schilt.

truncabant, cum mortuis etiam, quos erutos ornatu omni ſpoliabant, de illata ſibi iniuria decertaturi. Boiemi eandem fortunam experiebantur, atque, in Miſniam infuſi, pulſis, maxime in dioeceſi Citienſi, religionis miniſtris, fana diripiebant, omne Chriſtianorum nomen, ſiquidem potuiſſent, extincturi. Recuperabat Otto III opera Kizae, quem Georgius Fabricius Chiezonem uocat, Brandenburgum, Kizae laboranti ſummittebat Otto Henricum, Vdonem, Siffridum, et Ethelgerum. His apropinquantibus hoſtes obuiam facti, pugna commiſſa, ſuperiores erant, attamen, urbe dolo Kizae amiſſa, iniuriam, ope Danorum, apud quos Suein Otto regnabat, ulciſcebantur *m*). Prima inter Obotritos moliebatur, ut Helmoldus tradit, Billungus, Obotritorum rex, ab filio, Miſlao, compulſus. Billungus Vagonis, Aldenburgenſis praeſulis, ſororem in matrimonio habebat. Filiam, quam ex ea ſuſceperat, Hodicam ſacro uirginum collegio, quod Meclenburgi erat, praefecerat *Abbatiſſam*. Corripiebat eius rei cauſa filius parentem. Vterque hoſtili animo in prouinciam affinis irrumpebant. Incendiis, rapinis dolum, repetita irruptione, prodebant. Inde cauſa et ini-

m) Ditmarus L. III et IV p. CCCXLVI et CCCLII ſeq. Tom. I Leibn. ex eo Georg. Fabricius Orig. Saxon. ad an. IↃCCCCLXXXII p. CXCV ſeq. CXCIX p. CCXX ſeqq.

initium calamitatis. Otto II bello Saracenorum impeditus, in Italia, afflictis ecclesiae rebus occurrere non poterat, incursionesque hostium impedire. Omnis malorum causa Mislaus erat. Is clandestinis consiliis euertere Christianorum sacra, et libertatem reddere suis studebat, publice, ut circumueniret Christianos, callidissime tempori inseruiebat. In Dania Suein Otto, Haroldi filius, patre pulso, regnum inuadebat, superstitione penitus renouata, Christianos omni cruciatus genere uexabat, ab Erico, Sueonum rege, uictus, et regno pulsus. Sueones et Dani in Saxoniam, quae inter Visurgim et Albim patet, effusi, foedis direptionibus omnia populabantur. Saxones uicti animum, uires, fortunas, lacrymabantur. Heruardi tamen, quem ducem in solo ignoto designauerant hostes, calliditate in campum, sibi minus opportunum, deducti, temeritatis poenam luebant, uiginti millibus caesis *n*).

CAPVT

n) Adamus L. II c. XIIX seq. c. XXII seq. Helmoldus L. I c. XIII XIV XV inde Albertus Stadensis ad an. IↃCCCLXXXVII seq. p. CCXIX seq. quo bello Bremam muro primum muniri coepisse, et ex Adamo Bremensi, tradit. Georg. Fabricius p. CCXXIII seq. Sed Albertus inepto consilio diruit et euertit, teste Adamo Bremensi, L. III c. V Bangertus ad Helmoldi L. I c. XII p. XXXIX

CAPVT XVI

Maxima igitur hoc feculo incrementa ceperat doctrina falutaris, et ea quidem armis Henrici, regis, imperatorumque Ottonum propagata, et, dimiffis, qui difciplinam reuocarent, emendata, attamen, quod teftes, quofcunque ex eis temporibus aduoces, omnes confirmant, iacturam, quam fubito, maxime inter nouos Chriftianos, cafu factam, nouimus, nemini acceptam referunt, nifi acerbo, quod fubeundum erat, iugo, et facerdotum moribus corruptis. Hi animos, nondum penitus confirmatos, iam reddebant dubios, ut de ueritate fufpiciones alerent, illud, ut libertatem, fibi per religionis diuinae caufam, ereptam affererent, concitabat, cum grauius tributis, quam ferre poffent, premerentur. Sua tamen liberalitate, opera, feueritate, commendatione, ruinae occurrere uolebant, maxime Ottones, qui ius conftituendorum Pontificum, Antiftitumque afferebant fibi, et, remotis, qui rei facrae officiebant, uiros, uirtute, doctrina, auctoritate, praeftantes, furrogabant, liberiorem uitae rationem publicis conciliis compefcebant, et, ne plura concupifcerent, edictis pluribus et legibus, interdicebant. Quod probant, et rei facrae falutare praedicant, auctoritatique imperatorum ac regum Germanorum opportunum et utile accidiffe, enunciant

ciant uiri, qui rebus gestis interfuerunt ipsi, et, ex memoria illius temporis superstites, acta et instrumenta consiliorum, rerumque omnium conseruarunt, Liutprandus, Vitechindus, Ditmarus, Adamus Bremensis, et plures, qui horum suffragio nituntur. Vnum istud, quod praeterire non debeo, regum auctoritatem in suspicionem adducere uidebatur, quod Antistites bellorum consiliorumque principes etiamnum retinebant, amplissimis fortunis ditiores reddebant, causas grauiores ad eos, quippe gerendarum rerum arbitros, auctoresque, deferebant, libertatem etiam contra leges, nouissime promulgatas, nihilominus concedebant liberius, et literis etiam, ut immunitatem inter suos testatam facerent, approbabant. Quam licentiam non modo Antistitibus, sed imperatoribus ipsis, molestam fuisse, uel ex eo intelliges, quod, inter optimates, non defuisse, constet, qui sensim reprehendere ausi fuerint, ut causas, nescio quas, colligerent, quibus admissa caute tegerent, animisque euellerent contemptum. Liquido patet exemplo Brunonis, Antistitis Coloniensis, Graece alioqui Latineque, Ruotgero teste, doctissimi, cui Otto I quia frater erat, indulgebat liberalius, atque, inaudito hucusque exemplo, Lotharingiae ducem constituebat, aliisque, ut eadem appeterent, occasionem et causam dabat, quorum exempla repetit Meibomius, et

Brunonem insolentius *Archiducis* titulum sumpsisse, tradit, cum refellit Vitechindum, rem, quae insolens erat et inusitata, Samuelis exemplo, ut assolent, excusantem. Verba uero Vitechindi, quae ita fluunt, conatum expromunt, et suspectam uel maxime causam iam tum temporis reddunt. *Quem* (Brunonem, agit enim eo in libro de filiis Henrici Aucupis, quos ex Mathilda uidit) *Pontificis summi ac Ducis magni uidimus officium gerentem. Ac, ne quis eum culpabilem super hoc dixerit, cum Samuelem sanctum, et alios plures sacerdotes pariter legamus et iudices o).* Post Vitechindum ab suspicione ista pariter liberat eum Ruotgerus. Tum Sigebertus, scriptor eiusdem seculi, uel ex eo occasionem laudandi Brunonis, sibi datam, intelligens, non modo Coloniensis Archiepiscopatus dignitate illustrem praedicat, sed etiam *dominatus totius Lotharingiae sublimitate* insignem uocat *p*). Quod non eo ualet, ut demonstrem, Brunonem, Antistitem primum seculi artes cum sacerdotio coniunxisse, atque reipublicae causas egisse, quod ante eum fecerunt alii, supe-

o) Extant haec Vitechindi uerba Annal. L. I p. IↃC XXXVIII et Meibomii ad hunc locum p. IↃC LXXX Tomo I Ruotgeri extant in uita Brunonis c. XX p. CCLXXX T. I Leibnit. adde Leibnitium in introductione ad Ruotgerum, et Hachenbergium differt. VIII § XIII

p) in uita Theodorici I Metensis Episcopi, c. I p. CCXCV T. I Leibnit. Script. Brunsuic.

ſuperiori aetate, ſupra iam tum a nobis adducti, quum oſtenderetur, maturius Antiſtites falcem in alienam immiſiſſe meſſem, et ſibi labem, rei ſacrae incommodum, quod remoueri non poterat deinceps, intuliſſe. Accedit Schurzfleiſchius, et probat, multo ante Ottonis I fratrem irrepſiſſe in rempublicam hoc uitium, idque Anepotis exemplo conficit, quem, fines muneris Epiſcopi ſacros egreſſum, et militiae artibus deditum, exercitum Francorum contra Voiliarium in Sueuos duxiſſe primum, ex Adone Viennenſi colligit ad annum ıɔccxii *q*). Nobis potiſſimum ſermo eſt de facultatibus, quas tenuit pretioſiores, et dominio ac titulo, quem in Lotharingios, beneficio Auguſti fratris, ſumebat liberius, et arrogantius uſurpabat, omnium, quod mirum hoc ſeculo prudentioribus uidebatur, primus. Sed et Otto II ut ad regiam auguſtamque in ordinem ſacrum liberalitatem reuertar, quartam pecuniae partem eccleſiis, teſtamento, dabat, ſed eccleſiis conſtituere hoc ſeculo nihil aliud erat fere, quam eccleſiarum praefectos locupletare *r*).

P 2 LIBER

q) in diſp. LI de Motibus Belgicis, p. XXXV
r) Ditmarus L. III ad an. IɔCCCC LXXIX

LIBER VI
DE
STVDIIS LITERARVM.

CAPVT I

Quae doctrinae melioris fortuna initio erat, eadem erat bonarum artium ac literarum. Vbi pietati, ibi musis locus. Complura inter gentes, quae barbariae nuncium remiserant, sacrorum domicilia cum ab Henrico Aucupe, tum in primis ab Ottone M. constituta, paullo ante ostendimus, sed tamen contiguas hisce sacerdotiis fuisse musarum humaniorum sedes, quis est, qui negare ausit? Vna cum Christi doctrina literae propagabantur, ludis, quibus saluae essent, conditis, doctoribus, qui ornarent, praefectis. Modo ornare eas potuissent. Multi ingenuarum artium magistri celebres sunt. Sed seculi consuetudine, quae uoluntatem in conatu, celebritatem in latebris, quaerebat. Satis erat, ex antiquitate, quae literas in pretio habebat, repetiisse disciplinae liberalis elogium, literas ignorare, non in uitio habebatur, nemo fere, qui ignorantiae accusare posset, tanta eruditorum multi-

multitudine reperiebatur. Latebat fama apud coenobiorum asseclas, et monachos, quibus, qui placebat, placuisse omnibus dicebatur. Omnia humanitatis ac sapientiae studia in coenobiis arctius custodiebantur. Referebant uero inter humanitatis studia, quae ex hoc seculo commendat, more suo, Trithemius, *Mathematicam*, *Arithmeticam*, *Astronomiam*, *Musicam*, *Eloquentiam*, *Poesin*, *Historiam*, plebeiam tamen et anilem, quemadmodum artes omnes, quas, qui leuiter attigerat, *in seculari literatura*, *uel omnium scientiarum doctrina*, eruditissimus dicebatur. Qui uero in caussas rerum, et arcana philosophiae mysteria penetrare niteretur, *magi* conuicio distinguebatur. Perspicuum fere est exemplo Brunonis, summi Coloniensium praesulis, Oratoris, et Philosophi excellentis, quem, Popponis somnio, ab summo, nescio quo, iudice nimii Philosophiae amoris accusatum, defendisse Diuum Paulum, Ap., refert Ditmarus, Antistes Merseburgensis *f*). At somnii opinio, quae sapientioribus uidebatur, iam tum remouenda erat. In monasteria, qui discere humanitatis studia cuperent, mittendi erant. Annoni, monasterii Bergensis Moderatori primo, quem moribus et scientia uenerabilem praedicat Trithemius, mox tradebantur regiae stirpis ac procerum filii, pieta-

f) Chron. Lib. II.

pietate et doctrina instituendi *t*). Rationem docendi, quae hoc seculo uiguit, tradit Trithemius, cuius uerba, alias edita, repetere hic, quia interest, non displicebit. *Talis*, inquit, *eo tempore consuetudo in ordine nostro* (Benedictino) *seruabatur, ut monachi, pro pleniore eruditione consequenda, si qui uiderentur idonei, ad diuersa monasteria instruendi, mitterentur. In omnibus enim nostri ordinis coenobiis, in Germania et Gallia maxime, monachorum scholastici ex monachis habebantur, qui iuniores quosque, et ingenio praestantes, in primitiuis literarum scientiis erudirent, et postea, qui habiles inuenti fuissent, ad altiora transmitterent. In solis autem famosioribus coenobiis, quibus et abundantia rerum temporalium erat copiosior, et monachorum numerus maior, constituebantur, ad officium docendi alios, monachi omnium doctissimi, et non solum in diuinis, sed etiam in secularibus literis eruditi, ad quos ex inferioris gradus coenobiis mittebantur monachi, altioribus disciplinis instituendi. Quicunque uero inter eos maioris eruditionis famam in ordine acquisierat, etiam plures ad se missos discipulos, ad erudiendum monachos habebat.* Obtinuisse hanc disciplinam in celebrioribus Germaniae coenobiis, cum primis Gallensi, Augiensi, Fuldensi, Hirschfeldensi, Hirsaugiensi, Prumiensi, Treuirensi, VVeissenburgensi, aliisque, etiam

t) Trithemius Chron. Hirsaugiensi, ad an. IↃCCCCXL p. XXIX Meibomius Chronico Bergensi, p. CC XCC Tom. III Script. German.

tiam exteris, addit, et, monachos uitae ac
oċtrinae gloria floruiſſe, teſtatur *u*).

CAPVT II

Celebre erat monaſterium diui Galli in
Heluetiis, at, ut planius conſtet, quae
onditio fuerit humaniorum in eo literarum,
kemplo, quod celebritatem haud tuetur,
onficiam, et literas recitabo, quas ipſe mo-
achorum profectus Burcardus exarauit,
lotkerum, ut ſibi ſucceſſorem conſtitueret,
ttoni M. commendaturus. *Summae poſt
eum maieſtatis Dominis meis regnum aeternum
rkbardus Abbas ſemiuiuus. Annis meis, et ſe-
o finem mibi uitae in ianuis habentibus, ne pa-
r oues, pater filium improuiſos relinquam, Do-
ini mei, priuilegium gratiae ueſtrae me ſollici-
nt. Miſi itaque uobis, fiduciam ueſtri habens, di-
lum meum, mihi adhuc uiuo ſufficiendum, a ui-
uirtutum optimis moribus aſſuefactum, Sanct.
llo, ut confido, uobiſque placiturum. Miſi au-
n uobis et teſtes meos ter tres idoneos, qui eum
am uobis, ferula mea reddita, et indulgentia
bi petita, ſinguli eligent. Valeat regnum ue-
um, et imperium in Domino Dominorum, Amen x*).
quibus intelligi poteſt, Abbatem, ac ſtu-
rum moderatorem, his ſordibus gratiam

 in

) **Chron. Hirſaug. in uita Ditmari, p. XXX ſeq.**

) **Ekbardus iunior de Caſib. S. Galli, c. XVI p. LV Tom I Goldaſti.**

in aula Ottonis quaesiisse, sed iudicari etiam potest, disciplinae alumnos asperam horridamque dictionem in deliciis habuisse. Has literas interpretabatur Otto II parenti, et lingua Saxonica uertebat. Otto enim primus Latinae linguae expers erat et ignarus. Quod certum est, tametsi Vitechindus, monachus Corbeiensis, serius eam didicisse, doceat. Fecit hoc amore erga imperatorem, cui, fama iam tum magno, ex literis nomen aliquod conciliare studet. Non inficiatur quidem, ignorasse literas, sed, ducta coniuge altera, Adelheide, quam Eccardus iunior *literatissimam* dicto ante loco uocat, demum didicisse, tradit. *Post mortem*, ait, *Edidis, reginae, cum antea nesciret literas, in tantum didicit, ut pleniter libros legere, et intelligere, nouerit. Praeterea Romana lingua, Sclauonicaque loqui sciebat, sed rarum est, quod earum uti dignaretur y).* Sed, Latinae linguae expertem et ignarum fuisse, uel exinde coniicit Henr. Meibomius, quod Adelheidis, altera coniux, Sangallensium literas se marito interpretaturam, affirmat, quod opus non fuisset, siquidem imperator ipse intellexisset. Quod et exemplo filii, Ottonis II patet, quem Burcardi literas lingua Saxonica interpretatum, paullo ante commemoratum est z). Accedit auctoritas

y) Lib. II p. IↃCL Tom. I Meibomiano.

z) Eccardus iun. dicto supra capite p. LX Meibomius ad Vitechindum p. IↃCXCII.

tas Liuthprandi, qui eiuſdem aetatis fuit, atque Ottonis M. in concilio, quo Romae Ioannes, Pontifex, exauctorabatur, interpres. Quod ex ipſius uerbis, quae rei fidem faciunt, manifeſtum eſt, quando, *Imperator*, inquit, *quia Romani eius loquelam propriam, id eſt, Saxonicam, intelligere nequibant, Liuthbrando, Cremonenſi Epiſcopo, praecepit, ut Latino ſermone haec Romanis omnibus, quae ſequuntur, exprimeret a).* Quod concilium anno, ut ex Hermanno Contracto, aliiſque palam eſt, ıↄ CCCCLXIII, adeoque multis poſt annis, quam Adelheidem duxerat, ſolenne fuit *b*). Vt amori Vitechindus indulſiſſe uideatur. Agnouiſſe id ipſum, referunt, Ottonem, atque filium, ut accuratius literis imbueretur, eruditis tradidiſſe, teſtantur. Vtramque linquam, Graecam et Latinam, ita intellexiſſe Ottonem II conſtat, ut utraque loqui potuerit, et Graecae illius uſu periculum, medios inter hoſtes, declinare *c*).

CAPVT III

Laudat complures, ut ſolet, *carmine* claros ex hoc ſeculo uiros Trithemius, laudo ego non uirum quidem, ſed feminam, attamen uerſu nemini, quod contendere poſ-

a) Lib. VI c. VII et VIII

b) Hermannus Contractus ad an. ſeculi L II et LXII ſeq.

c) Lehmannus Chron. Spir. L. V c. XI.

ſum, ſecundam, Saxonica gente et natione ortam, de Ottone Saxone, ciuem de ciue, uirtute ac meritis ſummo, praeclare meritam, atque ingenii uirtutiſque monumentis, quae rara hoc ſeculo felicitas eſt, illuſtrem. RHOSVITAM intelligo, religioſam in monaſterio ad Gandam, fl., ſacerdotem. *Monialem* ipſa ſe uocat *d*). Generis dignitate inſignem hinc coniicit Henr. Leon. Schurzfleiſchius, quod in monaſterio iſto non aliae, quam ſummo natae loco, uirgines admiſſae ſunt. Diſtinguendum tamen monet ab Rhoſuita, quarta eiuſdem coenobii antiſtita, quae eodem tempore uixit, et noſtrae, ut coniicit Leibnitius, propinquitate coniuncta fuit. Virginem ſacram, de qua hic exponimus, Martinus Fridericus Seidelius, Conſiliarius Brandenburgicus, *Helenam a Roſſovv*, in effigie ab nobiliſſima, quae ſuperſtes hodieque eſt, familia deduxit. Atque ita imaginem Rhoſuitae noſtratis expreſſerunt Henr. Meibomius, nepos, et Io. Georgius Leucfeldius, Seidelium ſecuti. At illuſtris Leibnitius diſſentit, et, *non familiae, ſed perſonae, nomen fuiſſe*, docet. Saxonibus eam uindicat Georgius Fabricius, et Laurent. Humfredum, Anglum, qui Anglam natione ſtatuit, arguit erroris. Arguit eundem Henr. Leonhard. Schurzfleiſchius et rationibus, quae non fallunt,

d) in praefatione ad Ottonem II p. CLXXVIII

int, uincit *e*). Sed et Fabricius, uir laude ignus, erroris accusatur, qui ab Trithemio, t mea fert opinio, seductus, seculo XII uiisse poetriam, tradit. *f*). Ingenuas artes et teras didicit, auspiciis Richardae et Gerbertae. Gerbergae, eius nominis Antistitae II ratam declaratura mentem, inscripsit *Histoiam B. Mariae Virg. et de conuersione desperati dolescentis, Serui, Proterii, per S. Basilium, et anegyrin Ottonis M.* Ingenii monumenta, quae didit, multa sunt, atque ab Io. Trithemio, Conr. Celte, Henr. Meibomio, Ger. Io. Voso, Henrico Leon. Schurzfleischio, Io. Gerg. Leucfeldio enumerata. Comoediis sex, uas edidit, Terentium imitata, illibatam Virginitatem commendauit. Carmine taien, quod mihi obseruatum, felicior, uam sermone soluto. Licet legibus metri on inseruierit accurate, tamen ignoscamus etati. Praeter uitas diuorum et martyrum uorundam, res Ottonis M. gestas, hortatu uidem praeceptoque Gerbergae, et Ottois II scripsit, adeoque sub hoc ipso claruit irtute et doctrina. Inscriptio Historiae Paegyrim Ottonum praefert. Hinc uiri claissimi existimauerunt, patris et filii res geas carmine retulisse. ita tradit etiam Chroicon uetus Hildesheimense, dicto ante loco, et

e) *Puella Saxonica* uocatur in Chronico Hildesheimensi p. IↃCCLXXXVII T. I Leibnit.

f) Rerum memorabil. Saxoniae uniuersae lib. II ad an. CIↃCXLII p. CXCII adde eiusdem Origines Saxonicas L. II p. XCVIII.

co, et trium Imperatorum Ottonum res gestas omnes enarrasse, refert. Sed fallere auctorem, temporum ratio docet. Sed ea, quam paullo ante recensui de uirgine religiosa, causa me adducit, ut Vossio, et Schurzfleischio assentiar merito, et putem, Ottonis I historiam panegyri breuiter complexam. Opera primum in lucem protulit Conr. Celtes CIↃ IↃ I, Norinbergae, quod docet illustris Leibnitius g), post hunc Schurzfleischius, qui recudenda CIↃ IↃ CCVII, additis Henr. Meibomii, senioris, obseruationibus, curauit, et in prooemio uitam Rhosuitae addidit, ac Saxonibus uindicauit, ab eruditis maximopere hinc laudatus. Laudem simul meretur index perbreuis ille quidem, at ita comparatus, ut Latinitas, quae inficeta est et sordida, Schurzfleischii unius opera, nunc repurgata uideatur, quam in opere ipso emendari non conueniebat. Vt optemus, alios, optimae Latinitatis gnaros, in scriptoribus aeui medii, uel hac ratione repurgandis, similem conatum probare. Panegyrin Ottonis, quod referri oportet, saepius emiserunt, Iustus Reuberus, Henricus Meibomius, cuius notas in eam laudauimus, et, repetito aui labore, nepos in parte prima scriptorum Germanicorum, quorum omnium industriam celebrat Schurzfleischius in luculenta, quam noui praemisit operi, praefatione. Maxime reuerendus Caluoerius

g) p. XXIX Introd. in Collect. Script. Brunsu. T. II

uoerius festinatione, opinor, lapsus, laudem nouae editionis tribuit Conr. Sam. Schurzfleischio, quae Henrico Leonardo fratri debetur *b*). Edidit etiam carmine heroo historiam *Fundationis Gandesianae*, ab Henr. Bodone, monacho Clusino, lectam olim, et laudatam *i*). Deperditam illam dolent Henr. Meibomius et H. L. Schurzfleischius, neque in tabulario coenobii, quod fama nobilitauit, superesse primum eius carminis exemplum, docet Io. Georg. Leucfeldius, attamen illud descriptum ab alio iam pridem nactus nouissime est uir perreuerendus, et permissu Henricae Christianae, illustrissimae Antistitae, in lucem protulit, originibusque Gandesianis, Anno CIↃ IↃ CC IX ab se editis, adiecit, sed tamen, quod dolemus, multis in locis corruptum. Ex eodem tabulario, neque tamen integrum, anno post ab illustri Leibnitio editum est, et, remotis, quae librariorum culpa irrepserant, erroribus, partim ex coniectura, partim ex Bodone, et ex antiquo carmine, dialecto Saxonica conscripto,

b) P. III L. II c. VII § XCIV p. CCCXIX Ceterum in noua Schurzfleischii editione operis mendum tribuo, quando p. CCXXX *Otto secundus Italiam petit*, lego, ubi, *secundo*, ex mente poetriae legendum est, de solenni Ottonis I consecratione, quae IↃCCCCLXII ab Ioanne, Pontifice, peracta est. Consentit Meibomii fides, cuius hic operam probauit Schurzfleischius.

i) In prooemio Syntagmatis Gandesiani T. II Meib. p. CCCCLXXXIX et T. II Leib. p. CCCXXXI

pto, emendatum *k*). Non ſine cauſa optat Cl. auctor bibliothecae Halenſis nouae, Carmen iſtud appendicis loco addi operibus, quae Schurzfleiſchius emiſit. Sed de Rhoſuita praeclare mereri is poterit, qui et integrum hoc carmen, et uitas Anaſtaſii et Innocentii, diuorum tutelarium, quae carmini praemiſſae dicuntur, ex obſcuritate in publicum proferet aliquando.

CAPVT IV

I

Inter HISTORICOS, qui hoc ſeculo commemorantur, primas deferimus REGINONI, primum monacho, poſt Abbati monaſterii Prumienſis, qui anno IↃCCCXCII Faraberto eo nomine ſucceſſor datus, ſed anno ſeculi extremo, Richario, quem inuidum ſuum uocat, cedere coactus eſt, cauſam inuidiae, quia aduerſarii ſuperſtites erant, enunciare non audet *l*) Chronicon, duobus libris confectum, ei tribuunt auctori. Librum primum incipit ab Chriſto nato, Secundi partem libri alii ipſe defert. Ita enim Lib. II ad annum IↃCCCXIV *Haec*, ait, *quae ſupra expreſſa ſunt*,

k) V. Leucfeldius Antiq. Gandeſ. c. XXIV p. CCLXXVI et c. XXX p. CCCCX ſequentibus. Extat etiam Tom. II Leib. num. XXVI cetera uide Ger. Io. Voſſium de Hiſt. Lat. L. II c. XLI Henr. Leon. Schurzfleiſchium in prooemio, Henr. Meibomium, tum Io. Fr. Reimannum p. CCCXLV

l) p. LXVIII et LXXXI Tom. I Piſtoriano.

ſunt, in quodam libello reperi, plebeio et ruſticano ſermone compoſita, quae ex parte ad Latinam regulam correxi, quaedam etiam addidi, quae ex narratione ſeniorum audiui. Quibus ſimul ſibi accuratiorem linguae Latinae cognitionem tribuit, adeoque certo quodam modo, ſi cum reliquis, qui hoc ſeculo ſcripſerunt, conferas, perſpicuitate et dictione laudem, quam ei Trithemius de Viris illuſtribus tribuit, meretur. Sed mox inſtituti ſui rationem, quam in rebus ſui temporis tenuit, addit, et, quas referre exquiſitius potuerit, ita eodem in loco teſtatur, *Cetera, quae ſequuntur, meae paruitatis ſtudio deſcripta ſunt, prout in Chronicorum libris annotata inueni, aut ex relatione patrum auditu percipere potui. Et de Ludouici quidem, imperatoris, temporibus perpauca literis comprehendi, quia nec ſcripta reperi, nec a ſenioribus, quae digna eſſent, memoriae commendanda audiui. De Lotharii uero, imperatoris, et fratrum eius, regum Francorum, geſtis plura deſcripſi. Vbi uero ad noſtra tempora uentum eſt, latius ſermonem narrationis protraxi m).* Atque ita inſpicienti fides conſtabit. Peruenit uſque ad annum ıↄ cccc vii quemadmodum in lib. II Reginonis labor ab alterius, qui pertexuit, diſtinctus apparet. Ipſe in prooemio ad Adalberonem, antiſtitem Treuirenſem, ſcribit, ſe perrexiſſe uſque ad annum nonagenteſimum octauum, atque hinc, opinor, repetierunt Sige-

m) p. XL

Sigebertus, et Trithemius, contra quos Vosſius, auctoritate Chronici ipſius, diſſerit, de Hiſtoricis Latinis. Quicunque uero coepta perfecerit, ſiue Romerius, quod Voſſio uidetur *n*), ſiue alius quidam fuerit monachus, non tantam adhibuit induſtriam, et annos, non res geſtas, breuiter ſimpliciterque enumerauit ad annum uſque IↃ CCCC LXVII Atque ita, poſt Sebaſtianum Rothenhanium, quem anno CIↃ IↃ XXI edidiſſe, Caſp. Sagittarius *o*) teſtis eſt, Io. Piſtorius ex antiquo codice manuſcripto, primo, inter ſcriptores Germanicos, loco collocauit.

II

Primum et antiquiſſimum Hiſtoriae Saxonicae ſcriptorem VITICHINDVM uocat Henr. Meibomius, et merito quidem, quoniam, poſt poetam Anonymum, quem ſuperiori ſeculo laudauimus, primus ille eſt, qui oratione, numeris ſoluta, rebus Saxonum, et diligentius quidem accuratiuſque, perſcribendis operam dedit. Saxonem gente et natione fuiſſe, ipſe ſtatim in principio libri Annalium primi prodit, atque, amore patriae, ſe conſeruandae illius memoriae deuinctum teneri, palam profitetur. Literas didicit

n) de Hiſt. Lat. Lib. II c. XXXIX et Lib. III c. V

o) Introduct. in Hiſt. Eccl. c. IX Schurzfleiſchius diſput. III §LVII p. XXXIX de diuiſione imp. Carolini, tum Reimannus introd. in Hiſt. Lit. Germ. Lib. II p. CCCXLII Caluoerius in Append. Saxon. Chriſt. p. IↃLXVII ſeq.

didicit in ludo coenobii ad Visurgim *Corbeiensis*, quod hoc seculo etiamnum ex literis famam colligebat. Atque hinc *Monachus Corbeiensis* nominatur, Io. Trithemius ex libro, quem *de Studiis ueterum* reliquisse Vitechindus dicitur, memorat, ad Hirsaugienses commeasse, fama et doctrina Meginardi excitatum, quem tanto amore prosecutus doctorem fuisset, ut seculi sui Hieronymum nominasset. Ipse, Corbeiensi scholae praefectus, alumnos educauit, eruditione ac meritis summos. Complura industriae specimina edidisse, auctor de Viris Germaniae illustribus Io. Trithemius est, et recensuit, ex quibus supersunt *de Gestis Saxonum libri tres*, qui Annalium nomine nunc circumferuntur, quamuis non annorum seriem, sicut aeuo hoc plerique assolent, sed res Saxonum, ut historico conuenit, obseruasse potissimum uideatur. Origines Saxonum, quemadmodum Cato olim Italorum, referre in animo habuit. Sed tamen primus fabulam de Saxonum origine, quam tamen ex rumore retulit, memoriae prodidit, quando ex Graecia, longo demum errore, nauibus arcessit. Fabulam illam magno acceperunt plausu reliqui deinde scriptores. Nonnullos recenset Henr. Meibomius, et fabulam explodit. Eis tamen in finibus, quibus indigenae antiquitus consederunt, appulisse, docet, ne fabula mutasse sedem, ipsa fidem amittere

apud posteros uideatur. Ceteris in rebus sapienti consilio somnia et fabulas distinxit. Vna de Saxonum aduentu penitus adhuc insedisse in animis omnium uidetur. Ceterum res ab Henrico Aucupe, eiusque filio, Ottone I gestas magna fide, at ea tamen, qua potuit, per consuetudinem seculi, elegantia sermonis, commemorauit, atque Mathildae, filiae Ottonis M., et Antistitae Quedlinburgensi, inscripsit *p)*. In monumento, quod ei posuit CIↃ IV Hosatus, abbas Corbeiensis, uocatur *pius et doctus scholae magister, et historicus, etiam regi et reginae dilectus* in annalibus Corbeiensibus, quos Paulinius emisit. Primum insigne hoc ingenii monumentum ex tenebris protulit Martinus Frechtius, Theologus Sueuus, inter scripta coenobii, ad rhenum, Eboracensis conseruatum A. CIↃ IↃ XXXII. Tum Rein. Reineccius, collato codice manu exarato, quem nactus est, cum Heruagiana illa editione, recudendam curauit, sumptibus Andreae Vechelii, CIↃ IↃ LXXVII. Denique Henricus Meibomius, senior, ex peruetusto quidem, attamen non integro illo, manuscripto libro repetiit, et Frechtianum, quod accuratius est uisum, exemplum contulit, notisque illustratum A. CIↃ

p) Pluribus de Mathilda H. Meibomius ad Vitechindum, p. IↃCLXV seq. tum Fr. Ern. Kettnerus de Diplomat. Quedlinburgensibus, opere eleganti, p. CXXXIX seq.

CIↃ IↃCXXI, ab nepote Henrico, Parte I Scriptorum Germanicorum, insertum et notis auctum. Post id tempus retulit Ill. Leibnitius summas capitum, quas beneficio Laur. Zaccagnii, bibliothecae Vaticanae custodis primi, impetrauit, tum uarias lectiones, ex codice manuscripto, qui, in tabulario Dresenensi, ab Georg. Fabricio adhibitus olim, latet, beneficio Guil. Ern. Tenzelii, aliasque cum manuscripto bibliothecae Casinensis per Zaccagnium collatus, recensuit Parte rerum Brunsuicensium prima *q*).

III

ROTGERVS, siue, ut in antiquis chartis scribitur, *Ruotgerus* familiaris Brunonis, Antistitis Coloniensis, et rerum, quas gessit ille, apprime gnarus, atque hinc uitam antistitis, iussu quidem, ut in prooemio ipse refert, Volcmari, qui Brunoni successit, perscripsit, ab Sigeberto propterea laudatus ad annum IↃCCCCLIII. Quae qui considerat, dissentiet ab Ger. Io. Vossio, quando, Abbatis titulo, in monasterio S. Leufredi, apud Normannos, temporibus Henrici II Conradi II et Henrici III floruisse, arbitratur. Contra Vossium igitur docet God. Guil.

q) Extant hae uariae lectiones num. XIV XV XVI Vitam Vitechindi, quem alii Vidukindum, alii, sed male, Vitichildum nominant, omnium accuratissime descripsit Meibomius, senior, p. IↃC XXIV T. I Script. Germ. inde Caluoerius d. l. p. IↃXXXIX seq., Reimannus d. l.

Leibnitius, Rotgerum noſtrum, aetate Ottonis I et II iam tum celebrem magnae in dioeceſi Colonienſi dignitatis uirum, et forte ſcholae magiſtrum, extitiſſe. Tum Rotgerus ipſe refert, ſe ex Brunone audiuiſſe, hunc, primordiis Grammatices ſuperatis, Prudentium, poetam, Vltraiecti, ſub antiſtite, quem ſuperſtitem adhuc laudat, Balderico, legere coepiſſe. Vitam Antiſtitis ſui multa induſtria expoſuit, et ſcribendi arte hiſtoricos aeui medii optimos aequauit. Emiſit eam Surius, attamen, mutato ſtilo. Vt illuſtris Leibnitius, rectius ſe facturum, exiſtimauerit, ſiquidem ita, ut in peruetuſto Guelferbytanae bibliothecae codice extitit, renouaret *r*).

IV

Huc denique pertinet poſt *Othlonum*, monachum Fuldenſem, qui S. Pyrminii uitam edidit, VFFINGVS ſeu *Vffo*, Friſius, monachus Vertinenſis, qui uitam *S. Idae*, coniugis Ecberti, Saxonum, poſt Vitekindum M., Ducis primi, tenui muſa conſcripſit. Nonnulla, quae ad antiquam Saxonum familiam ſpectant, refert initio, et uitam Idae breuiter, miracula uero copioſe recenſet, cetera *prorſus rhetoricorum ornamentorum ignarus*, ut de ſe loquitur in prooemio libri II. Seculo exeunte

r) Voſſius de Hiſt. Lat. Lib. II c. XLIV Leibnitius, qui Tomo I ſcript. Brunſu. repetiit, in Introd num. XXII Leuoldus Northofius Catalogo Epiſcoporum Colonienſ. p. VI T. II Meibom.

eunte uixisse, ipse testis in fine libri eiusdem est. Complura, in his *uitam S. Ludgeri* edidit, quae Vossius commemorat *s*). *S. Idae uitam*, post Surium, nouissime emisit illustris Leibnitius, uel eius rei causa, quod antiquissimorum Saxoniae Ducum origines illustrat *t*).

V

VTHONEM, tertium antistitem Argentoratensem, Vossius annumerat, qui uitas scripsit sanctorum Arbogasti et Amandi, decessitque an. IↃCCCC LXV

VI

Tum GVILELMVM, Moguntinorum XV antistitem summum, Ottonis M. ex Editha, Angliae regina, fil., qui *Chronicon de Archiepiscopis Moguntinis* ad sua usque tempora deduxit. Episcopus factus Guilelmus est an. IↃCCCC LIV obiit an. IↃCCCC LXXIII Quae cum ita sint, fieri non potuit, ut chronicon istud usque ad imperium Ottonis III quod auspicatus est anno IↃCCCC LXXXIV proferret. Atque hinc errasse Posseuinum, Vossius probat *u*).

s) L. II c. XLI

t) Tomo I Script. Brunsuic. n. VIII et IX ubi originem familiae Saxonicae ab Ecberto ducit ille, coniiciendo, per Ecbertum intelligi posse VVicbertum, quem Albertus Stadensis et alii Vitikindi M. filium appellant. Quanquam Caluoerius P. III lib. II c. III p. CCXCI nonnihil dissentit, in causa, quae obscuritate laborat.

u) de Hist. Lat. L. II c. XL

VII

Denique REGINALDVM, Eiſtatenſem antiſtitem, Latine, Graece et Ebraice doctum, qui in epiſcopatu ſucceſſit Starhando an. ↄↄcccc LXV Vitas recenſuit SS. epiſcoporum Vilibaldi, Nicolai, Blaſii et Vnnibaldi. Ac coniicit Voſſius quidem eam eſſe Reginaldi, quam de Vilibaldo Caniſius retulit tomo IV antiqu. Lect. Laudat praeterea Trithemius *Theodoricum* monachum in coenobio D. Albani apud Moguntinos, qui *ſucceſſiones et geſta Pontificum Moguntinorum* retulit x). addit complures, et, *in ſcripturis diuinis ſecularibuſque*, ſolenni formula, claros pronunciat, quorum tamen plerique obſcuri patres fuerunt, et feſtos quoſque, et ſolennes dies, ab imperatoribus regibuſque celebratos, diligentius, quam res in rep. ſacra et ciuili memorabiles, annotauerunt.

CAPVT V

Primordia *ſermonis patrii* in coetu ſacro ab Ottonum tempore uidetur arceſſere Ioach. Vadianus, attamen maiori numero locoque habitum fuiſſe Romanum, prodit, quem, exiſtimat, ad ingenium plebis accommodatum, ita, ut maxime corruptus deprauatuſque fuerit, etiam in tabulis, ut, ſtudione, an imperitia ſeculi, factam hanc linguae augu-ſtae

x) in uita Lupoldi, in Chron. Hirſaug.

ſtae mutationem, miretur. Germanos tamen, et ſummo regioque natos genere, non inter ſuos ſolum, ſed exteros etiam, ſua uſos lingua, exemplo Ottonis I docuimus, qui ubicunque erat, Saxonica loquebatur, etiam in concilio Romae, contra Ioannem, Pontificem, habito, in quo, quicquid ſtatuebat, per Liuthprandum, quem interpretem eius diximus, concilii proceribus exponebat. In curia nihilominus Romana illa florebat, et literae, rerumque geſtarum monumenta, nullo alio ſermone, quam hoc ipſo, conficiebantur. Eadem, quae ſuperiori aeuo ratio eſt, quia eruditio omnis penes coenobiorum erat ſocios, qui ita docebant omnes, qui ita, quicquid memoria dignum erat, commemorabant, et inſtrumenta publica edebant. Conſentit Ioach. Vadianus, et, cauſam eam eſſe praecipuam, docet, quod Romana illa pleriſque gentibus cognita, Germanica non item, eſſet *y*). Quare diplomata Germanica, quae ex hoc ſeculo afferuntur, ſuſpecta ſunt, et antiquitatem mentiuntur, cum nullum lingua Germanica editum ſit, quod, cuiae conſuetudinem citius mutatam, quam onſtat, doceat et probet. Eiſdem adductus auſis Henr. Meibomius, iunior, negat merito, bulas fundationis coenobii Gernrodenſis Gerone, Marchione, conditore, utraque nul lingua, Latina pariter ac Germanica,

Q 4 con-

y) L. II p. XXXIII Tomo III Goldaſt.

conceſſas,quas Poppenrodius, ipſius Geronis manuſcriptas, utroque ſermone ad ſuum uſque tempus in templo coenobii aſſeruatas, praedicat, quin potius, cum ſeculo hoc nondum fuerit uſitatum, nec eius rei unum extet exemplum, et literae illae formam recentioris aetatis prodant, exiſtimat exquiſito uir iudicio praeditus, in gratiam Virginum ſacrarum eiuſdem coenobii poſtero tempore in linguam noſtratem tranſlatas z). Suffragatur Meibomio Io. Chriſtoph. Becmannus, et tabulas Geronis, ex antiquiſſimis documentis, quanta potuit accuratione, expreſſit, ſcribendique etiam formam, et literas, ut fidem habeat, ſeruauit, cetera cuique integrum permiſit, collatis utrinque exemplis, iudicare, quantum differat a Poppenrodiano Germanicas illas, quas Poppenrodius adduxit, in tabulario non reperiri, teſtatur a). Quod Meibomius exiſtimat de tabulis, ab Gerone Germanice editis, idem exiſtimo de rhythmis, eodem ſermone tumulo diui conditoris inſcriptis, qui, ut Poppenrodius teſtis eſt, in Vitembergenſi bibliotheca reperti, uel

z) Poppenrodius, quem Hoppenrodium minus recte uocari, oſtendit CL Becmannus, Annalibus Gernrodenſibus, p. CCCC XXII ſeq. Tomo II Meibomiano, et Meibomius iunior ipſe ad hunc locum p. CCCCLXVIII

a) Becmannus Hiſt. Anhalt. Parte III L. I c. VII p. CLXVIII ſeq.

ti, uel potius nouiſſime confecti, et eo delati ſunt, atque in ſepulcro denique inciſi *b*).

CAPVT VI

De bibliothecarum acceſſionibus, quamuis item rara ſuperſint ueſtigia, tamen cum nouis coenobiis ſacerdotiiſque, tempore cum primis magni Ottonis, librorum ſupellectilem coepiſſe colligi, nolim dubitare. Non modo enim ueteres conquirebant, ſed nouos etiam, qui in uulgus edebantur, deſcribebant. Quod uel ex ſcriptoribus patet, qui, ex ſuperioribus ſeculis, laudant uiros paullo ante ſcriptis claros ex eiſque ſe profeciſſe, haud diffitentur. In his Rhegino, qui monachum Egoliſmenſem, et alios legiſſe, uidetur. Saltem indicat, ſe teſtem quendam, cuius dictio non adeo elegans fuerit uiſa, adhibuiſſe. Ceterum conſtat, eos, qui memoriam uel hac ratione nobilitare uoluerunt, libros in bibliothecas intuliſſe, maiori interdum pretio comparatos, quam eruditione confectos. Inſignis memoria Bernvvardi, Antiſtitis Hildeſheimenſis, eſt, qui, literatiſſimus ipſe, bene de literis ingenuarumque artium ſtudiis, meritus, copioſam bibliothecam comparauit, et libros, cum ſacros, tum profanos,

Q 5

b) Poppenrod. p. CCCC XVIII adde Becmannum dicto loco, p. CLXXIV ubi monumentum cum epigrammate extat.

ſanos, atque Philoſophicos, coemit, ſummopere ob diligentiam librorum comparandorum ab Tancmaro, bibliothecae praefecto, laudatus *c*). Schvvarzachii, celebri ordinis Benedictini coenobio, Burcardus et Altmannus, abbates, labore in comparandis libris, multam laudem adepti ſunt; atque alter libros CLXXXIV deſcribendos curauit *d*). Alias tamen etiam belli iniuria, incendio, et monachorum negligentia iuxta, ac diſcordia, diſtractae, atque ad paucos redactae libros ſunt. Igni conflagrauit Paderbornenſis illa, tempore Ottonis III et tabulae antiquiſſimae, atque inde a primis ſacerdotii temporibus conſeruatae fatali incendio perierunt *e*). Hirſaugienſis illa, perraris codicibus referta olim, breui temporis interuallo diſſipata eſt a monachis, nec pecunia, quae inde rediit, in aerarium publicum delata, aut aedificiis, quae collapſa erant incuria, reficiendis deſtinata, ſed, cum dedecore, effuſa. Grauius, ira commotus, iacturam dolet Trithemius, et, *Nebulones*, inquit, *pretioſiſſimum illum theſaurum bibliothecae in paucis annis tam turpiter uendendo, et conſumendo diſtraxerunt, ut nec unum quidem codicem, alicuius ponderis et pretii reliquiſſent*

c) In uita Bernardi, quam Tancmarus deſcripſit, in prooemio et cap. V p. CCCCXLI et CCCCXLIV Tomo I Leibnit. rerum Brunſuic.

d) Caſp. Bruſchius Geneal. Monaſt. Germ. p. IↃXXVI

e) Vita Meinvverci, p. IↃXX T. I Leibnit.

uissent f). Ab aliis etiam maiorem, ſcimus, ıduſtriam in importandis diuorum cineriıus adhibitam, quam in libris ſtudioſius conquirendis, cum quidem reliquiarum uenera:io animis omnium hoc ſeculo penitus inſideret.

LIBER VII

DE MEMORABILI RELIGIONIS VICISSITVDINE.

CAPVT I

Inſignis rerum conuerſio, quae, diſſociatis Germanorum animis, rempublicam affligebat, propagationi doctrinae officiebat, ut remedia, quae proponebantur, ne illis quidem eccleſiis, quae antea conditae fuerant, ſalutem afferrent, tot bellis inteſtinis, diſſidiiſque diſſipatis. Bella enimuero, Pontificum ambitio et arrogantia, ſacerdotum omnium luxuria et auaritia, ubique conatum fere interuertebant, adeo, ut, de recuperandis externis ſolliciti, amitterent ſua, atque e longinquo aduerſam patriae fortunam, tanquam

f) Chron, Hirſaug. p. XLV

quam e speculo, conspicerent, sed inopes auxilii, imprudentesque serius illacrymarent. Quibus adeo rebus Augusti iuxta, atque optimates Germaniae, ut reprimerent Antistitum ac monachorum libidinem, reditus coenobiorum, ubicunque locupletiores uiderentur, imminuebant. Antistites uicissim, opinione sanctioris uitae, alios, ut ampliarent, alliciebant, alios, terroribus comminationibusque periculi, quod praesentissimum obiiciebant, in pietatis proposito continebant. Pontifices maxime, qui emergebant se ex malis, quae depellere iam pridem in animo habebant, sed regum imperatorumque auctoritas et potentia cogitationes omnes eousque dissipauerat, nunc uno impetu, data commoditate, quam expectauerant, imperio imperatorum se eripiebant, et iisdem imperare ipsi annitebantur. Hinc sacra et profana miscebant audacius, ac dissidiis Germaniam infestabant, atque, furore incensi, in uniuersa iura imperii inuolabant.

CAPVT II

Henricus II cuius auctoritas salua etiamnum erat, atque a Pontificum insultibus immunis et libera, maximis licet grauissimisque distractus bellis, quae cum Slauis, in primis Polonis et Boiemis habebat, nihilo tamen minus inter armorum strepitus pietati

tati

:i salutem afferebat, et, sacerdotiis uel in-
uratis, uel recens conditis inuiolatam il-
is memoriam cupiebat. Animum in pro-
sito confirmabat Augusta coniux, Cune-
ndis, quam perpetuam uirginitatem di-
nt, in thoro etiam integram inuiolatam-
e seruasse, marito fidelem semper, et animo
niunctam. Vtriusque a propensa in rem
ram uoluntate, nomen sanctum est, et ue-
rabile, ac primus inter reges Germanorum
peratoresque Augustos est, qui non *pius*
ido, sed *Sanctus* etiam, eximio et diuino,
od tributum est ei consecratumque, elo-
floret. Augusta coniux, propter eun-
n in religiosum ordinem amorem, *mater*
verum appellabatur *g*). Piae coniugis ad-
nitu et rogatu Antistitum sedes cum in
iqua Saxonia instaurabat, et nouis bene-
is augebat, tum sumptibus eximiis Baben-
gensem, cuius initium in annum seculi
lecimi septimum incidit, constituebat,
prio hoc, quod aere perennius, putabat,
iumento, in gratae posteritatis memoria
erabilis et sanctus *h*). Vitae quin immo
rioris consuetudinem, omni ratione, re-
stituere

Albertus Stadensis ad an. cIↄXXXVIII p. CCXX-VIII Lehmannus ex Trithemio in Chron. Spirensi, L. V c. XVI

Hermannus Contractus ad h. an., et, qui consecrationi interfuit ipse, Ditmarus antistes Martisburgicus Chron. L. VI p. CCCLXXXIII et CCCXC Tomo Leibnit.

ſtituere in monaſteriis enitebatur, horumque praefectis, publicis conciliis, quae Tremoniae, Francofurti, et alias coegerat, commendabat diſciplinam, ut occurrerent audaciae, et corruptelas, quae in dies uires in ſacro ordine ſumerent, remouerent *i*). Hinc monachos Fuldenſes, opibus ſuis confiſos, cum, uitam, ſemel atque iterum moniti, emendare nollent, coercebat, pulſis, qui regulis obſequi recuſarent. Io. Trithemius refert, pium imperatorem facultates quaſdam, Fuldenſibus ereptas, aliis tradidiſſe *k*). Cornelius obſcurius commutationem coenobii Fuldenſis aperit, ante Cornelium, quicunque hiſtoriam coenobii collegerit, in Poppone, Abbate XVIII iuſſu Henrici, regis, nouos Popponem ex Lauriſheimenſi coenobio monachos, eoſque probos, adduxiſſe, tradit *l*). Pari ſeueritate emendatam diſciplinae rationem reſtituit in monaſterio Corbeienſi, auctore Meinuerco, Antiſtite Paderbornenſium erudito et pio, qui, Valone loco et dignitate moto, pulſiſque et eiectis, qui inutiles erant, alumnis diſciplinae, Drutmarum, e Lauriſheimenſi ſchola pariter profectum, conſenſu Henrici Sancti, rectorem coenobii conſtituebat. Vt odio indulſiſſe uidea-

i) Fabricius Orig. Sax. L. II p. CCLXI Lehmannus Chron. Spir. Lib. V c. XVI

k) in Chron. Hirſaug. ad an. cIↃXII p. XLVII

l) in Breuiario Fuldenſi, apud Paulinium, p. CCCCXXXI

deatur auctor annalium coenobii huius, qui inc conuersionem addidit, quando, disciiinam quidem exulasse, non diffitetur, attaien nouum illum, ab sociis non electum uoatumque, sibi ab Henrico impositum, comıentatur, ipse, quod coniicere licet, eodem um fratribus casu perculsus. Non in Valoıem, qui officio suo industrie sit perfunctus, ıtque hinc iniuste a Meinvverco reiectus, :eiicit ille culpam, sed in socios, quorum ılii alias licentiae praesidium quaesierint, alii superstites fortunae commutationem deplorarint. Henricus II quo in sacrum ordinem benignior erat et liberalior, eo uehementius, ut plura in dies concederet, petebatur, cum primis a Meinvverco, antistite Paderbornensi, qui, augendis sacerdotii sui opibus intentus, saepius compellebat precibus, tentabatque patientiam, ut etiam Henricus antistiti, plus iusto petenti, *Tu*, responderet, *odium Dei, omniumque Sanctorum eius habeas, qui me bonis concessis, cum detrimento regni, spoliare non cessas m)*. Cetera bene cupiebat Meinvverco, quod indiciis bene multis constat, quum quidem antistes seueriori disciplinae operam daret, atque monachos in religionis officio perpetuo contineret *n*). Non deerant tamen, qui ipsos inter Antistites noua, quum reiicerent in conciliis illis luxuriam, super-

m) in vita Meinverci c. LXXIX p. IↃLIV
n) d. l. c. LXXXVII p. IↃLVI

ſuperſtitionis ſacra confingerent, et in coetu ſacro obſeruanda imperarent, dubium ſane, maiori religionis chriſtianae incommodo, an utilitate. Conſenſu omnium, qui commode nunc et facile exquiri poterat, concilio Salingenſtadii, anno CIↃ XXIII coacto, uſus carnis et ſanguinis quatuordecim ante ſacrum feſtumque Ioannis diem, et natalem Chriſti, interdictus, uigiliae item complures, quas enumerare non placet, *ieiuniis* munitae *o*).

CAPVT III

Felix fortunatuſque religionis progreſſus in Vngaris per idem erat tempus, cum Giſela, Henrici S. ſoror, Stephano, regi, matrimonio iuncta, maritum, ut Chriſtianae doctrinae ſocietatem profiteretur, pietate et manſuetudine commoueret. Regis exemplum, ut in humanis, ita diuinis, ſequebantur ciues, et ſalutis tanti auctoris participes eſſe praeoptabant, ne ſeiunctam ab eo dubiamque, et incertam experirentur fortunam. Otto Friſingenſis, Stephanum tanto omnes amore proſecutos fuiſſe, memorat, ut, *ſanctum*, ſolenni aetate iſta pietate, ad poſteros habuerint, et diuum etiam coluerint,

o) Hermannus Contractus ad h. a. Decreta concilii huius extant in uita Meinvverci, c. LXXVI Tomo I Leibnit.

int, salutis aeternae in gente sua statorem primum *p*). Albertus Stadensis auspicia propagatae, per Giselam, inter Vngaros Christianae religionis ad annum seculi decimum refert *q*). Stephani uero excessus ex hac uita incidit in duodequadragesimum seculi huius annum *r*). In Septentrionem penetrauit etiam ulterius nomen Christi, annitentibus Libentio, Vnvvanno, et Alberto, antistitibus Hamburgensibus, qui uiros, religionis ardore excitatos, dimittebant in Slauos, Danos, Sueonas, Normannos, ut, succisis, qui superstitionis asylum seruabant, lucis, homines a profano cultu et impio sacrificandi immolandique modo reuocarent. Complures enumerat Adamus, historicus, docendi uirtute claros, in his Folcquardum, Reginbertum, Bennonem, Radolphum, Ottonem, Christianum, Heribertum, Magnum, Albericum, Eilbertum, Guilielmum, Eigmonem, Adalvvardos, Acilinum, Tadicum, Simonem, Ioannem, Tholfum, Serardum, Turolfum, Ilephum, et plures, qui partim gentes, ad religionem diuiniorem traductas, fide et dexteritate sua in pietate confirmabant, partim uero nouissime sacris christianorum initiabant, cetera, nondum sacerdotiis in sacros fines dioecesesque descriptis, ab regibus

 gen-

p) Chron. L. VI c. XXVII
q) p. CC XXII
r) Hermannus Contractus ad h. an.

gentibusque, quas adibant, religionis causa liberaliter conseruati *f*) Ac quindecim insulas memorat historicus idem, eis in finibus Christiani nominis fama refertas, et Danos, Suedos, Normannosque religiosis doctoribus nunc locum domiciliumque reliquisse, docet *t*). Ac, multo facilius, probat, Danos et Sueonos potuisse ad Christianam ueritatem adduci, nisi doctores auaritia, qua nullum tetrius est uitium, ipsi diuino consilio et proposito, pietatis pleno, temere obstitissent. Vt doctrinam salutarem profiterentur quidem, non tamen uitae sanctitate, quae animos uulgi trahit ac retinet, diuinam ueritatem confirmarent. Fit enim plerumque inter homines, qui suspiciones etiamnum alunt, et tegunt, ut in uitas doctorum intueantur magis, quam doctrinam, atque inde uirtutis exemplum sumant, quod sequantur, foeda uero sordidaque ratione offendantur citius, atque hinc praecipiti iudicio, ueritatem doctrinae in dubium uocent, et grauius aspernentur *u*). Quo pacto eiusmodi sacrorum amplificatores statoresque, qui uirtutem proiiciunt, tantum abest, ut religionis

f) Adamus Bremens. de situ Daniae p. LXIV De Vnvvanno, qui, succisis idolorum lucis, reliquias superstitionis barbarae remouit, auctor uitae Meinvverci p. I. XXIV Tomo I Leibnit.

t) Hist. L. II c. XXXII L. IV c. XLIII seq. de Situ Daniae p. LVII seq. LXI LXIV LXVI

u) Hist. Eccl. L. III c. XXV et de situ Daniae, p. LX

gionis uerae famam augeant, et Christo coelum colligant, ut potius dissipent, et ueritatem in suspicionem adducant et contemptum, inter homines, ab cultu Christianorum alienos.

CAPVT IV

Taceo iacturam, quam christiana religio sub initium huius seculi fecit, tot repetitis irruptionibus bellisque Boiemorum, Polonorum, qui non modo in finibus suis, sed proximis etiam, Austriae, Baioariae, Silesiae, Lusatiae, armis cultum religionis foedabant, cuius rei testis mihi locuples est, et, quod id temporis fuit, fide dignus, Ditmarus, antistes Merseburgensis. Rei sacrae ipsi inter Slauos christiani, impedimento erant, cum acrius premerent nouos religionis socios, et tributis in obsequio continere eniterentur. Pro explorato enim habeo, auaritiam non modo sacerdotum, sed Principum quoque, et, quod referre displicet, Saxonum, obstitisse pietati, et homines, cum tributis, acerbissimisque pecuniarum exactionibus attererent illi, commouisse, ut christianae religioni nuncium remitterent, et, magna rei christianae clade, sacerdotum ac Principum excuterent iugum. Diserte eam in rem testatur Adamus Bremensis, Saxonas impediuisse, quo minus inter Slauos doctrina me-

lior proponi potuerit, quoniam *mens* eorum, ut uerba eius habent, *pronior fuit ad pensiones uectigalium, quam conuersionem gentilium x*). Initium conuersionis subitae post excessum Ottonis III imp., ex uita contigisse, idem certissimus nobis testis Adamus est, cum quidem Slaui, quos VVinulos et VVinithos appellat, post Adamum, Helmoldus *y*), inter Albim et Viadrum incolentes, ducibus Mizzidrogo et Mistrovvoio, Saxoniam, quae *Nordalbingia* uocabatur, dirutis templis, direptisque, funditus excindere christianorum sedes conarentur, ut una omnes, qui per LXX annos, adeoque per Ottonum tempora, et amplius, in fide christianorum perstiterant, reciderent ad pristinum simulacrorum cultum. Culpam omnem in Bernardum, Saxonum ducem, reiiciunt, qui, et Henrico, Augusto, cui Sancti cognomen est, repugnans, Saxones concitabat, et, licet imperatori reconciliatus, Slauos nihilominus tributis grauius, quam ferre poterant, premebat. Distingue-

x) Hist. Eccl. L. III c. XXV

y) Adamus quidem L. III c. XXIV ex eo Helmoldus L. I c. II fines istorum aperiunt, et gentes, quas Slauorum nomine complectuntur, referunt. Quos Helmoldus Vinulos et Vinithos uocat, Venedi sunt, quos Alb. Cranzius, Dau. Chytraeus, Georg. Fabritius, aliique numero plurimi, cum Vandalis confundunt. Vt alii Auares cum Vngaris. Sed Vandalis, qui Germani erant, succedebant Venedi, ex Sarmatia profecti. Vt itaque tantum differant a Venedis Vandali, quan-

uebantur Slaui illi in *orientales* et *occidentales*. llos in clientela et tributarios habebat Theooricus, Marchio Brandenburgicus, hos Berardus. Vterque perpetuo censu omnes ontinere in obsequio studebant, sed duro ruitutis iugo, ut ad pristinos mores rediınt, et defectione finem tributis afferrent, ıpellebant. Accedebat ignominia, qua aniıos omnium uehementius incitauerant, ad petendam armis libertatem, quam peti, ınc satis intelligebant. Petierat sibi congem Mistiuoius neptem Bernardi, Ducis, , pollicitatione inuitatus, opem tulerat ernardo, in Italiam proficiscenti. Inde, c sine magna suorum clade reuersus, sponn petebat Mistiuoius, sed, de spe impendae illius cum ignominia deiectus, iniuım uindicabat. Nec enim poterat aliter, i ab Theodorico canis contumeliose fue- appellatus. Non enim cani consanguiım obiiciendam, serius suadebat, at, ut re Mistiuoio faceret, in hanc sententiam uctus. Hinc omnis malorum, quae reonem turbabant, causa et origo *z*). Hinc ıa conuertebant in Christianos, et igni roque ignominiam ulciscebantur in Saxo-

tum a Sarmatis Germani. Quod pluribus demonstrauit argumentis Henr. Bangertus ad L. I c. II Helmoldi, post Bangertum Schurzfleischius de rebus Slauicis disputatione XX

) Adamus Bremens. L. II c. XXX XXXI XXXII XXXIII XXXIV Helmoldus L. I c. XVI

nia, mox in Slauia, et templa aedificiaque a fundamentis disiiciebant, sacerdotibus omni cruciatus genere affectis, aliis abductis, et ad ludibrium seruatis, aliis, ligatis post terga manibus, per ciuitatum plateas tractis, et misere obtruncatis. Ac licet, pace reddita, iacturam sarcire anniterentur nonnulli, et, reficiendas aedes sacras curarent, tamen, praeter Saxones, Slaui, sigillatim Vagiri, Obotriti, Kycini, Polabi, et plures, ad incitas redacti, partim uero auaritia et studio recusabant stipendia, et reditus annuos, quos Otto M. Sacerdotio Aldenburgico liberaliter concesserat, ut Benno, praesul illius ecclesiae, pollicitationibus principum, intelligeret, se circumuentum. Neque enim fidem, quam Henrico, Augusto, in conuentu Verbenensi dederant, Slauorum Principes liberabant, nec fere poterant, a Bernardo, Saxone, adeo tributis uectigalibusque exagitati, *ut nec memores Dei, nec sacerdotibus ad quicquam essent beneuoli*, ut eam in rem scribit Helmoldus, qui, Saxones nihilominus, memorat, Slauos censu ita onerasse, ut, tametsi, armis Conradi II qui Henrico Sancto succedebat, domiti, pacem pollicerentur, afflictis domi rebus, subuenire pietati haud possent *a*).

CAPVT

a) L. I c. XVIII XIX et Bangertus ad hunc locum p. LIX

CAPVT V

Vdoni, tertio Slauorum Principi, succedebat filius Godeschalcus, qui, ex Luneburgensi ludo profugus, animum et doctrinam mutabat, et, reuersus ad suos, patris caedem ulturus, Nordalbingiam omnem, quae Holsatiam, Sturmariam et Detmarsiam, finibus continebat suis, armis populabatur, infinita Saxonum multitudine perempta *b*). Ferociam mox ipse compressit, captus a Bernardo, et, dimissus denique, Canuto, Danorum regi, in Anglia uirtutem eximiam probauit. Inde reuertens partem tertiam Slauorum, quos, tempore aui eius, Mistiuoii, sacra Christi deseruisse, diximus, ad recipienda ea compulit, in eis Vagiros, Obotritos, Polabingos, Kycinos, Circipanos, Lingones, Warnabos, qui inter mare Balticum et Penim, incolebant, atque ad dioecesin Altenburgensem potissimum pertinebant. Fines illi, templis reaedificatis, liberi erant, et patebant sacerdotibus, quos liberaliter accipiebat Godeschalcus, et comiter conseruabat, imo ex hoste nunc, non modo illorum amicus, sed laborum quoque socius, et uitis diuinae praeco, factus, concione aduocata, e suggesto ipse uerba faciebat, atque, augustiores rei sacrae progressus uideret,

R 4 sacer-

b) Adamus Brem. L. II c. XLVIII ex eo Helmoldus Chron Slau. L. I c. XIX

ſacerdotum ſermones planius, ut intelligere poſſet uulgus, interpretabatur, omnibus hinc, qui ante eum uixerant, religionis propagandae ſtudio, ac uirtute, antelatus, et ſermonibus literiſque ſacerdotum maximopere celebratus. Copioſi in eius laude ſunt, et pluribus merita eius in eccleſiam maxima efferunt Adamus et Helmoldus, ac, per omnem eius uitam, coenobiorum uiguiſſe diſciplinam, teſtantur *c*).

CAPVT VI

Iterum Saxones auaritiae arguebantur, quam prodidiſſe, cum bellum inter Slauos domeſticum auxilio ſuo conficerent, dicuntur. Ad Panim, fl., in Pomerania, tum incolebant Vilzi, quos Leuticios uel Lutitios etiam uocant. Inter hos Chizzini, (Helmoldus Kycinos uocat) et Circipani, cum Tholoſantibus et Retheris, quos Helmoldus Tolenzos et Riaduros uocat, uires bello inteſtino tentabant, et de principatu inter ſe contendebant. Vincebantur Tholoſantes et Retheri, ſemel, iterum, atque tertium, Chizzinorum auxilio freti. Pax ope Danorum, Godeſchalci, et Bernardi, Saxonis, reddita, quam Circipani CIↃ talentis redimebant. Pecuniam,

c) Adamus L. III c. XXI XXII XXIII Helmoldus L. I c. XIX XX ad quem locum familiae notitiam de Godeſchalco recenſet Bangertus p. LVIII

:uniam, pacis conciliatione, Principes, rei acrae immemores, aequabiliter dispertiebant. Inde antistites Principum alienis oculis intuebantur fortunam, uni Godeschalco primas pietatis deferebant. Saxones, fateor, auaritiae accusantur saepius, sed iurene semper, an iniuria, nunc non inquirendi est locus. Reges et Principes beneficia adhuc dare, sacerdotes accipere, consueuerant, et, Principum liberalitate, sibi fortunas colligebant, saepius per causam pietatis. Hinc praedae simul esse participes cupiebant, quae belli ducibus relinquebatur, iure belli, qui partem istis temporibus non sacram ordini religioso cupiebat sacrilegii prope reus habeatur. Sed haec non commentor propterea, ut Saxonas liberos ab auaritiae culpa pronunciem, cuius in tributis, siquidem aperte semper et ingenue loquantur testes sacri, deprehendisse uestigium haud unum uideamur. Interim post Adamum Bremensem, cuius querelas paullo ante cognouimus, Helmoldi, qui magistri sui fidem tuetur, uerba audiamus, *Vnde*, inquit, *cognosci potest Saxonum insatiabilis auaritia, qui, cum inter gentes ceteras, barbaris contiguas, praepolleant armis et usu militiae* (Hanc laudem tribuit Bernardo et Saxonibus Adamus, tribuunt eis ingenui omnes, nec inuidi eripiunt, nec exteri, Saxonas bello uirtute ualere, diffitentur) *semper proniores sunt tributis augmentandis, quam animabus domi-*

 no

no conquirendis. Decor enim Christianitatis, sacerdotum instantia iamdudum in Slauia conualuisset, si Saxonum auaritia non praepedisset. Eadem fere sunt uerba, quae ex Adamo supra attulimus. Sed quae Godeschalci pietas fuerit, nunc, quando Helmoldus eam persequitur, subiiciamus. *Praedicetur ergo, et omni laude extollatur, dignissimus ille Godescalcus, qui, barbaris gentibus editus, munus fidei, credulitatis gratiam suae genti cum pleno dilectionis feruore reparauit. Arguantur Saxonum proceres, qui Christianis proauis geniti, et gremio sanctae matris ecclesiae foti, steriles semper et inanes in opere Dei sunt inuenti d).*

CAPVT VII

Mobilitati animi et inconstantiae tribuunt scriptores, ac merito, quando de repetita toties defectione Slauorum exponunt. Vitam etenim effundere malebant illi, quam tributariam religionem admittere diutius, libertate penitus sublata. Facta igitur conspiratione, antiquum, ut consueuerant, obtinebant, atque, ad foedum barbari cultus ritum relapsi, Christiano reip. domino, Godeschalco, nefarie interempto, Cruconem sibi barbariae focium ac dominum deligebant, filiis Godeschalci Henrico et Buthue successionis iure exclusis, ut quietem felicius superstitione retinerent. Secus, atque, suspicaban-

d) Lib. I c. XXI Adamus Brem. Lib. III c XXIV seq.

cabantur, fore, siquidem filii Godeschalci in locum parentis interempti succederent, qui, Christianorum, maxime Saxonum, ope, patris caedem ulcifcerentur grauius, scelerisque asseclas ad internecionem usque persequerentur. Audaciam fortuna iuuabat, ut, uictoria elati, crudelitatis nullum statuerent modum. Hamburgum, Slesuicum, et plura eximiae dignitatis, ac fortunae oppida euertebant, sacerdotes, antistites captos, lapidibus interimebant, aliosque fustibus caedebant, alios triumpho ductos, et, praecisis manibus pedibusque, misere interficiebant, et caput, conto praefixum, idolo Radigasto immolabant. Quo cruciatus genere et supplicio affecti sunt Ansuerus, cum primis Ioannes, antistes Meclenburgicus, quorum ossibus uictoriae signa praeferebant hostes. Insignis illa et memorabilis clades ab Helmoldo ad annum seculi sextum et sexagesimum, et octauum Henrici IV imp., refertur. Ordulphus, Bernardi Saxonis fil., duodecim annos manus cum hostibus conferens, uictas semper eas dabat, ut conuersa nunc fortuna uideretur. Defectionis causam ex eadem Saxonum labe profectam, contendit Helmoldus, *Hanc sane*, inquiens, *contumeliam sibimet parturiuit infelix Saxonum auaritia, qui, cum adhuc uirium suarum essent compotes, et crebris attollerentur uictoriis, non recognouerunt, quia Domini est bellum, et ab ipso est uictoria, quin potius* Sla-

Slauorum gentes, quas bellis aut pactionibus subegerant, tantis uectigalium pensionibus grauauerunt, ut diuinis legibus, et Principum seruituti, refragari amara necessitate cogerentur e). Sed tamen et Sacerdotes huius quidem cladis, de qua hactenus docuimus, participes, sed tamen eiusdem uitii, reos peragit Adamus, eos cum primis, qui in Normannia tantam nominis opinionem habebant, ut, cum, tributa, illae gentes, ferre, indignum putarent, gratiam suam eo maiori pretio pro lubitu imperarent. Vix christiano nomine dignus putabatur, qui non quotidie *Missas parato nummo audiret. Baptismus, confirmatio, dedicationes altarium, et sacrorum benedictio ordinum, uisitatio infirmorum, et sepultura mortuorum, omnia*, quae historici uerba sunt, *uenalia*, perinde, ut apud Danos, quorum mores, laude alioquin dignos, una sacerdotum auaritia corrumpebat *f*). Redeo ad Saxonas transalbinos, Holsatos, Stormarios et Ditmarsos, qui, per Cruconem afflicti, facta rerum commutatione, uicissim tributis premebantur. Vt uel sexcentae, et plures, Holsatorum familiae, patrium relinquerent solum, atque in montem Hercynium demigrarent, se suasque fortunas ab seruitutis iugo, irruptionibusque bar-

e) L. I c. XXV Cetera uide Adamum Brem. L. IV c. XI XII XIII et Helmoldus, qui illum sequitur, lib. I c. XXII XXIII XXIV

f) De situ Daniae, p. LXIII ed. Lindenbrog.

barbarorum incolumes ſeruaturae. Perpetuam in montibus illis retinuiſſe ſedem, memorat Helmoldus, et, ad ſuam uſque aetatem manſiſſe, patriae olim ſuae oblitas, teſtatur *g)*.

CAPVT VIII

Viciſſitudinum, quae reliquas Germaniae uires conterebant ad extremum, ſi repetas altius cauſas, praecipuam Henrici IV pueritiam animaduertes, quam, imperio immaturam, contemnebant Germaniae principes, ſigillatim Saxones, et indignius ferebant, mulierem et puerum tantam reip. molem laturos. Lambertus Schafnaburgenſis tradit, Henrico, Auguſtenſium Antiſtiti, regni, cum Auguſta uidua, ſocio inceſtum exprobraſſe reliquos proceres amorem, atque de ſummouendo principe auguſto conſilia cepiſſe, ad an. CIↃ LXII At aequo iniuriam animo tuliſſe, addit, nec eam iure, quo potuiſſet, ultam, ſed, aetatis uacatione, quam delegerat, mitigauiſſe, ſeculique negotiis nuncium remiſiſſe. Palam Adamus Bremenſis, qui id aetatis fuit, ſcribit, et docet, cum morte Henrici III et Leonis, Pontificis R., eccleſiam et remp. fere omnem expirauiſſe. Regi nemo, regere tum uolebant omnes. Non tam miniſtraſſe regi, quam imperaſſe, ab

g) L. c. c. XXVI

ab auctore uitae Henrici IV dicuntur. Maxime antistites, qui annos Henrici pueri moderabantur, rem suam egregie curabant. De Adelberto, Antistite Bremensi, locuples et grauis nobis auctor idem historicus est, eum curiae tantum negotiis intentum, coetum suum negligere coepisse. Expressis uerbis Lambertus scribit, hunc regis pueri animum ita sibi inclinasse, ac flexisse, *ut in regno communi paene monarchiam usurpare uideretur.* Sed Alberto aderat Vernherus, comes. ab his dignitates, pretio parato, rei publicae atque sacrae petebantur, nemine repugnante *h*). Vitam Alberti huius si legas, ita, ut ingenue exposuit Adamus, antistitum consilia ex illo aeuo explorasse penitus uidearis *i*). In numero eorum is erat, qui ita fingebant aetatem Henrici, pueri, quam cupiebant esse eius imperatoris. Etenim Adelberto bene de se, quippe tredecim annorum puero, merito Laurense et Corbeiense, coenobia, dono dabat, reuera turbas inter coenobii utriusque doctores et sodales excitabat, quas exagitat auctor annalium Corbeiensium, qui liberalitatem inutilem et perniciosam reip. in annales isto tempore retulit, ad annum CIↃ LXIII *k*). Multa tandem, ubi aetate creuit, re-

h) p. CLXX Tomo I Pist.
i) Adamus Brem. L. III c. XXXV Histor. Eccles. Helmoldus L. I c. XXII
k) p. CCCLXXXVII seq. Laetatur ibi auctor, turbas, quas pro praemio paullo ante optabat, no-

rescidit, at non sine odio, quae constituerat, iudex ipse sui factus.

CAPVT IX

Liberiores regis innocentia facti antistites, et sacerdotes, emergebant, et Saxones maiorem sibi auctoritatem quam regis ferebat uoluntas, sumebant, quam cum rex, adultior factus, et aetate confirmatus, compescere et resecare licentiam niteretur, animos eorum acrius incitabat. Lambertus Schafnaburgensis iniuriae originem ab Henrico, pueri parente, repetit, quam uindicare in filio Saxones uoluissent ad an. CIↃ LVII *l*). Causam belli tam funesti tribuunt Henrico Marianus Scotus, Bertoldus Constantiensis, Otto Frisingensis, atque Helmoldus, et tradunt, regem animos Saxonum alienasse iniuriis, et munimentis, nouissime in Turingia et Saxonia conditis, quibus libertatem suam peti, Turingi et Saxones mox publice significabant, et castrum Hartesbergum, quod impedimento erat in uicinia, destruebant *m*). Familiam ducebant antistites, seque-

uo Domino contigisse. Adamus Bremensis consentit et docet, diu elaborauisse, ut impetrauerit. Quae turbae fuerint, docet pluribus Lambertus Schafnaburg. p. CLXX

l) p. CLXIII Tomo Pist. I CXCII seq.

m) Bertoldus Constantiensis ad an. CIↃ LXXII et LXXIII p. CCCXLIV seq. T. I Vrstis., Lamber-

quebantur Duces. In illis VVizelo, Magdeburgicus, Bucco Halberstadiensis, Hezelius Hildesheimensis, Vernherus Martisburgensis, Eilbertus Mindensis, Immet, Paderbornensis, Fridericus, Mimegardefurdensis, Benno, Misnensis. in his Otto et Magnus, Duces, Volo, Dedo, Ebertus, Marchiones, Fridericus, Palatinus, Ditericus, Albertus, Otto, Conradus, Henricus, Comites, et complures, pro libertate pugnaturi. Ad proelium omnes, denique ad custodiam, parati, imprudentes, et ex improuiso, inter inducias, contra fas belli, deprehensi, et, contra fidem, publice datam, in uincula coniecti. In uinculis, uel in custodia arctiori, libertatem et fugam meditabantur, accipiebant repente celeriterque par pari relaturi. Vt capti fuerant, sic liberare se, non iniquum, putabant. antistites sequebantur Duces, conscientia Sacerdotum confisi, innocentia incolumes et salui. Sed iudicem deligebant Pontificem maximum, Gregorium VII siue, ut, gentilitio nomine, memo-

tus Schafnab. p. CXCI T. I Pist. aperte scribit, Henricum in animo habuisse, omnes Saxones et Turingos redigere in seruitutem, finesque eorum concedere Sueuis. Post hunc Otto Frisingensis, Henricum Saxonas sibi hostes optauisse, adolescentem, cum quibus de uirtute contendere posset, lib. I de Rebus Friderici I imp. c. IV p. CCCC VIII Tomo I Vrst. Helmoldus L. I c. XXVII

memorabilis est, Hildebrandum, quem, ex animi sententia, pronunciaturum sententiam, perspiciebant. Pontifex, qui eo nuncio, quem diu et ante eum plures optauerant, laetabatur, diris frangere imperterritum regis, adolescentis, animum tentabat, uindicta repellere impetum laborabat, nunc tempus instare auctoritatis uindicandae, ratus, peroportunum. Saxones, ut animum iudicis sacri mouerent facilius, causam, quae uerior erat, reticebant callide, et aliam, quam non ingratam fore, peruidebant, non dicis causa, proponebant. Scilicet Henricus Ecclesiae antistites constitueret, quos uellet, neglecto Pontificis consensu *n*). Antistites in Germania pollebant auctoritate. Vnius Romani nondum ualida erat, nunc denique commode uindicanda. Augustos obsequio Pontifici obstringendos, intelligebant, siquidem agere liberius, et decernere audacius, in Germania uellent. Itaque sententiam ferebat Gregorius VII *ut anno integro Roma non discederet, equum non ascenderet, sed in ueste humili circumiret limina ecclesiarum, orationibus et ieiuniis reddens dignum poenitentiae fructum o)*.

S Mona-

n) Ita tradunt post alios Schafnaburgensis, p. CCX Marianus Scotus, p. CCCCLIV seq. T. I. Pistor. Auctor uitae Henrici IV aduersariorum accusationis eam affert causam, quod regiam dignitatem consensu Pontificis R. non obtinuerit, quam requiri, necessarium existimauissent.

o) Helmoldus L. I. c. XXVIII

Monachus de bello Saxonico, ueſte humili, et nudis pedibus ad Pontificem adiiſſe, ſcribit, et refert, Gregorium imperaſſe, *ut regalem ornatum donec ipſe permitteret, ſibi non imponeret p)*. Exemplum huc uſque inauditum, terrebat reliquos, ſed tamen, libertatem imperii in diſcrimen adductam, ſero perſpiciebant. Primus erat Henricus IV qui, fulmine Pontificis percuſſus, poſteros, ut mirarentur, et Germaniae fortunam miſerarentur, commouebat. Obſtupeſcit nefando Pontificis inſtituto, atque, nihil ſe ex omni ſeculorum memoria tale cognouiſſe, ſcribit Otto, praeſul Friſingenſis. *Lego*, inquit, *et relego Romanorum regum et imperatorum geſta, et nuſquam inuenio, quenquam eorum ante hunc a R. Pontifice excommunicatum, uel regno priuatum q)*. Romae detinendus erat Henricus, ne regi nouo faceſſeret negotium, ne interuerteret proſcriptionem, quae ſi profligaretur primo impetu, minus ualidam fore in poſterum, ſuſpicabantur. Nouum Pontificiae ſeueritatis ſpecimen terrebat initio homines, dubia rerum expectatione ſuſpenſos. Interea Germanis imperabat nouum regem Rudolphum, reip. leges dabat, libertati palam inſidiabatur. Saxones et Sueui faciles erant et prompti, nec odio inflammati, quorſum euaderet praeceps conſilium, recogitabant. Diffi-

p) p. CXXXIV T. I Freheri, ad an. cIↄLXXVII
q) Lib. VI Chron. c. XXXV

Difficiles Franci erant, et alii numero plures, atque Henrico fideles, patriae libertatis, de qua agi, cominus animaduertebant, studiosi. Henricus, nouitatis expers initio et ignarus, certior deinde factus per Antistitem Argentoratensem Verenharium, ingenuum Germaniae ciuem, neglecta Pontificis summi ira, in Germaniam properabat, ut noui regis ferociam frangeret, et impetum coerceret. Tum uisum est, facile esse, regnum impetrare, difficile, ut auctor uitae imperatoris asseuerat, tueri. Victoria enim, dubia quidem et anceps initio, mox penes Henricum erat, periurii dolor penes Rudolphum, qui calamitatis suae causam reiiciebat in Pontificem, quem in iudicio diuino causae dictionis periculum aliquando subiturum, agnoscebat moribundus r). Henricus, imp., uictoria laetus, nunc demum antistites committebat, atque auctoritatem Augusti postliminio uindicabat, reiecto Gregorio, et Clemente III in eius locum substituto. Hinc discordia, quae uiginti quinque annos florebat, afflicti antistites miseriae originem sen-

 tiebant.

r) Helmoldus L. I c. XXVIII seq. Bertoldus Constantiensis ad an. cIↃLXXX qui copiosus est in laudando Rudolpho, sed amore in Pontificem, odio in Henricum inflatus, adeoque fidem non omnino liberat historici ingenui et accurati. Perinde, atque monachus Saxo, qui, non doluisse iniurias, sed laetum pronunciasse, morti uicinum, *Nunc laetus patiar uiuus et moriens, quicquid uoluerit Dominus*, pag. CL de bello Sax.

tiebant. Non melior fortuna erat Hermanni, cognomento *Cluflochii*, quem Saxones, Rudolpho mortuo, regem nominabant, quin Saxones, subito huius casu, diuinam in tuendo Henrico prouidentiam agnoscebant *f*). Bertoldus Constantiensis, licet iniquiore in Henricum animo uideatur, tamen diffiteri non potest, plerosque antistites fouisse Henricum, Pontificem deseruisse, eos, qui uim facere Sacrosancto Hildebrando ausi non fuissent, delituisse in monasteriis, ueluti in exilio, et fortunam sacerdotii sui quemque eminus, et sede pulsos, deplorasse. Interim nec iacturam coetus diuini, quam per tot annos fecit, reticere potest, sed uicem illius grauius dolet, et sociorum casus rei sacrae omni exitiosos fuisse, prodit *t*). Gregorii sententiam contra Henricum repetebant Desiderius, seu Victor III et Paschalis II *u*). Nec dum licet aduersariorum iniuriis lacessitus, et uicissitudinibus afflictus, Henricus uictas manus dedisset, nisi insidiis Paschalis II Pontifex R., filium, ut pietati uim faceret et patrem hostili animo aggrederetur, concitauisset, reuera Gregorii fraudes superare annisus *x*). Inuadebat filius regiam potestatem,

f) Helmoldus L. I c. XXX

t) ad an. cIↃ LXXXIII p. CCC LII

u) Bertoldus ad an. cIↃ LXXVII et sequentes, Helmoldus L I c. XXX

x) Conuenerat iam tum quoque inter Conradum, primum Henrici fil., quem regem an. cIↃ XCIII

ſtatem, tanquam patrem ſepeliiſſet, ut loquitur uitae Henrici auctor. Quanquam et filius uiolatae pietatis poenam luebat, iiſdem inſidiis Pontificum exceptus. Nam, quantam ille operam impenderat is Pontifici aduerſus patrem, tantam Pontifex uiciſſim impendebat Henrico V deiiciendo. Turbulentiſſimus hinc Henrici IV tempore ſtatus reip. erat, ſed turbis nouis occaſionem dabat Henricus V cum, ceſſo inaugurationum ſacrarum iure, liberius permitteret, praeſules Germaniae Pontificibus Romanis iuriſiurandi religione obſtringi. Quo ipſo auguſtam imperii dignitatem, quae integra, parente ſuperſtite, erat, profundebat, et Germaniae antiſtitibus, ut ſe omni officio, quo imperatoribus regibuſque deuincti fuerant, fere nunc fore liberos, peruiderent *y*).

patri oppoſuerant, et Vrbanum II Pontificem, de iure conſtituendorum antiſtitum, de quo decedebat Conradus teſte Bertoldo, ad an. cIↄ XCV p. CCCLXXIV adde auctorem uitae Henrici IV p. CCC LXXXVI T. I Vrſtiſ. Praematura Conradi mors periculum, quod ex amiſſa hereditate impendebat, interuertebat.

y) Schurzfleiſchius negat, ualidam et firmam Henrici V ceſſionem fuiſſe, quae contra pacta publica et imperii iura, quae non in unius imperatoris poteſtate, ſed uniuerſii procerum ſunt, inita fuit. Complures, nec inanes eius ſententiae cauſas recitat, in diſput. XLIX Quid expediat imperio, §. IX

CAPVT X

Prima igitur controuerſia hoc ſeculo de principatu erat, quem Pontifex ſibi ſumebat arrogantius, imperator contra ſibi, ex iure ueterum, uindicabat. Res, tot diſſidiis, et magna animorum diſſenſione, agitata in conciliis nouis difficultatibus magis impediebatur, quam definiri poſſet, cum neutra pars iudicem agnoſceret ſupremum, nemo, qui controuerſiam inter potentiſſimos, ſine amore et odio poſſet dirimere, reperiebatur. Hinc, conciliis utrinque habitis, ſuam quiſque cauſam defendebant, alii Pontificis, alii imperatoris, patria, turbulento hoc reip. ſtatu, inclinabat, coetus diuinioris ſalus periclitabatur. Quedlinburgi, Vürceburgi, Oppenheimii, diris execrationibuſque deuouebant Henricum, et Henrici amicos. Henricus contra Moguntiae, et alias, improbitatem retundebat. Henrico fauebant Hugo, Albanenſis, Ioannes Portuenſis, Antiſtites, Petrus, *Cancellarius*, Leomarus, Bremenſis, Vto Hildeſheimenſis, Otto Conſtantienſis, Burcardus, Baſileenſis, Huzmannus, Spirenſis, VVezilo, Moguntinus, Siegfridus, Auguſtanus, Nortbertus, Curienſis, praeſules omnes, at eodem in concilio Qedlinburgenſi fulmine proſcriptionis percuſſi. Babenbergenſis quidam ſacerdos, Gunibertus, Pon-

Pontificem auctoritatem non accepiſſe a maioribus, ſed arripuiſſe, ut imperatori imperaret, contendebat, inſigniter, quod ridiculum eſt, ab cliente quodam Pontificis, his uerbis, *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum*, confutatus, ut praedicat inſolentius Bertoldus. Partium ſtudio abreptus ille hiſtoricus fidem amittit fere, at retinet, quando, factionis ſuae ſocios, ad extremum, derelictos, palam profitetur. Etenim, diſſidia gliſcebant, et corripiebant finitimos, adeo, ut progreſſu temporis, uix quatuor in Germania praeſules Pontifici adeſſent z). Omnis cura, omnium animus in armis erat, diſſidia contentioneſque florebant. Florentibus ſe uenditabant antiſtites, et ſacrorum miniſtri, afflictis ſuccurrebat nemo. Febri, aut ferro, antiſtes aliquis uitam amitteret, perinde erat. Pro Dei et Pontificis gloria occubuiſſe putabatur miles, religione ſanctus. Nihil fingo aut commentor, ut ordini ſacro, qui ab regulae obſeruantia deflexerat, aegre faciam, ſed fide nitor antiquitatis, et, teſtimoniis ſcriptorum certus, conditionem, quae id temporis Germaniam afflixit, expromo, auctoritate ſcriptoris, qui Henrici IV uitam in uulgus edidit, Bertoldi, Adami, Ottonis Friſingenſis, Helmoldi, et plurium, quos

z) Bertoldus Conſtantienſis ad an. cIↃLXXXV ſeq. p. CCCLVI ſequentibus, item ad an. cIↃXCI p. CCCLXV

ſequi tutius arbitror, quam nouos, qui fontes ignorant ſaepiſſime, uel non exquirunt.

CAPVT XI

Ex eis, quae hactenus commemorauimus, perſpicuum eſt, et manifeſtum, creuiſſe, hoc perturbato patriae ſtatu, Pontificum faſtum, quem cohibere et labefactare Fridericus I elaborabat, ſed expedire ſe difficultatibus non omnino poterat, atque ius, in Henrico IV amiſſum, penitus recuperare. Albertus, praeſul Hamburgenſium ſummus, de quo ſupra diximus, fortuna fautrice, maiora, quam par erat, concupiſcebat, et *Patriarchae* titulum poſcebat. Ne tamen ambitionis, quod facile intelligebat, accuſaretur, ut fiebat, cauſam obuertebat, ſe non ante conſentire poſſe, ut in Dania Antiſtes ſummus conſtitueretur, quam ipſe, dignitate auctus, uideret, ſuam deinde auctoritatem fore incolumem et ſaluam, Daniamque ad ſuam dioeceſin in poſterum referri, tametſi Antiſtes ſummus in ea aleretur. Nitebatur fauore Henrici III imp., cuius domi foriſque conſilia iuuabat, et perpetuus expeditionum in Vngariam, Slauiam, Italiam, et Belgium, comes erat, et ſumptus ſacerdotii ſui itineribus negotiiſque alienis impenderat, maximo rei ſacrae, et familiarum quarundam, detrimento *a*). Nitebatur praeterea beneuolen-

a) Adamus Brem. Lib. III c. VII ſeq.

lentia Pontificis Leonis IX Vterque, imperator et Pontifex, consiliorum omnium participem faciebant, ut etiam in concilio Moguntino, quod de coetus sacri emendatione instituebatur, praecipuum hunc, inter ceteros Antistites Germaniae summos, haberent, nihilque sine consilio Alberti statuerent, aut definirent *b*). Itaque nihil ad propositum deerat, nisi benignior fortuna. Etenim, dum de conditionibus ageret, consilium intercipiebat praematurus Henrici, imp., et Leonis, Pontificis R., ex hac uita discessus, intercipiebant noui in Germania motus *c*). Eius uero rei causa admittebat facilius, et, difficilis alioquin congressu, liberalius fouebat Gnathones, qui, per somnum et diuinationem genii, nescio cuius, sibi praenunciatum, praedicabant, fore, ut propediem *Patriarcha Hamburgensis*, mox Pontifex R., constitueretur. Omnes, quos in sacerdotio habuerat, antecessores, alto supercilio contemnebat, neminem, aperte dicebat, generis dignitate, et diuitiis, parem sibi extitisse, obscuros omnes et ignobiles, perinde, ut alios suae aetatis, arrogantius traducebat. Atque primus, quod mihi quidem constat, antistes ille est, cui in Germania *Magni* nomen, inaudito in sacro

S 5 ordi-

b) idem lib. III c. XXXI seq.

c) idem, c. XXXIV seq. eiusdem libri Helmoldus L. I c. XXII Petrus Lambecius in notis ad Gualdonem, p. CXXXVII Script. Lindenbr.

ordine exemplo, impoſuerunt *d*). Alii largitionibus, aliiſque artibus, ad ſummos honores contendebant, et *praeeſſe* ſacerdotiis, *non prodeſſe* uolebant Antiſtites, prouti Vrbanus II Pontifex maximus, ipſe queritur in tabulis Hirſaugienſis coenobii, quas Io. Trithemius annalibus illius ſeruauit *e*). Quin et in iiſdem literis grauius queritur Vrbanus de *haereſi Simoniaca*, ſic enim uocant hoc ſeculo ſcriptores, et, ſolennibus formulis, *Simoniace acquiſiuit, per Simoniacam haereſin ſucceſſit*, nefandum ambitus crimen reiiciunt et confellunt. Sed tamen obſeruandum, eos quoque, quos imperator conſtituerat, *Simonicae* criminis, per calumniam, accuſari, quos Pontificiae factionis affectæ perinde, ut imperatorem ipſum, odio perpetuo proſequebantur. Quo pertinent pleraque concilia et conuentus, quos ea in cauſa celebratos praedicat Bertoldus Conſtantienſis, odii in Henricum ſaepius accuſatus. Etenim diſerte, et expreſſis ille uerbis, Henricum, pronunciat, per *Simoniacam haereſin* eccleſiam foedaſſe, et, parato pretio, ſacerdotia et munera quaecunque, eis etiam, qui in proſcriptorum relati numerum fuerant, uendidiſſe, ad annum cIↄ-

LXXVI

d) Adamus Brem. L. III c. XXIX XL XLI XLII lib. IV c. XXXVI XXXVII XXXVIII itemque de ſitu Daniae p. LXVI in fine.

e) p. XCVI

LXXVI *f*). Ioannes Trithemius, quemadmodum Gregorium VII ab omni nequitia et ſcelere liberum pronunciat, et, Lambertum Schafnaburgenſem, Bertoldumque, qui in coelum efferunt Pontificem improbum ſceleſtiſſimumque *g*), ſecutus, libertatis ſacrae ſtatorem defenſoremque nominat, ita uiciſſim, *Simoniae* auctorem Henricum IV Imp. confidenter fingit, perinde, ac ſi malum iſtud, eius demum culpa, pullulare in Germania coepiſſet. *His* enim, inquit, *temporibus, quibus Henricus IV regnauit, epiſcopatus, Abbatiae, praepoſiturae, et ceterae dignitates eccleſiaſticae non per electionem, dignis conferebantur, et haereſis Simoniaca totum paene regnum Teutonicum ſua prauitate maculauit. Ex qua multa in Germania orta ſunt mala, quia rex, propter haec et alia multa, per Chriſti uicarium* (Gregorium VII digniſſimum Chriſti uicarium, hominem omnium flagitioſiſſimum) *excommunicatus, rebellis et contumax ſummo Pontifici fuit, omneſque illi obedientes uſque ad mortem perſecutus eſt h*). Lambertus Schafnab. Hildebrandum *omni uirtu-*

f) ad an. cIↃLXI cIↃXCIII p. CCCXLIII et CCCLXXI et alias.

g) ad an. cIↃLXXXV quo mortuus eſt, a Bertoldo egregie collaudatus ſacer ille antiſtes.

h) in Chron. Hirſaug. p. LXX LXXI LXXII Sed innocentiam ipſe ſuam magna ſeueritate tuebatur Henricus IV atque Antiſtitibus Moguntino et Colonienſi, inſignia imperii Germanici erepturis, atque ad filium delaturis, probabat, teſte Helmoldo L. I c. XXXII

uirtutum genere celeberrimum, et zelo Dei feruentissimum, appellat *i*).

CAPVT XII

Tanta coercendi importunitate, tumidi Pontifices et inflati, eo progrediebantur dementiae, ut coniugio sacerdotibus nefarie interdicerent, mulieresque e complexu illorum, qui fouebant eas, et legitimo matrimonio utebantur, eriperent, edictis propositis, ut nemo in posterum, nisi continentiam tueri posset, sacerdotio admoueretur, is uero, qui coniugem haberet, uel dimitteret, uel dignitate penitus excluderetur. Adamus Bremensis, *nefanda* sacerdotum *coniugia*, ait, concilio, Moguntiae anno CIƆLI coacto, ab Leone IX Pontifice, *damnata k*). Eodem in reiiciendo sacerdotum matrimonio furore agitati sunt successores, nominatim Nicolaus II Alexander, Gregorius VII atque scriptis impugnauit Petrus Damiani, praesul Ostiensis. De Alexandro, Pontifice R. praeclare existimat Bertoldus. *Satis*, inquit, *strenue Simoniacam baeresin destruxit, et ministris altaris cum coniugibus coire iuxta Canonum* (non uero Sacrae Scripturae, cuius auctoritatem hic praeferebant, et dictis, quae eo pertinent, nouam sanctionem refellebant sacer-

i) p. CXCI
k) L. III c. XXXI

facerdotes pii) *ftatuta*, *cum excommunicatione* (ut ui, atque impetu reprimerent, quos hortationibus admonitionibusque non poterant) *interdixit*, *ipsosque Laicos Clericorum incontinentium* (scilicet, qui coniuges habebant, sacrosancta Pontificum lege ita nominandi erant, et seueriori poena, quam ignorat diuina ueritas, coercendi) *officia audire per bannum prohibuit*, *sicque Clericorum incontinentiam satis prudenter refrenauit* *l*). Et homines principe loco nati, atque in reip. procuratione auctores summi, hoc fulmine terrebantur, ne tegerent contra Pontifices sacerdotem quendam, quos ab clientela et patrocinio reuocare eadem poena prudentiae, Bertoldus fingit, ego calliditatis improbitatisque fuisse, reor. Sed nec praetermittendus erat auctor constitutionis nouae Hildebrandus, tum Sadis R. *archidiaconus* adhuc, et particeps consiliorum, qui coniugia Sacerdotum euertebat, ut in coelibatu liberius scortis indulgeret. Quare, requiri, intelligebat Hildebrandus, ut Pontifex ipse, Gregorii VII nomine, se auctorem proderet, edita confirmatione. Consentit post alios, et probat Lambertus, Historicus aequalis, et illis temporibus superstes. Et Marianus Scotus, qui maluisse iram Pon-

l) Bertoldus ad an. cIↃLXI, de Petro Damiani ad an. cIↃLIIX cIↃLXVI cIↃLXXV cIↃXCV consentit de Hildebrando Trithemius ad annum cIↃLXXIII p. LXXII Chron. Hirsaug.

Pontificis ferre, quam coniuges dimittere, earumque consortio carere, ad an. CIↃ LXXV Firma haec et seuera erat sententia, quamuis omni animi contentione, ut facile est intellectu, resisterent sacerdotes. Triste et luctuosum amittere coniugem, durum et acerbum reiicere, quam quis non modo diligit, uerum etiam unice amat. Quare magna acerbitate et uehementia impugnabant decretum, et, qui Pontificum auctoritatem anteferebant, ita excipiebant, ut uitae discrimen, uix ac ne uix quidem effugere possent. Quod de summo Moguntino, itemque Curiensium Antistitibus, ex Schafnaburgensi repetit Hachenbergius, repetere hic longum nimis, quamuis ab instituto haud alienum, foret *m*). Interim tanto imperio, quod turbato reip. statu, affectabant, decernere, quodcunque placebat, integrum erat, et *haereticus* statim, qui consensum negaret, omnium consensu et suffragio, pronunciabatur. Quare, in sacra coena, *panem et uinum, cum in altari consecratur, non solum figurate, sed etiam uere et essentialiter in corpus et sanguinem Domini conuerti*, contra Berengarium, frequenti et celebri, ad Placentiam, concilio, sub dio, ita imperante Vrbano, Pontifice maximo, constitutum est, consentientibus reliquis, qui ex Italia,

m) Hachenberg. differt. VIII de religione Christiana ueterum Germ. §. XV Lamberti Schafnaburgensis uerba superant p. CCCXII T. I Pistor.

Italia, Burgundia, Gallia, Alemannia, fiue Sueuia, Baioaria, aliifque Germaniae locis eo magno numero confluxerant, de ftatu et miferia rei facrae deliberaturi *n*). Sed, medicinam corruptelis allaturi, antiftites deformabant, nouis commentis errores cumulabant, diuina humanis mifcebant, maiora, quam confuetudo ferret, concupifcebant, nec, frenum potentiae iniici, patiebantur.

CAPVT XIII

Tali modo omnibus, et fummis etiam, illuftribufque uiris imperare omnia poterant, et perfuadere. Ne tamen effunderent auctoritatem, pietatis caufam in auxilium uocabant, qua facilius retineri fimplicitatem, intelligebant. Vox de coelo allata confenfum extorquebat. Ita humanis confiliis diuina ueritas explodebatur. Percrebuit, quod ex Auentino repetit Hachenbergius, conftans in Germania opinio, appropinquare diem nouiffimum, atque orbi terrarum interitum diuinitus imminere. Quare, monebant homines quaeftores facri, pietatis memoriae, nifi fpe hereditatis aeternae uelint excidere, beneficiis ftuderent, atque animos munirent tempeftiue contra cafus, qui fecuturi effent, iacturamque falutis prouide declinarent. Quibus hinc uaticiniis capti,

n) Bertoldus ad an. cIↄXCV

capti, in coenobia concurrebant frequentes, et se suaque eo, ueluti in tutissimum portum, conferebant, et monachis, ut pro se deprecarentur apud Deum, succurrebant liberaliter, et seruiebant. Non fallit hic Auentini fides, quantumuis aetate recentioris, sed firma est, et Bertoldi Constantiensis, qui eisdem uixit temporibus, incolumis et salua. Mirifice is consentit, et hominum pietatem laudat eximie, ac, monachorum fortunas his accessionibus auctas, impensius gaudet. Vtriusque sexus homines, confirmat, domicilia deseruisse sua, et, dimissis coniugibus, auctoritate dicam, an exemplis, sacerdotum, delegisse coelibatum sua sponte, uitam seueriorem, communitate rerum omnium, et conuictus, defensuros. Mulieres etiam ad sacerdotes se contulerunt, atque his ancillari, quam suis, cum periculo salutis, uacare negotiis, maluerunt. Ita sibi prospiciebant sacerdotes, et ancillas sacras, cum coniuges alere, et seruare prohiberentur, nutriebant. Sed, reprehendisse illam utriusque sexus communionem, et, quae hinc emergere poterant, promiscuas libidines, quosdam, ex eo perspicuum est, quod ipse pontifex Vrbanus, quod paullo post demonstrabimus, senatusconsulto licentiam ministrandi, per causam pietatis, approbauit o).

CAPVT

o) Bertoldus ad an. cIↄ XCI

CAPVT XIV

Eandem fortunam experiebantur ſummo loco nati, atque his officiis generis dignitatem labefactabant, propterea, quod conuerſa ordinis ratione, non miniſtros ipſi amplius ferebant, ſed, miniſtrare monachis, in uirtutibus ducebant. Itaque ſacerdotes domini erant, principes ſerui illorum et apparitores. Horret uere animus referre, quod memorat Bertoldus, cum laudibus effert tria Germaniae coenobia, fama maxime inclyta, *S. Blaſii* in nigra ſylua, *S. Aurelii* apud Hirſaugienſes, et *S. Saluatoris* apud Schafhuſianos. *Ad* haec, inquit, *monaſteria mirabilis multitudo nobilium et prudentium uirorum hac tempeſtate in breui confugit, et, depoſitis armis, Euangelicam perfectionem, ſub regulari diſciplina exequi propoſuit: tanto inquam numero, ut ipſa monaſteriorum aedificia neceſſario ampliarint eo, quod non aliter in eis locum commanendi haberent. In his itaque monaſteriis nec ipſa exteriora officia per ſeculares, ſed per religioſos fratres adminiſtrantur, et, quanto nobiliores erant in ſeculo, tanto ſe contemtibilioribus officiis occupari deſiderant, ut, qui quondam erant COMITES et MARCHIONES in ſeculo, nunc in COQVINA et PISTRINO fratribus ſeruire, et PORCOS eorum IN CAMPO PASCERE, pro ſummis computent deliciis. Ibi nempe et porcarii et bubulci, praeter habitum, iidem ſunt, qui monachi. Tanto autem charitatis ardo-*

re omnes feruent, ut quilibet eorum non tam suum, quam alienum, desideret profectum, et in exhibenda hospitalitate insudant tam mirabiliter, ac si, se perdidisse, aestiment, quicquid pauperibus Christi (scilicet monachis horumque asseclis opulentis in orbe et bene nummatis) *et hospitibus non erogauerint p*). Multis quidem uerbis hunc testem, cognouimus, consuetudinem seculi sui laudasse, sed tamen, attulisse non displicet, quia clarius fere nullum desiderari possit testimonium, quod durum seruitutis iugum referat, quo constricti tenebantur ipsi generis dignitate illustres. Saltem, sine exquisito doloris sensu, miseriam temporum ex iis cognoscere uix possis. Praeterea tot extant elogia, quibus in coelum tollunt effusam liberalitatem assentatores, ut modum excedant. Quod uel unius exemplo Guilelmi, Abbatis Hirsaugiensis, conficio, qui, uir quidem rei mathematicae scientissimus, multisque ingenii monumentis clarissimus, erat, sed, propterea, quod permulta coenobia partim constituit, partim refecit, et disciplinam reddidit, *Deus uiuus* a Bertoldo nominatur ad annum cIↃXCI

CAPVT XV

At improbasse uiros ingenio sagaci sacrum istud aucupium, non obscure patet ex ipso

p) ad an. cIↃLXXXIII p. CCCLIII

ipſo Bertoldo, cuius fide eo libentius utor, quo diligentius ea obſeruauit, quae utilitatem religioſo ordini afferebant. Re ipſa prodidit fraudes antiſtitum et ſacerdotum, cum laudibus nimium, ut aſſolet, indulget, prudentioribus ſuſpicandi cauſas imprudentia offert. Sed ipſius Vrbani, audaciam liberius iudicandi de pietate ſuperſtitioſa refellentis, uerba, ex tabulis, uti quidem hiſtoricus idem in publicam emiſit lucem, repetamus. *Quoſdam accepimus morem ueſtrorum coenobiorum corradentes, quo Laicos, ſeculo renunciantes, et ſe ſuaque ad communem uitam transferentes, regendos obedientia ſuſcipitis. Nos autem eandem conuerſationem et conſuetudinem, ſicut oculis noſtris inſpeximus, laudabilem, et eo, pro perpetua conuerſatione, digniſſimam, quo in primitiuae eccleſiae formam impreſſa eſt, iudicantes, approbamus ſanctam, et catholicam nominamus.* Sed enim, fraudem monachorum animaduertentes nonnulli, ex ſolitudine ſacra diſcedebant, et facultates, quae ſocietati antea obtulerant, domum ſuam referebant. Quod cum, ſibi fore detrimento, intelligerent ſacrorum cuſtodes, Pontificis minis deterrebant reliquos hoc tale ſcelus perpetraturos, et ſacrilegii conuicio laceſſebant q). Interim mirari neminem ſubeat, uaferrimum generis humani inſidiatorem inſolitis ſtupendiſque ſomniis, apparitionibuſque ſimplices homines in aſ-

 ſenſu

q) ad an. cIↃXCI p. CCCLXVI

ſenſu confirmaſſe, cuiuſmodi uaticinia, colloquia cum geniis callidis et uerſutis, repetunt ueteratores, et annalibus expromunt *r*).

CAPVT XVI

Taceo ordines, qui amplificati ſunt *ſ*), et de *expeditione* prima, quae hoc ſeculo in Palaeſtinam ſuſcepta eſt, trado. Eo commeabant, per cauſam reſtituendae, quae in finibus illis primum prodierat, religionis Chriſtianae, Saracenis, quae quieti poſſidebant, nunc demum erepturi. Primum, quod mihi quidem conſtat, arma mouebant Sigfridus, Moguntinus, Gundarius, Babenbergenſis, Otto, Ratiſponenſis, Vilbehelmus, Traiectenſis, antiſtites, Hieroſolymam profecti, at, bello inferiores, cedebant anno cIↃLXIV *t*). Sed ſolennis illa erat expeditio, quam expetebat Alexius, imperator Conſtantinopolitanus, opemque flagitabat contra barbaros, omne Chriſtianorum nomen in Oriente extincturos. Annuebat Vrbanus II Pontifex, atque, ut felicius ſuccederet propoſitum, omnes iureiurando in concilio Placentino obſtringebat *u*). Quare anno cIↃ-

XCV

r) Io. Trithemius, Chron. Hirſaug. ad an. cIↃXCVIII p. XCIV

ſ) Ciſtercienſis initium ab Trithemio refertur ad an. cIↃXCVIII p. XCIV Chron. Hirſaug.

t) Bertoldus ad hunc annum, p. CCCXLIII

u) idem ad annum cIↃXCV p. CCCLXXIII

xcv infinita excurrebant multitudine eo utriusque sexus et aetatis milites, crucis sacrae signo, ut Christi insignia praeferrent, consensu Pontificis notati. Maxime reges, antistites, monachi, atque ciues alii, libidinem expleturi. Quo animo iter suscipiebant, eo terras, qua transeundum erat, inuadebant. Hostili eo ingrediebantur in Vngariam, hostili animo reiiciebantur, multis fusis et prostratis, multis, ne idem discrimen adirent, aditu interclusis. Vt mirari non subeat, sacro hoc bello non respondisse consilio successum, cum nec iustam inferendi illius causam haberent, nec eo animo, quo par erat, institutum persequerentur, libidini et luxuriae, non recuperandae terrae sanctae intenti. Imperator milites occidentales, ut sibi opem duntaxat contra Saracenos, hostes, ferrent, petebat, non, ut, quae eriperent, retinerent sibi, et nouum conderent in uicinia regnum, Graecorum imperio exitiosum. Amor Venereus, quo inter se certabant ipsi milites, effeminabat animos, ut hostes fere aspernarentur. Helmoldus, auctore Petro, monacho Hispano, uel, ut Bangertus auctoritatibus conficit, Callo, susceptum istud iter, docet. Quippe Petrus ille, per quietem, diuinitus sibi patefactum, simulauit, ut literis, quas, ex coelo allatas, mentitus est, ad bellum excitaret. Bertoldus Constantiensis nihil quidem de monachi somnio affert,

at, a quam plurimis tamen, *Dei ordinatione et inspiratione, ipsum iter inceptum*, scribit *x*). Robertus uero Monachus de hoc bello contra Saracenos suscepto, meminit primo statim libro *Petri, eremitae*, religione conscientiae, ac pietatis fama sancti, sed de patria eius, quia nihil addit, Gallum ipse, opinor, fuisse, propterea, quod Robertus monachus, Gallus ipse nihil opus esse putauit, in gente sua, ciuem, cognitum et laudatum a patria commendare. Idem ille Petrus, collecto exercitu, expeditioni sacrae praeibat. Irrita plane fuisset sumptuosa peregrinatio, nisi uirtute Godefridi, ducis, Boloniensis, postea regis Hierosolymorum progressi, Niceam, Antiochiam, Hierosolymam, cepissent *y*). Sicut uero, opinione seculi, pietas quaestum sequebatur, ita mirum non est, non eos progressus in bello uidisse auctores, quos optabant. Nec Bertoldus causas euentus minus prosperi reticet, sed corruptis militum sacrorum moribus impertitur, belli uero ipsius, causam tribuit Saracenorum irruptionibus in chri-

x) ad an. cIↃXCVI quo coepit expeditio p. CCCLXXV

y) Bertoldus ad an. cIↃXCVII p. CCCLXXVII Helmoldus L. I c. et Bangertus ad h. l. adde Trithemium in Chron. Hirsaug. ad annum cIↃXCVI p. XCIII in primis Robertus, monachus, qui concilio ClaroMontano interfuit, et historiam sacri illius belli octo libris perscripsit, ab Iusto Reubero editus.

christianorum, qui supererant, fines. Contra hos quidem Latinorum auxilia petebat Alexius, sed alio animo, quam Latini ueniebant. Atque hinc, cum quaestum auxiliariorum perspiceret, consilia mutabat, et sociis peregrinis ipse difficilis erat et molestus. Etenim militiae sacrae impedimento erat, et Saracenis oppida, ab christianis recuperata, reddebat diruenda, cum Latinos sibi suisque insidiari, intelligeret, iniuriis, quod coniicere licet, affectus. Vt, consilii eum sui poenituisse, exitus demonstraret. Sed Europaei, prima hac expeditione allecti, saepius deinde periculum faciebant, nulla uera iusti belli causa in Asiam euocati. Quare, in quaestione, rectene, an secus, illatum toties Saracenis bellum fuerit, iustitiae titulum sumpsisse, Schurzfleischius probat, atque, iniustas hinc merito, ex iure gentium communi, pertendit, fuisse, tot repetitas incassum expeditiones, quia nulla praecesserint iniuriae et maleficia, quibus lacessiti ab Saracenis innocentiam defendere potuissent *z*).

CAPVT XVII

Iudaei quoque in Germania uitae periculum adire cogebantur, cum quidem christiani nominis hostes iuxta haberentur, ab

T 4 eis

z) De Vitricis Ecclesiae disp. XXXVI §. XIII p. XXXIX seq. XLII seq.

eis cum primis, qui armis instructi et parati erant, ad expeditionem in Palaestinam suscipiendam. Itaque hi milites sacri, ad summouendos rei Christianae hostes conducti, eos primum aggrediebantur, quos in ipsa patria deprehendebant, fortunam, quae futura esset contra aduersarios eiusmodi, antequam iter ingrederentur, tentaturi. Multi hinc, christianorum militum impetu, interfecti sunt, multi antistitum opem praesidiumque implorabant innocentes, multi uim sibi inferebant ipsi, ne hostium, quos belli sacri gloria ad impetum uocauerat, furore misere extinguerentur. Complures tuendos suscipiebant Antistites Ratisponensis iuxta ac Vormatiensis, atque alter quidem pretio restituebat libertatem, alter restituere, cum imperata facere cessarent, uidebatur *a*) Moguntiae mille et quatuordecim numero eorum, qui accipere Christianorum sacra recusauerant, trucidauerunt. Alii alias, qui ui metuue ad religionem mutandam compulsi fuerant, data emergendi facultate, ad cultum pristinum redierunt *b*).

LIBER

a) Bertoldus Constant. ad annum cIↃXCVI p. CCCLXXV Sigebertus Gemblacensis ad an. cIↃXCVI p. IↃCVIII T. I Pistor.

b) V. additiones ad Lambertum Schafnab. ad an. cIↃXCVI p. CCLIII seq. tomo I Pistor. Dodechinus in appendice ad Marianum Scotum, ad an. cIↃXCVI

LIBER VIII
DE
STVDIIS HVMANITATIS.
CAPVT I

Ingenuarum artium ſtudia tot inteſtinis bellis diſſidiisque, ex quibuſdam finibus, in quos uix illata fuerant, demigrare cogebantur. Cum primis Slauorum, qui, cum religione chriſtiana, literas exterminabant, et doctores expellebant. Alias diſcordia obſtabat, quo minus quieta muſis ſedes decerni poſſet. Ne tamen penitus interirent artes, alii, pro uiribus, annitebantur, et iuuenes quotidie in propoſito conſeruabant. Rationem, quae in coenobiis, in primis Paderbornenſi, floruit, penitus in uita Meinvverci expoſuit hiſtoricus, et induſtriam demonſtrauit, quae uiguit aetate Imadi, *ſororii* Meinvverci, Antiſtitis, qui Rothoni in ſacerdotio Paderbornenſi ſucceſſit *c*). Auctor enim ille, quum diſciplinas, quae Paderbornae tum excolebantur, refert. *Ibi*, inquit, Muſici

c) Gobelinus Perſona Coſmodromio Aet. VI c. LIII LIV ubi docet, Meinvverco Rothonem, Rothoni ſucceſſiſſe Imadum.

ſici *fuerunt*, *et* Dialectici, *enituerunt* Rhetorici, *clarique* Grammatici, *quando* magiſtri artium *exercebant* triuium, *quibus omne ſtudium erat circa* quadruuium *Vbi* Mathematici *claruerunt*, *et* Aſtronomici, *habebantur* Phyſici *atque* Geometrici. *Viguit* Horatius, magnus *et* Virgilius, Criſpus *ac* Saluſtius, *et* Vrbanus Statius. *Ludusque fuit omnibus inſudare* uerſibus, *et dictaminibus* iocundiſque cantibus. *Quorum in* ſcriptura *et* pictura iugis *inſtantia claret multipliciter hodierna experientia*, *dum ſtudium nobilium clericorum uſu perpenditur utilium librorum*, Cuiuſmodi teſtimonia eo libentius conquiro, quo accuratius exinde rationem docendi, quae iſtis temporibus ualuit in ſcholis, cognoſcere ſimul licet, atque iudicare, omnes fere diſciplinas et artes hoc iam tum ſeculo obtinuiſſe, tametſi Ariſtotelis fama nondum animos omnium occupauiſſet. Pingendi etiam et ſcribendi artem in coenobiis tenebant, diſciplinamque ita cuſtodiebant, ut nemini fines iſtos egredi liceret, nedum cum parentibus colloqui, et complexu illorum, extra ſocietatis communionem, frui. Quod Imadi auctoritate conficit hiſtoricus, quippe quem, diſciplinae olim alumnum, et peradoleſcentulum, id beneficii impetrare haud potuiſſe, docet, ut parentem uideret aut adiret, quoniam arctius conſeruandi erant, ne conſuetudine aliorum, qui liberi erant, ab induſtria, et uita ſolitaria auocarentur

tur *d*). Laudat, praeter cetera, ſcholas coenobiorum, Sanblaſiani, Schafhuſiani et Hirſaugienſis, Bertoldus, et praedicat, celebritatem ex Germania eo aduocaſſe tantam multitudinem, ut capere aedificia haud potuiſſent *e*). Addimus hic Bergenſem, prope Magdeburgum, et Pabenbergenſem, quae ad Bergenſis rationem conformata eſt, atque alumnis illuſtribus, optimis artibus erudiendis nobilitata *f*).

CAPVT II

Siquidem elogiis ſcriptorum huius ſeculi, et, qui deinceps floruerunt, tribuere nonnihil uelis, multos rhetoras, poetas, hiſtoricos, philoſophos, muſicos, reperias, quorum nomina quidem pleraque, non tamen ingenii monumenta, ſi qua emiſerint, aetatem tulerunt. Poſt complures, qui *eloquentiam* ſimul et poeticem ex conſuetudine ſeculi attigerunt, Io. Trithemius affert *Lampertum de Legia*, Treuirenſeum, *Theodoricum* Moguntinum, monachos, *Vilramum*, abbatem Merſeburgicum, *Gebhardum*, abbatem, et *Conradum*, monachum, Hirſaugienſes, oratores ſuae aetatis clariſſimos, quorum alter Gebhardus

d) Vita Meinuerci, Antiſt. Paderbornenſis c. LII p. IↃXLVI Tomo I Leibnit.

e) ad an. cIↃLXXXIII p. CCCLIII itemque de Marbachiano p. CCCLXXI

f) Georg. Fabricius Orig. Saxon. L. II p. CCLXXIV

hardus suauitate oris (non uero dictionis, quam ignorabant hoc seculo) cunctos, et principes uiros uicit, ut mirarentur uim uocis, et in consiliis publicis adhiberent, alter, Conradus, more ueterum, non in cumulandis testimoniis sententiisque occupatus, orationem perpetuam et aequabilem expressit. Ipsius uerba Trithemii, quae amplissimum elogium ei comparant, recito, *Iste noster*, inquit, *peregrinus, Tullianam secutus eloquentiam, ueterum more, sine allegationibus superfluis, lucidam, sanam, et integram orationem continuauit g)*. Quod elogium tametsi sit Trithemii, qui pluribus alioquin uerbis, quam conuenit, laudat, tamen ex eo intelligimus, improbasse Cunradum plebeios oratores, qui peregrinis laudibus superbiunt, et nihil de suis fere addunt, Tullii, aliorumque, qui eloquentia clari extiterunt, auctoritatem, ut eloquentes et ipsi habeantur, ubique praeferentes. Sed tamen, quia usus latinae linguae in monasteriis retinebatur, et liberales artes hac ipsa proponebantur, multi genium seculi superant, maxime inter historicos, quorum nonnulli perpetuo, nec interrupto ordine, res gestas enumerant, plerique tamen ab consuetudine remoti sunt longius, et nullam scribendo dignitatem assequuntur.

CAPVT

g) in Chron. Hirsaug. p. LXXXIX seq. itemque p. LIV seq LVII LIX seq.

CAPVT III

Poetae nec multi, neque elegantes, superſunt, ſed, quos habemus, rhythmis plerique iterum capti, gratiam effundunt. Ipſi hiſtorici, poeticen attigiſſe ſe, prodere uidentur, cum carmina ſaepe interſerunt, uel rei ſummam uerſibus praemittunt. Vt hiſtorias condidiſſe, et poeſin ornaſſe ſimul exiſtimarentur. Omnes enim poetarum argutias ſectantur interdum, atque in orationem ſolutam inferunt, re ipſa characterem, qui hiſtorico conuenit, turbant, atque, ornamentum orationi conciliaturi, decus hiſtoriae praecipuum negligunt inſcii imprudenteſque. Poetas celebriores, dolet, interiiſſe, Trithemius, multos tamen diuorum reliquias, nouimus, celebraſſe, ut iacturam facilius ferre queamus. *Ditmarus*, qui uerſu cuiuſüis libri ſummam complexus eſt, atque *Hermannus Contractus*, carmine clari etiam ſunt, ſed non alio, quam aeuo medio poetae propemodum omnes. Quae facultas Contracti in eo doctrinae genere fuerit, monumentum, quod matri ſuae poſuit, declarat. tribuit ei auctori *hymnos* quoſdam diuae Virgini, Mariae, ſacros Trithemius, et, multam ab ea gratiam, pro praemio, retuliſſe, aſſeuerat *b*). Com-

b) Chronicon ad an. cIↄLII p. CCCXXXIII de hymnis eius Trithemius, de uiris illuſtr. p. CXXXIX

Commendat egregie Trithemius VVOLFFHELMVM abbatem monasterii Bruvvilerensis, in dioecesi Coloniensi abbatem, carmine clarum. Natus is est in pago Ribuariensi eiusdem ditionis. Monachus initio fuit in coenobio S. Maximini apud Treuiros, deinde S. Panthaleonis apud Vbios, tum abbas Gladebacensis, et postremo Bruvvilerensis. *Metro excellens et prosa* dicitur. Praeter carmina, quae uarii generis emisit, celebrat Trithemius *epigrammata super omnibus uoluminibus bibliothecae*, quae confecisset *i*).

CAPVT IV

Diligentius in rebus gestis conseruandis laborabant in monasteriis religiosi. Atque annales inspicienti patet, in coenobiis sollicite curasse rectores studiorum, ut huic doctrinae generi consuleretur melius, nullam, rati, suae aetatis, nisi homines ipsi superstites ei prospicerent, apud posteros aliquando fore recordationem. Atque ita quidem, auctore Marcvvarto, in coenobio Corbeiensi anno CIↃ XCVII constitutum decretumque est, ut *quilibet Praepositus, uel alius, historiarum peritus, monasterii sui, isti subiecti, chronicon colligeret, eique mitteret ad futuram rei et posteritatis memoriam k*). Atque hinc, cum tam multi,

i) de uiris illustr. p. CXXXV

k) apud Paulinium Syntagmate rer. Germ. p. CCCXC

ti, diuerſis temporibus, collegerint ſuae quiſque aetatis res memorabiles, colligere licet, tot incertis auctoribus *chronica*, quae extant, cum plures habuerint auctores, uni duntaxat tribuere uix auſos fuiſſe, ſed, *anonymorum* nomine prodire, maluiſſe. Quod ipſum cum ex inſtituto ipſo, de quo paullo ante diximus, patet, tum ex annalibus etiam, quibus ſaepe, quamuis omiſſo interdum nomine, induſtriam profitentur, haud obſcure intelligi poteſt. Ac fidem facit auctor, quocunque ſeculo uixerit, qui ad annum CIↃLXXV in Corbeienſibus illis, cum ſuam, tum Petri, quem Viſſelbeccium, ſeculi decimi quarti hiſtoricum, coniicit CL. Paulinius, fuiſſe, in conſeruandis rei antiquariae monumentis diligentiam exponit *l*). Fuldae pariter antiquitatis documenta conquiſiuerunt, atque ſtudioſius publico monaſterii tabulario conſeruanda, iuſſerunt Richardus atque Ecbertus, abbates *m*). Eadem cura alias hiſtoriae monumenta ex ſitu et ſqualore eruta, non eſt cur dubitemus, licet teſtimonia, nec de omnibus ſuppetant, nec exquirere liceat et perueſtigare. Ceterum aliis in locis belli flamma, atque incendio, quod Germaniam corripiebat, multa huiuſmodi interiiſſe, facile eſt intellectu, quoniam hoſtium direptionibus

l) l. c. p. CCCLXXXIX

m) V. Breuiarium Fuldenſe p. CCCCXXXI ſeq. Syntagm. Paulin.

nibus ac praedae coenobia maxime illuſtria, in primis eis in regionibus, quae Slauis erant proximae, ſuccumberent.

I

Commemorant ad annum cIↄv THEODERICVM, S. Matthiae, prope Treuiros, monachum, qui *inuentionem reliquiarum S. Celſi confeſſoris* ſcriptis expoſuit, ab Surio tomo VII allatas *n*).

II

Antiquiſſimus, qui res Miſnicas finitimaſque perſcripſit, DITMARVS eſt, *Antiſtes Martiſburgicus*, genere et dignitate maxime inclytus, literarumque monumentis, quae ſuperant, immortalis. Natalibus illuſtris eſt, et Sigfridi, Comitis, in Saxonibus, VValbeccenſis, filius, in lucem, uti retulit ipſe, editus anno ıↄccccLxxvı Literis Magdeburgi per triennium eruditus, operam, quam in ſe perpoliendo contulit, Rigdagi, *Abbatis* d. Ioannis, commendat *o*). Initio *Praepoſiti* nomine coenobio VValbeccenſi ſeptem annos praefuit, quod ipſe libro VI refert. Anno ſeculi huius XI octauo ab Henrico S., cui cariſſimus erat, Antiſtes Martiſburgicus deſignabatur. Sed ei muneri non diutius, quam decem annos praefuit, morte rebus humanis anno duodeuiceſimo ereptus, aetatis quidem XLII Saxones uehementer ſibi

n) Voſſius L. II c. XLII
o) Lib. III et IV Chron.

ſibi deuinxit immortali opere, quo res ab Henrico I rege, tum Ottonibus, et Henrico II imperatoribus, geſtas, non quidem Latini ſermonis elegantia, attamen, quae ſingulari commendatione ualet, induſtria et fide libris VIII *p*) enarrauit, multaſque urbes Saxoniae ſuperioris, ſpeciatim Miſniae, primus patefecit, quarum originem, quae multo antiquiſſima eſt, ignoraremus, niſi, Ditmari induſtria, ſupereſſet. Reineccius, memorabile iſtud obſeruandum, putat, *Ditmarum, qui e Germaniae optimatibus hiſtoriam*

V *monu-*

p) Antea VII tantummodo libris diſtinctum fuiſſe opus, exinde intelligi poteſt, quod non modo Ger. Io. Voſſius de Hiſt. Lat. L. III c. V p. IↃCCLXVI poſt hunc Sagittarius, Reimannus, totidem numerant, ſed et Ioach. Io. Madero, qui in omnibus, ubi potuit, Reineccianam editionem CIↃ IↃ LXXX ſecutus religioſe eſt, *in ipſo operis titulo octo iam libros ex ipſius auctoris* (Ditmari) *ut uidetur, mente*, placuit ponere, poſuitque, et numerauit octo Leibnitius. V. Maderus in praefat. Auctor uitae Ditmari, qui eiſdem fere temporibus, et Martiſburgi, uixit, ita ſcribit, *Scripſit Chronicon per quinque regum tempora digeſtum, incipiens ab Henrico humili* (Aucupe) *qui primus hoc nomine, et huius narrationis ordine imperauit, et ab Ottone M., II et III uiciſſim ſibi ſuccedentibus ad Henricum Pium*, p. CCCCXXIX T. I Leibnit. Non tamen auctor ille tam Ditmari uitam perſecutus eſt, quam, quae commoda attulerit eccleſiae ſuae antiſtes ille. Nec fabulas ſepoſuit, ſed ex Ditmaro etiam deprompſit, praeſertim eam, quae complectitur auſpicia officii Ditmari.

monumentis commendarunt, omnium primum extitisse. Sed monet ad haec Reineccii uerba Leibnitius, ignotos tum Reineccio forsitan fuisse Haymonem, Antistitem Halberstadiensem, VVillibaldum, Eichstetensem, Lutgerum, Altfridium, Monasterienses, qui scriptis clari extiterunt ante Ditmarum omnes *q)*. Ceterum externas quoque res, maxime Italorum, Gallorum, Britannorum, Danorum, Polonorum, Vngarorum, Boiemorum exposuit, atque in Henrico II quo imperante mortuus est, substitit. Praeterea maiores ipse suos retulit, sui etiam, non oblitus. Quod paucissimi praestitisse uidentur, quamuis praestare, sine ambitionis uitio, ut Ditmarus noster, potuissent. Nihil in eo desidero, nisi perspicuum scribendi genus. Sed tempori, in quod uita eius incidit, tribuendum. Perinde, ut somnia, uaticinia, et fabulae, quae, si consuetudinem seculi consideres, Ditmari fidem non infirmant. Eum praecipue secutus est Georg. Fabricius, cum nec antiquiorem haberet, nec meliorem, quem sequeretur, cum origines Saxonicas, speciatim Misnicas, illustraret. Primas ei detulerunt graues atque eruditi historici, quos partim recensent G. Io. Vossius et Ioach. Io. Maderus. Hoc uero magis assensum consequitur, quod ea aetate commentarios illos confecit, qua iudicio ualebat, anno uidelicet aetatis

q) in Praef. T. I num. XXIX

aetatis primo et quadragesimo, adeoque paullo ante, quam decessit e uita. Post auctorem uitae, quem paullo ante adduximus, multi uitam Ditmari recensuerunt, Ernestus Brotusius, Reiner. Reineccius, idemque, quod eximium est, ex Ditmaro ipso, repetiitque Ioach. Io. Maderus. Auctor uitae Ditmari codicem, manu ipsius antistitis scriptum, superfuisse Martisburgi, testatur r). Antiquissima et prima musarum sedes ibi constituta fuit, et diu ante Lipsiam floruit, auctoresque Latinos, ac peruetustos illos, ab iniuria temporum conseruauit. In his laudat antiquissimum Sallustii codicem Schurzfleischius, quem usurpauit Georg. Fabricius, ab eo accepit Ioannes Riuius, Atthendoriensis s). Superstitem fuisse tempore Brotusii, ipse hic meminit in annalibus Merseburgicis. Rein. Reineccius primus quidem Francofurti CIϽ IϽ LXXX (praefatio habet annum undeoctogesimum) edidit, sed copia ipsius codicis primi, et antiquitate optimi, facta ei non est. Nam, descriptum, ex bibliotheca Augusti septemuirili Saxonica, communicauit cum eo quidem Petrus Albinus, Historicus Saxonicus, multis in Germaniam, nominatim Saxoniam, meritis clarissimus, sed tamen non ipsum Ditmari fuisse Dresenensem illum, probat Godofr. Gu.

 Leib-

r) p. CCCC XXIX T. I Leibn.
s) Schurzfleischius in uita Alberti, p. CLV

Leibnitius, et, *non mutilum tantum, ſed etiam, ubi integer eſt, non emendatiſſimum eſſe, rem ipſam euincere*, docet. Reineccianam ſecutus anno CIↃ IↃ CLXVII eſt Maderus, et obſeruationibus, e regione additis, tum tabula, quae notitiam familiae antiſtitis noſtri complectitur, diſtinxit, atque ex Reineccio ſummam rei, ex auctoris mente, expoſuit breuiter, et ſuam cuique loco ſubiecit. Quo labore ab eis gratiam iniit uterque, quibus non facultas eſt, ipſum hiſtoricum, unius rei cauſa, accuratius perlegendi. Meliorem, quod Reineccius et Maderus optauerunt, nactus codicem God. Gu. Leibnitius eſt, beneficio Danielis Papebrochii, uiri ex ſocietate Ieſu clariſſimi, et, cum multis ſane in locis, quos notauit in prooemio partis primae ſcriptorum Brunſuicenſium, reſtituerit hiſtoriam Ditmari, merito inſcripſit *Ditmarum reſtitutum t)*, in fine partis primae ſcript. Brunſuic., qua edi-

t) V. Leibnitius introd. in P. I num. XXVIII ubi ſimul monet, ne tum quidem integrum futurum fuiſſe Ditmarum, ſiquidem et emendationes illae acceſſiſſent, quas Albinus, edito iam ab Reineccio Ditmaro, communicauit ex eodem codice Dreſdenſi cum Henrico Meibomio, ſeniore. Dreſdenſis illius inſpiciendi codicis ab Antonio VVeckio copiam ſibi factam, memorat Caſp. Sagittarius, ſed, initio quaedam defuiſſe, addit Introduct. in Hiſt. Eccleſ. c. XXIII §. XV pag. IↃLXXXIV cetera adde Meibomium de origine Helmſtadii p. CC XXVII Tomo III. ſcript. et in Chron. Bergenſi, p. CC XCIV

edidit etiam Ditmarum, uarias lectiones simul adiecit, serius obseruatas. Istud tamen exemplum, quod Martisburgi, ipsius Ditmari manuscriptum, olim fuit, uel latet etiamnum, uel iniuria temporis, quia nemo hucusque protulit integrum ante Leibnitium, interiisse existimari debet.

III

Proximum ab Ditmaro collocant auctorem *uitae Henrici Sancti*. De eo ipso autem disputant eruditi. Schurzfleischius contendit, praeconem uitae imperatoris sancti *Nonnosium* fuisse, qui centum et triginta annos post uixerit *u*). Laudant at uitae Henrici II auctorem Vossius, Leibnitius, Reimannus, *Adelboldum*, antistitem Traiectensem. Auctoritate et consiliis plurimum ualuisse apud Henricum, testimonio Sigeberti Gemblacensis, et chronici cuiusdam ueteris Germanici, Trithemiique fide probant Leibnitius et Reimannus. Hinc colligunt, Adelboldum uitam quoque imperatoris exposuisse. Accedit consensus libri ipsius, cuius inscriptio, dubie tamen, eundem praefert Adelboldum. Ipsa inscriptio docuit, olim obscuro, atque omisso auctoris nomine, initio uitam prodiisse. Sed altera dubitandi ratio in promptu est. Edidit namque Canisius uitam Henrici S., edidit Gretserus, edidit nouissime, Leibnitius, atque Adelboldo detulit auctori.

u) De innocentia Cunigundae, §. XX

Dubitat uero Ger. Io. Vossius illam, quae per Canisium et Gretserum edita est, tribuere Adelboldo. Adelboldus obiit CIↃ XXVII at auctor uitae Henrici refert, ab Eugenio III in *Sanctorum* ordinem cooptatum CIↃCLII *Quare*, inquit Vossius, *uel dicere conuenit, uitam hancce a iunioribus esse interpolatam, ut, in aliis plurimis factum, constat, uel putandum, non esse Adelboldi, uel cuiusdam recentioris.* Videtur accedere Gretsero, Nonnosium, monachum, esse auctorem, existimanti *x*). Ceterum, utcunque sit, Adelboldum scripsisse uitam Henrici, dubium non est, utrum uero eadem sit, quam nouissime, attamen nec eam quidem integram, dedit illustris Leibnitius, aliis diiudicandam relinquit Cl. Reimannus, relinquimus nos, nec, quae suspicandi causae sint, enunciare, in animo habemus *y*). Dabimus, si requirantur.

IV

Succedit auctor *uitae Mathildae*, Henrici Aucupis, Germaniae regis, coniugis, quam iussu, quod in prooemio ipse testatur, Henrici S. scripsit, eique, priusquam in uulgus prodiret, emendandam tradidit, ipso autem commentario multa, quae ad originem familiamque Mathildae pertinent, retulit, eiusque

x) de Hist. Lat. L. II c. XLII p. CCCLIX

y) Extat Tomo I Scriptor. Brunsu. num. XXX adde Reimannum Libro II introduct. in Hist. liter. Germ. p. CCCL seq.

iusque merita, quae, conditis coenobiis, maxima sunt, summopere collaudauit. Hinc, quia Saxonum res, primis istis temporibus memorabiles, conseruauit, gentisque familias illustrauit, monumentum istud renouauit Leibnitius, attamen, quia manuscriptum, quod sperauit, impetrare non potuit, opera Ioan. Gamansii, contentus fuit, qui eruerat ex ueteri codice Coloniensi monasterii S. Pantaleonis z). Postea uero, quam ex bibliotheca Guelferbytana MS. codicem accepit, cum hoc ipso contulit, atque in parte tertia script. Brunsuic. omissa addidit a).

V

TANGMARVS, *presbyter*, atque Hildesheimensis ecclesiae *bibliothecarius ac Notarius* initio, *primicerius* eiusdem scholae, quod esse magistri, proximum a *Praeposito* et *Decano*, munus amplissimum, Leibnitius tradit, aetatem ac studia rexit Bernvvardi, uel, ut alii enunciant, Bernardi, antistitis Hildesheimensis, qui propter miracula in diuorum relatus est numerum ab Coelestino III Pontif. R. anno CIϽC XCIII Tum uero uitam eius descripsit Tangmarus, atque uirtutes discipuli olim sui, quas perspectas optime habuit, conseruauit, laudauitque eruditionem, quae eximia fuit, atque Ottoni III imp., probata, cuius, ut ipse testis est Bernvvardus, *au-*

z) Tom. I Script. Brunsu. num. XIII
a) num. XXVI p. IϽCLIII usque IϽCLVII

licus scriba, didascalus et *Primiscrinius* fuit *b*). Legit hanc uitam auctor Chronici Hildesiensis atque ex eo de Bernvvardo multa retulit *c*). Edidit uero Tangmarum Christ. Brovverus, in cuius codice, quem habuit, capite XLII solenne illud, *Explicit*, finem ab Tangmaro impositum, indicauit, sed, alium auctorem antiquum subiecisse, obseruat Leibnitius, uerba, quae ita extant, *Tangmarum de conuersationis S. Bernvvardi sanctitate, gestorum magnificentia et transitu plenissime narrasse.* Neque ex stylo alium, praeter Tangmarum, agnoscit Leibnitius auctorem *d*). Praeterea consentit auctor *Narrationis de Canonisatione S. Bervvardi*, et c. XI librum Tangmari, de uita et miraculis Bernvvardi, adducit testem. Vtcunque sit, existimem, miracula pleraque ab homine, cuius recentior est aetas, addita esse. Integra superest T. I script. Brunsuic.

VI

Refert Vossius, Conradi II aetate, VVVRMANNVM, Constantiensem antistitem, S. Pirminis uitam exposuisse. tum THEODERICVM, S. Albani apud Moguntinos monachum, qui de *S. Benedicti uita et miraculis* exposuit, itemque *de successionibus* Antistitum Moguntinorum *e*).

VII

b) Tangmarus c. V et XLV p. CCCCLXI
c) T. II Leibnit. p. IↃ CC LXXXVI
d) p. CCCC LX Consentit Vossius de Hist. Lat. L. II c. XLIII
e) de Hist. Lat. L. II c. XLIII

VII

MEGINFRIDVS, monachus Fuldensis, quem ad Henrici II aetatem refert Trithemius *f*), ex Trithemio Vossius *g*), coenobii sui historiam ab origine diligenter complexus est, et *abbates singulos, secundum ordinem temporis, sibi ad inuicem succedentes inseruit, et uniuscuiusque gesta breuiter annotauit. eorum quoque coenobiorum, quibus uel monachos ex Fuldensi missos, nouit, uel Abbates pari ratione meminit, quorum et successiones abbatum, et memorabiliora facta interserendo compendiose descripsit.* Quae Trithemii uerba si cum *Cornelii* instituto conferas, quod in *Breuiario Fuldensi* probauit, fere eandem rationem ab hoc adhibitam, animaduertas. Tribuunt eidem uitam *S. Emmeramni*, Canisius et Vossius, et, quia inscriptio libri *praepositum Magdeburgicum* praefert, suspicantur, atque ex temporum consensu colligunt, Fulda Magdeburgum hunc Meginfredum fuisse euocatum *h*).

VIII

S. Godehardi, qui Bernvvardo apud Hildesheimenses successit, pari ratione atque instituto uitam conscripsit VOLFERVS Altahensis monasterii alumnus, Antistitis Godehardi familiaris. Quia rebus Saxonicis lucem affert maxime, ab illustri Leibni-

V 5 tio,

f) Chron. Hirsaug. ad an. cIↃX p. XLVI

g) de Hist. Lat. L. II c. XLII

h) Vossius dicto ante loco.

tio, post Brovverum, tum Bollandum, et Mabillonium, qui recensuerunt, denuo in lucem uita haec edita est *i)*. Vir summus tamen appendicem miraculorum ab homine aeui posterioris confectam, animaduertit *k*). Ceterum istud obseruari meretur, audaculum quendam Arnoldum, suppresso Volferi nomine, sibi tribuisse, aliaque, ut fidem mentiretur tutius, immutasse. Ea re decepit uiros clarissimos, itaque credidit, ac multo labore ex Christoph. Broveri repetiit de Arnoldo, quae pertinent ad Volfherum, Vossius de Historicis Latinis *l*). Fraudem uero deprehenderunt, collato cum Graeciensi MS. *editores* Antvverpienses. Post hos igitur Leibnitius illustris, illorumque industriam collaudauit.

IX

Etsi quidem aetate recentior uideatur auctor *Chronici Quedlinburgensis*, tamen, quia ad auspicia Conradi Salici peruenit, atque de Henrico S. complura in annales retulit, ei hic locum concedimus, licet, ubi ipse substiterit, incertum sit, propterea, quod in fine nonnulla desunt. Exorsus uero est, ut solent aeuo medio, ab orbe condito, sed, quoniam in antiquis uulgaria consectatur, ab Valentiniano I et Valente duntaxat, primordia

i) Parte I Script. Brunſ. num. XXXIV
k) p. IoII
l) de Hist. Lat. L. II c. XLIII

dia exprimendi eius cepit Leibnitius, atque arbitratur, historicum hunc Quedlinburgensem, et, quem in Accessionibus edidit, Chronographum Saxonicum, quod mirifice saepenumero consentiunt, ex eodem horto flores decerpsisse. Vidit id ipsum Chronicon, atque usurpauit Georg. Fabricius, uir in rebus Saxonicis apprime uersatus *m*). Quae ad extremum retulit auctor, indicant, eum inter praecipuos suae aetatis historicos numerandum. Quo propius ad sua tempora accedit, eo copiosior est in rebus diligentius commemorandis, more scriptorum, ex aetate media omnium, qui, condituri historiam uniuersi orbis, ea, quae multis retro temporibus edita sunt, uel penitus ex scriptoribus, qui ante se copiosius tradiderunt, in suos annales transferunt, uel breuiter duntaxat repetunt, et fabulis dubia saepe reddunt, ad sua ubi descendunt tempora, aetatem ipsi prodere uidentur, cum, pluribus quidem uerbis, maiorique copia et apparatu instructi, prodeunt in lucem. Vt bene is de Saxonia mereri queat, qui integrum ab interitu uindicare, atque ea, quae pauca tamen sunt, ut mea tenet opinio, proferre in lucem possit *n*).

X

m) Extat in Tom. II Script. Brunsuic. Leibnit. num. XXIV

n) Vtrum Quedlinburgi supersit, dubito. Nihil animaduertit uir mihi amicissimus, Tob. Eccardus, cum de Bibliothecis urbis florentissimae exponit.

X

Siquidem Trithemio fides habenda ſit, eruditione, maxime linguarum cognitione, reliquos ſuperauit HERMANNVS cognomine CONTRACTVS, ex illuſtri Comitum Veringenſium familia prognatus, Volferadi filius, coenobii, non quidem S. Galli, quae Trithemii, et, quem decepit ille, Io. Piſtorii ſententia olim fuit *o*), ſed Augiae, quod, in inſula lacus Cellenſis ſitum, principe natos loco alebat, alumnus et monachus, ingenio, uirtute et ſpeciminibus clarus. Bertoldus, Conſtantienſis, auctor ſupplementi *Chronologiae* Hermannianae, ad annum, quo deceſſit ille, CIↃ LIV *Herimannus*, inquit, *VVolferadi*, *Comitis fil.*, *ab infantia omnibus membris* contractus, *ſed omnes tunc temporis uiros ſapientia et uirtutibus praecellens*, *in Aleſhuſan, praedio ſuo, defunctus, ac ſepultus eſt p*). Trithemius, qui in elogiis liberalis eſt, Graece, Latine, et Arabice doctiſſimum fuiſſe, docet, atque philoſophum, rhetorem, Aſtronomum, poetam, muſicum, et mathematicum uocat, omnium ſuae aetatis celeberrimum. Hiſtoricum, uel, ut rectius dicunt, *Chronologum* fuiſſe, huc uſque ex Chronico, quod habemus, patet, reticet praeco Trithemius, quo tamen nomine habere debuiſſet

o) Chron. Hirſaugienſi ad an. CIↃ XLVII p. L et de uiris illuſtribus p. CXXXII

p) p. CCCXXXVI Tomo I Vrſtiſ.

ſet in primis. Qui fuerit poeta, ſupra eſt dictum. Philoſophum fuiſſe, et Graecae Arabicaeque linguae peritum, probat ex ipſo teſte auctore, quando is, in prooemio quodam Ariſtotelis confeſſus ipſe eſt, ſe Graecorum atque Arabum libros in Latinum tranſtuliſſe ſermonem. Quae ſimul produnt, Ariſtotelem iam hoc ſeculo in ſcholas Germanorum commigrauiſſe. Scripta eius recenſet Trithemius, ex eo Chriſtianus Vrſtiſius, in his de *Muſica* librum, de *monochordo*, de *Aſtronomia*, de *Compoſitione Aſtrolabii*, deque uſu eius, de *eclipſibus*, de *computo*, de *quadratura circuli*, de *conflictu rhythmimachiae*, de *phyſionomia*, de *uitis plurium ſanctorum*, tum de *ſex aetatibus mundi*. Atque id ipſum *Chronicon* eſt, de quo etiamnum ſuperſtite hic agitur, quod ab orbe condito ad ſua uſque tempora perſecutus eſt, et breuiter ſimpliciterque res, quouis anno geſtas, commemorauit. Quo ipſo fabulas praeteriit, ineptas digreſſiones neglexit, et, quod hinc ſequitur, indicem potius, quam commentarium confecit, maiori, quam alii, quando inutilia diligentius cumulant, commendatione dignus, atque inter principes aeui medii hiſtoricos numerandus. Vnum ei exprobrant Vaſaeus, Voſſius, et Sagittarius, atque, uſu edocti, probant, Bedae totum paene Chronicon deſcripſiſſe. Non uacat nunc, fidem Virorum clariſſimorum, quae plurimum apud

me

me eruditosque omnes ualet, explorare, et contendere utriusque laborem. Saepius prodiit in lucem tum separatim, tum ab Io. Pistorio et Christ. Vrstisio inter scriptores rerum Germanicarum relatum. Repetiit Pistorianum exemplum, quod imperfectum erat, atque ex codice Sangallensi, unde, Gallensem monachum forte dictum, colligit, descriptum, Vrstisius, ex ueteri manuscripto libro, atque in bibliotheca D. Gregorii Hercyniae syluae quondam reperto, et, ut pleniorem accuratioremque nouam, quam curauit, editionem cernerent, e regione Pistorianum retulit, parte prima scriptorum, cui uitam simul Hermanni praemisit. Copia maiore, et numero annorum, superare eam, quam Canisius deinde parte prima Lect. antiquarum dedit, Pistorianam pariter, atque Vrstisianam illam, refert Vossius, attamen *hanc diuersitatem non tam ex eo esse*, arbitratur, *quod Contractus saepius auxerit Chronicon suum, quam, quod monachi nonnulli in priuatum usum compluria adiecerint* q). Addit praeterea,

q) De Hist. Lat. L. II c. XLIV p. CCCLXX seq. Vrstisius p. CCXXX Tomo I Sagittarius cap. IX §. IX qui ex Petro Lambecio refert, in bibliotheca Vindobonensi superesse manuscriptum librum, ab alio quodam usque ad annum cIↄCCCX amplificatum, qui, si eadem breuitate et fide confectus, ederetur, lucem rebus Germanicis allaturus esset. adde ex his Reimannum in Introd. in Hist. liter. Germ. p. CCCLII

terea, superesse in bibliotheca S. Galli libros de uitis *S. Magni* et *S. VViboradae*, Virginis, manuscriptos.

XI

Hermanno succedit non aetate quidem, sed labore, coniunctus BERTOLDVS, *Presbyter Constantiensis et poenitentiarius Apostolicus*, historicus, siquidem animum ab studio partium immunem seruasset, sua laude non defraudandus. Ipse, ad annum CIↃ LXXXIV se, ab Ostiensi Antistite, Pontificis in Germaniam legato, refert, *presbyterum* constitutum, potestatemque accepisse recipiendi eos, qui, defectionis poenitentia ducti, ad sacrorum communionem redire uoluissent. Vnde mirum nemini uideri debet, hominem, tanta religione officii Pontifici obstrictum, uincere non potuisse se ipsum, qui uincere alios didicerat, in proelio et acie, ad Vurceburgum, contra Henricum IV imp., octogesimo sexto anno uersatus. Nam, quicquid de Henrico IV scripsit, ita scripsit, ut Pontifici placeret. Quare fidem ipse suam infirmauit, ab Cuspiniano, Vrstisio, Vossio, Sagittario, pluribus, nec immerito, odii aduersus imperatorem accusatus. Ab obitu Hermanni Contracti, quem cecidisse in annum CIↃ LIV diximus, annales eius usque ad annum CIↃLXVI prosecutus est, et, repetito opere, denuo eosdem, ab anno seculi huius LIII usque ad annum seculi XII primum protulit,

quod

quod Chronicon primum Chr. Vrſtiſius cum Hermanno Contracto plenum et perfectum emiſit, et *appendicis* titulo hiſtoriam Bertoldi diſtinxit, beneficio codicis, quem ſubminiſtrauerat Franciſcus Rechbargerus, tribunus pl. apud Baſileenſes *r*).

XII

HEPIDANNVS, ubi natus fuerit, non patet, in coenobio S. Galli uixiſſe, perſpicuum eſt. Germanis annumerare uix dubito, quia et inter eos uixit, et annalibus ſuis res Germanorum enumerauit. Incipit ab anno IↃCCVIII monachus, non ineruditus quidem ille, attamen, rerum copia parum inſtructus, ad ſcribendum acceſſit. Vt Melch. Goldaſtus obſeruat, in animo habuit, perſequi inſtitutum ad annum CIↃLXXXVII ſed, morte impeditum, deſiiſſe anno CIↃLXII Ipſum Chronicon extat duntaxat uſque ad annum CIↃL quae uſque ad annum CIↃLXXX comparent, pauciſſima ſunt, et ab alio quodam addita exiſtimantur tomo II Goldaſti, qui primus edidit, ab initio. Tribuunt eidem Hepidanno, uel, ut alii ſcribunt, *Hepidamno Computum Eccleſiaſticum*, ſed Gol-

r) Extat Part. I Script. Vrſtiſii, qui et uitam Bertoldi ex ipſo auctore praemiſit, p. CCC XL Inde Ger. Io. Voſſius H. L. Lib. II c. XLVII p. CCCXC Sagittarius dicto ante loco. Trithemius, quod noſſe intereſt, *Bernoldum* uocat, cum de uiris illuſtribus, tum de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. CXXXIII CCLXVI operum.

Goldastus, alium esse eius auctorem, et eiusdem nominis, et aetatis, existimat, tempore et stylo, quibus differt, in hanc sententiam adductus. Nec dicere audet, an *Computus* ad Hepidannum istum pertineat conditorem, quem, iussu Vdalrici, abbatis, uitam VViboradae S. uirginis, et libris quidem duobus, ut Vossius tradit *f*), in Hepidamno, exposuisse, docent. Atque emisit Hepidanni opus de uita S. VViboradae Virginis Goldastus *t*). In prooemio anni meminit CIↃLXXII ex quo coniicit, ab altero illo distinctum esse, Goldastus.

XIII

Henrici IV imp., aequalis fuit LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS, monachus Hirschfeldensis, in dioecesi Moguntina, historicus, ingenio, iudicio, eloquentia, et dictione, quae seculi captum longissime superat, maximopere nobis commendatus. Quae sententia etiam fuit uirorum clarissimorum, Iosephi Scaligeri, Iusti Lipsii, Casp. Barthii, Ger. Io. Vossii, Herm. Conringii, Henr. Meibomii, Casp. Sagittarii, Conr. Sam. Schurzfleischii, aliorumque. Anno CIↃLVIII peregrinationem in terram sanctam, Hierosolymorum urbem inuisurus, instituit, *presbyter* iam tum in coenobio constitutus, sed anno post rediit, nec dissimulat, exiguum inde

X fructum

f) L. III de Hist. Lat. p. IↃCCVII

t) T. I P. II p. CC VII usque CC XXVII

fructum se cepisse. Grauius in monachorum mores animaduertit, eosque in coenobiis Salefeldensi et Sigeburgensi, in laboris societatem admissus, redire ad officium coegit anno CIↃ LXXII *u*). Historiam sui temporis *de Rebus Germanicis* polite luculenteque scripsit, et ea cum primis in annales retulit, quae Henrici IV quem superstitem uidit, memoriam continent, attamen, cum de controuersia inter eum et Gregorium, Pontificem, exponit, odio indulsisse pariter uidetur, Pontificisque causam liberius agit. Vt maiorem propterea gratiam inierit a Baronio, et *candidi scriptoris* elogio fuerit ornatus. Rectius hic pronunciant uiri, nulla iudicandi libidine correpti, atque, ab odio alieni, ueritatem tuentur, qui alios, animaduertunt, fuisse Gregorii mores, quam ab Lamberto celebrantur. Orsus quidem ab orbe condito est, sed in eo laudandus, quod breuius maluerit res, antiquis retro temporibus gestas, complecti, quam fabulis inquinare. Itaque, quo copiosior est in memoria sui seculi conseruanda, eo maiorem ille laudem meretur. Peruenit autem ad annum, seculi XI LXXVII definitque inprimis in electione Rudolphi, quem Henrico IV imp., opponebant regem. His enim uerbis finit, *Nos, more inertis poetae, extremo iam in opere languescentes, ingentisque materiae mole superati, in longum satis, ut uidetur, protra-*

u) p. CLXXXVI

protracto uolumini hic tandem finem imponimus, ut, si cui forte post nos ad describendam reliquam partem huius historiae manum mittere libuerit, ab electione Rudolphi, regis, congruum scribendi exordium faciat. Quae indicant, eum ingrauescente aetate librum hunc confecisse. Sed nec tanta copia, nec elegantia, prosecutus ad seculum XIV uel, si mauis, XV est *monachus Erfordiensis*, quanta coeperat Lambertus. Ex hoc Lamberti commentario Trithemius, *se non parum*, fatetur, *adiutum fuisse*, atque addit, *monasterii sui* (Hirsfeldensis) *Chronicam breuem* quidem, *sed non inutilem composuisse x).* Sed Vossius, *Id*, ait, *uidere nondum licuit y).* Primum qui emiserit, aliter tradit Sagittarius, aliter Reimannus. Sagittarius, ex coenobii Augustiniani, quod Vitembergae florebat; bibliotheca, edidisse, primum sine auctoris nomine Secerium, iussu Philippi Melanchthonis, docet, tum eodem plane modo, cura Ludouici Schardini, Tubingae anno CIↃ IↃ XXX Reimannus Caspari Churreri, quae Tubingae CIↃ IↃ XXV prodiit, laudat, et inter primas refert. Prodiit opera Io. Pistorii, qui prima Scriptorum Germanicorum parte inseruit, Supplementumque

x) Chron. Hirsaugiensi, ad annum CIↃ LVIII p. LIV

y) Hist. Lat. c. XLVII p. CCCLXXXIII seq. qui et plerorumque cl. ante se uirorum collegit iudicia, ex eo Sagittarius, qui plura addidit Introd. in Hist. Eccl. cap. IX §. IX et Reimannus L. II p. CCCLVIII seq.

que omnium primus adiecit. Multo post tempore etiam in repetita Sim. Schardii editione *monachi Herveldensis* nomine exiit, licet auctoris iam tum esset restitutum nomen z. Attamen sine ea appendice, quam edidisset Pistorium, paullo ante est demonstratum.

XIV

Mitius pariter, atque melius, de Henrico IV sentit auctor, qui uitam eius conscripsit, quemque OTBERTVM, uel OBERTVM fuisse, Melch. Goldastus atque Iac. Fr. Reimannus euincere conantur. Scribendi genus superat expectationem lectoris, ut facile dubitare quis possit, barbaro hoc seculo uixisse hunc tam argutae ac politae dictionis auctorem, nisi interdum proderet ingenium seculi aetatemque praeferret. Quo animo scripserit, extrema indicant uerba, quibus fortunam imperatoris deplorauit. *Quae*, ait, *sicut non poterant absque lacrymis a me scribi, sic non poterunt absque lacrymis a te legi.* Qui in edendo eo operam posuerunt, Cl. Reimannus affert, praeter Iustum Reuberum, omnes. Primas defert Io. Auentino, qui ex manuscripto Ratisponensis coenobii, Diuo Emerano sacri, edidit CIↃ IↃ XVIII Repetitam deinde, per Io. Hervagium, et Ortvvinum Gratium, repetiit Reineccius CIↃ-

z) in fine Tomi I Sagittarius Francofurti cum quatuor Chronographis rerum German. anno CIↃ-IↃ LXVI exisse, dicto loco, tradit.

CIↃ IↃ LXXXI Francofurti, at quam serius licet, inierit a Pontificiis gratiam, docent Meibomius et Reimannus. Repetierunt deinde Iust. Reuberus, Goldastus, et Vrstisius dignamque iudicauerunt, quae inter scriptores reliquos, defenderet innocentiam Henrici *a*).

XV

Historiam quidem sacram, maxime sacerdotii Hamburgensis primarii, tradere uoluit ADAMVS BREMENSIS, attamen, ut aeuo medio solenne erat, et usitatum, res extra coetum sacrum gestas attigit, neque aliter potuit, quoniam antistites utramque remp., sacram pariter, ac ciuilem, moderabantur. Henrici IV aetate uixit et scripsit, quod ipse non semel aperuit, et patefecit. *Bremensis* appellatur, non, tanquam ibi natus esset, sed, quia reliquum uitae tempus ibi transegit, muneri sacro praefectus. De patria eius, quam non plane prodidit Adamus, contentio est inter eruditos. Alii Turingum, alii Misnicum, uocant. Henr. Meibomius, auctore Adamo ipso, ex alterutra natione profectum, arbitratur. Tutius esse, ait, dicere, fuisse Misnicum, quia ex ea

 gente,

a) Extat Tomo Reuberiano, et Vrstisii primo. Goldastum inter Apologias pro Henrico retulisse, testis est Reimannus, qui pluribus de Alberto refert p. CCCLVI seq. adde in primis Io. Mollerum in Diatribe Historica ad Helmoldum §. X ubi a Martino Frechto editam, testatur.

gente, speciatim ex Comitibus Vetinensibus, originem habuit Adalbertus, cum quo Adamus Bremam uenit *b*). Quae tamen coniectura an sit firma, enunciare nolo in praesenti. Ex Germania tamen superiori eo profectum, hinc coniicit interpres eius, qui non multo post uixit, quod Adamus, nomina gentilitia ad linguae suae indolem redditurus, saepius obscurauit. Quod uel *Dedonis*, qui Adalberti, Antistitis Hamburgensis erat frater, exemplo conficio, quem *Decium* nominat, ab Madero propterea reprehensus. Se Adalberti auspicio, anno CIↃ LXVII ut calculum subduxit Maderus, non CIↃ CXXVII ut perperam in Vossio operae expresserunt, Bremam uenisse, ipse testis omnium certissimus est *c*). *Matricularium* ecclesiae illius se uocat, quod esse *Canonici* munus, Vossius et Maderus interpretantur, et alias ita nuncupatur. Ludo praefuisse etiam, ex *magistri* titulo, qui ei praemittitur a quibusdam, maxime Helmoldo, suspicantur. Ipsum uero magistri officium non extremum erat, sed summum, quod Geroldi, antistitis Aldenburgensis, qui Vicelino successit, exemplo perspicuum est, quippe qui, Brunsuici in schola eo munere ac titulo clarus Canonici simul officio praeerat, inde ad Aldenburgense sacer-

b) in Vindictis Billinganis, Tomo III Script. Germ. p. XXXVII

c) Lib. III c. V Lib. IV c. XVI.

cerdotium, praesulis nomine, euocabatur *d)*. *Res* potissimum *ecclesiae Hamburgensis*, uti in principio quidem satis declarat, persequendas suscepit, antiquis tabulis et schedis, tum uirorum aetate grauissimorum testimoniis usus. *Aliqua*, scribit in prooemio, *per schedulas dispersa collegi, multa uero de historiis mutuaui* (alii rectius, *mutuatus*, hic reponunt) *et priuilegiis Romanorum, pleraque omnia seniorum, quibus res nota est, traditione didici, testem habens ueritatem, nihil de meo corde propalari, nihil temere definiri, sed omnia, quae positurus sum, certis roborabo testimoniis, ut, si mihi non creditur, saltem auctoritati tribuatur.* Atque hinc, se fabulas remouisse, monet. Caue tamen, ne inter fabulas referas, quae uaticinia uel diuae uirginis, Mariae, uel coelitum quorundam aliorum, complectuntur, cuiusmodi, quia nec aetas media inter commenta numerabat, sed diuina putabat, nec Adamus reiicit, sed fide sua robur eis addit, fabulae nomen, istorum opinione historicorum, amittunt. Incipit uero ab Caroli M. tempore, et Antistites ordine omnes ad suam usque aetatem, numerat, et Liemario, qui Adelboldo successit, inscripsit. Sine odio scripsit, nec inuidiam, quod in prooemio addit, metuit, ne in uita quidem Adelberti, quam ita perscripsit, ut scribere historico ingenuo ei conueniebat. Longiorem eam retulit, quo accuratius habuit

X 4 per-

d) Helmoldus L. I c. LXXIX

perſpectam. Siquidem Helmoldus, Albertus Stadenſis, et Cranzius, eum, ubi ſecuti ſunt, laudaſſent teſtem, ita, uti laudauit Adamus omnes, quos e ſuperiorum temporum memoria acciuit, non tantopere reprehenderentur. Addidit et commentarium, de *Situ Daniae, et reliquarum in ſeptentrionem regionum* perelegantem, quo religionem ac mores populorum ſcite eleganterque exponit, paſſim antiquos ſcriptores Solinum, Macrobium, Oroſium, Lucanum, Martianum, Bedam, Eginhardum, alios nominat, manifeſto indicio, eum legiſſe hiſtoricos ueteres, et in puluere perluſtraſſe. Vt hiſtorici, poetae, Geographi, Theologi, perſonam tueatur. Primum ex codice, in membrana ſcripto ex bibliotheca Sorana protulit M. Andr. Seuerinus Velleius, Friderici II Danorum regis, hiſtoricus, atque ſacerdos Ripenſis, Hafniae CIↃ IↃ LXXIX atque notis, quae obſcura ſunt, illuſtrauit. Tum Erpoldus Lindenbrogius, Velleiana editione cum codice Henric. Ranzouii collata, multa deeſſe, animaduertens, de recudendo cogitabat, atque Lugduni Batauorum CIↃ IↃ XCV literis denuo imprimendum curabat, addita, quae in Velleiano opere deerat, appendice de *Situ Daniae*, et reliquarum in Septentrionem gentium, et *ſcholiis* antiquiſſimi, et Adamo ſupparis ſcriptoris. Atque ita operi ſcriptorum ſeptentrionalium, quod Francoforti CIↃ IↃ-

CIX

cix exiit, comparet. Quae obſeruationes cum in repetita Scriptorum Septentrionalium editione, quae ibidem A. cIɔ Iɔ cxxx iterum prodiit, omiſſae eſſent, ſuccurrebat Ioach. Io. Maderus, ex Lugdunenſi, quam Lindenbrogium curauiſſe, diximus, nouam, ſcholiis reſtitutis, adornabat Helmeſtadii cIɔ Iɔ c-lxx Hoc etiam ſeculo repetiit ſcriptores Lindenbrogianos, uir de re literaria inſigni laude meritus, Io. Alb. Fabricius, et ueteris *ſcholia* interpretis M. Adamo, ut facilius cognoſci poſſent, et ad ſuum quaeque locum referri, ſubiecit, anno cIɔ Iɔ ccvi Hamburgi *e*).

XVI

Henrici IV aetate uixit ECCARDVS cognomine *iunior*, monachus Sangallenſis. Diſtinguendi eo ſunt accuratius Eccardi, quod propinqui etiam fuiſſe uidentur, et in eodem coenobio clari fuerunt. Quinque horum numerantur. *Primus*, quem *Seniorem* uocant, nobili Ionſuiliorum, apud Sueuos, familia natus, *Decanus* fuit, ſummaeque apud omnes, cum propter eruditionem, tum propter me-

 rita

e) Helmoldus L. I c. XIV Chron. Slau. qui, *diſertiſſimo ſtilo* ſcripſiſſe Hamburgenſis eccleſiae res, conſentit. Ger. Io. Voſſius L II c. XLII p. CCCLXXXVI Maderus in prooemio, quod reperiit Cl. Fabricius, Sagittarius, c. XX §. XXVI dicto loco, qui Bartholomaeum Cypraeum, Aimoino tribuentem, refellit, atque ab Velleio primum Adamo reſtitutum refert. Tum ex Alb. Fabricio Caſp. Caluoerius in Appendice Saxon. p. IɔCIX

rita auctoritatis, anno ɪↄcccc lxxvii mortuus. Eius ingenii monumenta refert Goldastus. *Alter*, qui Eccardus *minor* et *iunior*, et Palatinus dicitur, senioris illius ex sorore nepos, eruditione celebris, initio scholae *claustrali* et *Canonicae*, siue *interiori* et *exteriori*, magna cum laude praefuit. Tandem *Portarii Claustralis* officio praepositus, accitus in aulam est Ottonum, imperatorum, alterique, secundo scilicet, a consiliis, alteri, filio quidem, et eius nominis tertio, aetatis et studiorum moderator datus. Discessit e uita ɪↄcccclxvi. *Tertius*, qui pariter *minor* appellatur, alterius consobrinus, senioris illius ex altera sorore itidem nepos. Initio *Diaconus*, post etiam *Decanus* fuit. *Quartus*, qui *iunior* similiter uocatur, hic intelligitur, et auctor est libri de *Casibus Monasterii S. Galli*, siue de Vitis abbatum, quos ab Salomone, ad quem Ratpertus scribendo peruenerat, usque ad Notkerum, in quo desinit, ordine complexus est. Vixit sub Notperto, quod ipse in prooemio memorat, atque de hoc ipso exponere in animo habuit, teste Burcardo, qui coepta perfecit, in prooemio *f*). Sed, praematuro obitu, coniicit Burcardus, impeditum, desiisse. Atque ista, quae conscripsit Eccardus, subiecit Goldastus *g*). Moguntiae, cum uiueret aliquandiu, iussu Aribonis, Archiepiscopi, Vitam

f) Pag. LXI
g) Tom. I pag. XII

Vitam *VValtharii Manufortis*, quam Eccardus ſenior, puer, coeperat, at impolitam reliquerat, emendauit. Carmine etiam *Benedictum librum* confecit, ab Goldaſto coenobio S. Gallae dedicatum. Et *Pſalmum* ex Latina in Germanicam tranſtulit linguam. Obiiſſe ſub Notkero, anno fere CIↃ LXXI imperante Henrico IV Goldaſtus, ex quo haec recenſemus, obſeruat. De Eccardo V ſeu *minimo*, infra dicendi occaſio erit *b*).

XVII

Germanis annumerant MARIANVM SCOTVM plerique, quia in Germania plurimum uitae tempus conſumpſit, atque uirtute, doctrina, ſcriptis, hic monumentum, perinde, ut poſt obitum corporis, nactus eſt. Anno CIↃ XXVIII ut ipſe annotauit, natus, CIↃ LII religioſam uitam delegit, atque, relicta patria, anno LVI ſeculi huius Coloniae monachus factus, et, biennio exacto, inde egreſſus, atque anno undeſexageſimo *preſbyter* conſecratus. Fuldae per annos decem commoratus eſt, Moguntiam anno undeſeptuageſimo demigrauit, ab Sigefrido, antiſtite, eo uocatus, quemadmodum ipſe teſtatur *i*). Ex

b) Libro XII c. V §. VII

i) Trithemius Catalogo Virorum illuſtrium annos Mariani enumerat, ac tradit, duos apud Vbios ac bene quidem fuiſſe, Fuldae duodecim, ſecus atque Marianus ipſe ſcribit. in eo tamen recte conſentit, quando ſubiicit, Moguntiae ſeptendecim, atque ad finem uitae perſtitiſſe. p. CXXXIII

Ex Io. Auentini Annalium quinto libro memorat Vossius, perlustrata Germania, Ratisponae mathesin docuisse, et sacras literas interpretatum. Ex uita discessit anno, ut Dodechinus ait, CIↃ LXXXVI non, ut perperam iterum apud Vossium extat, LXXXVIII Moguntiae tumulo illatus. Inter scripta, quae emisit, principe loco numerantur *Chronicorum libri tres*. Sequitur in eis Cassiodorum, uti Cassiodorus Eusebium, hinc utriusque errores fecit suos. Sed tamen, quae Vossii de eo sententia est, quia sua aetate meliores habuit codices, quam hodie supersint, non pauca ex eo in Eusebio, Cassiodoro, atque Beda, et aliis, possunt emendari *k*). Incipit ab orbe condito, desinit anno CIↃ LXXXIII non LXXXII quae Sigeberti fides ad hunc annum est, quamuis perpauca sint, quae ad extremum comparent. Ipsius Sigeberti uerba, quae ad laudem Mariani pertinent, hic repeto, *Marianus Scotus Chronicam suam, a Christi natiuitate incboatam*, (sed exorsus est ab orbe condito, ut causa subesse uideatur, cur tantum ab Christo nato Mariano tribuat auctori) *usque ad hunc annum* (CIↃ LXXXII) *perduxit, qui erat aetatis suae annus LVI* (mauult pro *quinquagesimo sexto* Vossius *quinquagesimum quartum*, idque librarii festinatione erroris commissum, arbitratur, cum supputatio annorum, quam ab annali Mariani subduxit, quartum et quinquagesimum

k) Lib. II c. XLII p. CCCLXXXIV seq.

mum requirat annum) *multum laborans errorem corrigere de annis Domini, qui inueniuntur in cyclo Dionyſii, altrinſecus autem ſecundum ueritatem Euangelii l*). In cauſa, quae inter Henricum IV imperatorem, et Pontificem agitabatur, non deſerit Pontificis partes. Marianum Dodechinus, abbas S. Dyſibodi, uſque ad annum ciↄcc produxit. Vtrumque edidit Io. Piſtorius prima ſcriptorum Germ. parte. Voſſius ex Briani Tvvynii Antiquitatibus Academiae Oxonienſis repetit, extare in bibliotheca illa optimum codicem Mariani. Quin et ex Pitſaeo addit, Anglum quendam, cuius nomen tamen latet, collegii in eadem Academia Mertonenſis alumnum, opus quoddam contra Marianum confeciſſe, cuius inſcriptio eſſet, *Calculatio de uniuerſali tempore*. Quod ut in lucem proferatur, C. Sagittarius optat.

XVIII

Nomen ſuum inter Henrici IV aduerſarios profeſſus quoque eſt BRVNO, *monachus* Saxo, qui in *hiſtoria belli Saxonici*, quam VVerinhero, Antiſtiti Martiſburgico, inſcripſit, inge-

l) p. IↄCV T. I Piſtor. Cetera uide Sagittarium c. IX §. X ubi eſſe mendam operarum, quiſque animaduertit facile. nam recte anno LXXXVI obiiſſe, docet, ſed, quando, ſcribere deſiiſſe, ſubiicitur anno LXXXVIII facile patet, errorem non auctoris eſſe Sagittarii, ſed librariorum, uel operarum. Plures ibi Sagittarius, qui in eruendo Scoto operam poſuerunt ante Piſtorium, affert. Ex his Reimannus, p. CCCLX ſeq.

ingenium prodidit, et Henrici res maiori odio, quam ſcribendi elegantia enarrauit, quemadmodum plerique, quos inuidiae ſtudium ad pugnam elicuit, ut ſcriptis, cum armis impares eſſent, Gregorii et aſſeclarum impetum iuuarent. Orſus uero Bruno iſte eſt ab anno CIↃ LXXIII impetumque ac pruritum ſcribendi cohibuit citius, quam certamen diuturnum iſtud componeretur, anno CIↃ LXXXII In prooemio, *ſe ueraciter* omnia perſcripturum, pollicetur, ut eo liberius a ueritate recedere poſſet. Succenſet antiſtitibus iis, *qui melius ſciebant pſalmos cantare, quam legiones armatas ad bella diſponere.* Igitur haec uerba indignatio eliciebat, cum uictoriam amiſſam uideret. Vt antiſtites milites requireret, et eos, qui *religione nutriti* eſſent, ut loquitur, tanquam ineptos aſpernaretur *m*). Laudandus, propterea monachus bellicoſus, quod acta et tabulas, quae inter diffidentes prodierunt, diligentius attulit, quam ſententiam ex aequitate pronunciauit. Vt uero facilius Brunonis auctoritas profligaretur, ſubiecit e ueſtigio Marquardus Freherus ex eodem tempore ſuperſtitem *defenſorem Henrici IV* quem *de Vnitate Eccleſiae conſeruanda* auctorem ab Vlrico Hutteno primum ex bibliotheca Fuldenſi editum, alii eſſe Venericum Vercellenſem, alii VValramum, Antiſtitem Naumburgenſem, alii Conradum,

m) p. CXXXVII

radum, Vltraiectensem, arbitrantur *n*). Vir fuit *Apologiae* illius, ut sententiam breuiter, ingenue tamen, pronunciemus, doctior, quam seculi fere conditio ferebat, et Hildebrandianam factionem solide, auctoritate scripturae diuinioris, doctorum in coetu Christianorum sacro antiquissimorum, et ipsomet iure Pontificio, ita prostrauit, ut, quam operi praemisit, inscriptionem optime expeditam dederit, Pontificibus, quod facile intelligi potest, ingratam, atque hinc, temere tamen, neglectam.

XVII

Vitam Gregorii VII, Pontificis, descripsit BENNO, natione Germanus, dignitate in aula Clementis III qui in Gregorii depositi locum surrogatus fuerat Pontifex, Purpuratus, sed eam scribendo a Pontificiis iniit gratiam, quam Bruno iniit a Germanis. Ita diffidia dissociabant animos hominum, maxime religiosi ordinis, ut florenti parti accederent multi, atque Pontificis, ne caput ferirent, quam imperatoris, cuius auctoritas petebatur, gratiam mallent. Alii iram Pontificis excitare, quam iustam deferere causam, ueritatique abnunciare, non dubitabant.

n) Vossius L. II c. XLVII p. CCCLXXXVIII qui pluribus de propugnatore Henrici, quem Freherus opposuit Brunoni, agit, tum Reimannus p. CCCLXII seq.

tabant. Nullum est conuicii genus, quo non suspectum reddere ausus sit Bennonem Baronius, qui in eo omnem ponit operam, ut posteritati persuadeat, odio abreptum, falsa de Gregorio, quae uerissima sunt, tradidisse. Ipsius Baronii calumnias recensuit C. Sagittarius, atque indignationis causas, quas repetere, in causa perspicua, necesse non est, exposuit, eamque in rem Goldasti sententiam, quae non fallit, attulit. *Conuicia*, ut Goldasti uerba habent, *Bellarmini*, *Baronii*, *Gretseri et consimilium furiosorum hominum, flocci nos facimus*, *et eodem loco ponimus*, *quo Anti-Christianorum blasphemias esse habendas*, *Apostoli et sancti Patres praemonuerunt. Si Benno pro Hildebrando in Henricum*, *imp.*, *arma styli sui distrinxisset*, *nemo illo doctior*, *nemo eruditior*, *nemo neruosior*, *nemo orthodoxior*, *nemo καθολικώτερος*, *nemo beatior*, *aut sanctior apud Papanos celebraretur. Nunc*, *quia Christum*, *et unctum eius imperatorem*, *propugnauit*, *indoctus*, *insulsus*, *barbarus*, *et inconditus*, *calumnioso horum iudicio*, *habetur. Quod tanti apud Catbolicos bonos ac laudatos aestimatur*, *quanti fungus putidus.* Itaque istud elogium meruit Benno, quia Gregorii merita, quae alii etiam ingenue patefecerunt, ita celebrauit, ut Ioannis XXIII Theodoricus Niemius, nec mendacia pro ueritate uenditauit. In eo edendo occupatos laudat Sagittarius Ortvvinum Gratium, Matthiam Flacium,

cium, Reineccium, Volffium, et Melch. Goldaftum *o*).

XX

Indicat hoc etiamnum feculo auctor *monachus Brunvvilerenfis*, confeciffe fe *Narrationem de comitibus Palatinis rheni, Erenfrido feu Ezone et Mathilde, eorumque filia B. Richeza, regina Poloniae.* Ad extremum namque mentio fit anni CIↃ LXIII, et, fibi nonnulla relata, docet, ab eis, qui Ezonis et Mathildis aequales fuerunt *p*). Vtrum uero omnia extent, quae ipfe edidit, dicere non licet. Erat autem Mathilde Ottonis II imp., filia, atque, Ezoni nupta, pietati confulere uolebat. Quare utrinque conuenit, condere coenobium ad rhenum inferiorem Brunvvilerenfe. Eadem pietatis caufa monachum induxit, ut grato hoc hiftoriae monumento, utriufque memoriam conferuaret. Neque uulgarem operam collocauit is in familiis illuftrandis. Vt multam hiftoriae Ottonum, Saxonum, afferat lucem. Quamobrem Scriptoribus Brunfuicenfibus addidit, ex codice Brunvilerenfi, Leibnitius, quem Io. Gamanfius antea cum *Collectoribus* Antvverpienfibus communicauit. Ipfam quoque tabulam familiae Ottonum, Saxon., eruit ex eo, atque notis interdum illuftrauit.

o) Cap. XXVI Introd. in Hift. Eccl. §. XXX p. IↃ C LXXXVII feq. adde Voffium L. II c. XLVI p. CCCLXXXI et Reimannum p. CCCLXIII feq.

p) Cap. II p. CCCXVIII Extat uero ipfa Narratio monachi T. I Script. Leibn. n. XXVII

CAPVT V

Linguam patriam turbidis hisce temporibus emersisse ex sordibus, quibus etiamnum inquinata erat, dicere non licet. Nec enim ita poterat, cum nemo fere, quem reperire potuerim, ex eruditis, de expolienda ea, serio cogitaret. Quamobrem Ioach. Vadianus, ut in rebus seculi decimi demonstratum est, eandem eius rationem ut superiori, probat, usque huc perstitisse. Vnum Eccardum iuniorem animaduertas, *Psalterium* ex lingua Latina in Germanicam, quam *barbaricam* nominat, transtulisse, idque uoluntate imperatricis, cuius nomen non addit, cum Moguntiae uersaretur, ut ea uti Augusta quotidie posset. Quod opus in sua fuisse manu, Melch. Goldastus asseuerat in Vita Eccardi *q)*.

CAPVT VI

Neque tamen cessauit studium omnino comparandorum iuxta ac describendorum librorum, quae cura doctioribus in coenobiorum scholis monachis relinquebatur. Eam in rem laudat Trithemius Haymonem, monachum Hirsaugiensem, qui et sermones aliquot sacros edidit, quos non contemnendae

q) P. I Script. Alemann.

dae eruditionis fuiſſe inde coniicere licet, quod cum Haymonis, antiſtitis Halberſtadienſis, ab quibuſdam commutati ſunt, et *in colligendis reſcribendiſque libris, pro fratrum utilitate magnam diligentiam fecit r*). Fuldae Richardus monachis praecepit, *ut facta clarorum uirorum fideliter deſcriberent, et manuſcripta bibliothecae inferrent ſ*). Apud Corbeienſes Marcvvardus conſtituit, ut quicunque in fratrum ſocietatem admiſſus nouitius librum quendam non inutilem, ſed pretio meliori comparatum, bibliothecae inferret, ut uel ſic demum ſuppellex libraria augeretur. Ac bibliothecae illi praefectus erat Frater Becelinus. Obtulit etiam Ioan. Mantorpius magnae uolumen molis, Arabica lingua confectum, atque ex Vngaria allatum *t*). Sindrammus, abbas monaſterii Gozenſis, quod in Miſnia olim floruit, ſuam itidem multis libris bibliothecam auxit. Eandem in conquirendis eis induſtriam liberalitatemque probauit omnibus Fridericus, Comes Palatinus, qui cum fratribus, Adelberto, ſummo illo Bremenſium praeſule, et Dedone coenobium idem ex patrimonio condidit, et prouentibus reditibuſque ornauit, quemadmodum ex tabulis, ab ipſo monacho, qui primordia

 eius

r) Trithemii uerba ſunt d. l. p LXXXIX

ſ) Breuiarium Fuldenſe, p. CCCC XXXI Syntagmatis Paulini.

t) Annales Corbeienſes ad annos cIↄ XCIV XCV XCVII p. CCCXC Syntagm. Paulin.

eius coenobii in literas retulit, adductis, satis constat. *Bibliothecam*, ait ille, *ex integro, Moralia, Iob, Passionale unum, nonnullosque alios codices digna pecunia comparauit, quos asinis portantibus huc deferri mandauit u)*. Simili industria laborauit in instauranda Bremensium bibliotheca Adelbertus, antistes idem, et Henrici IV iuuenis, imp., pietatem inflexit, ut, praeter cetera ornamenta, quae liberalius suppeditabat, libros etiam transmitteret, inopiaeque librariae opem regiis sumptibus ferret x). Laudat propterea eximie C. S. Schurzfleischius Ordinis Benedictini merita, quae in rem literariam praeclara sunt, quando, in barbarie superiorum temporum, non modo bonarum artium studia ac disciplinas, pro uiribus, sustentarunt, sed etiam, quod laude dignissimum est, uetustos codices, auctoresque doctrinae elegantioris, et monumenta religionis, ad posteros conseruarunt y). Quanquam, crassa rerum ignorantia, scorias eruditorum saepius, et monachorum ineptias, et monumenta nullius ponderis et momenti sollicite conseruarent, et, pietati diligentius consulturi, optima doctrinae melioris negligerent, nitidosque humanitatis doctores postremo certo loco numeroque haberent. Apud Hil-

u) Auctor Fundat. monast. Gozensis ad an. cIↄ LXII p. CC XIII et p. CCX item ad an. cIↄ LV pag. CCXV edit. Mader.

x) Adamus Bremensis L. IV c. IV

y) Disp. XXIX de Alberto III p. CCV

Hildeſheimenſes incendio innumerabilis optimorum librorum copia conflagrauit, quam bibliothecae iacturam dolet Tancmarus, bibliothecae praefectus, uir inter praecipuos, quos ſeculum iſtud uidit ac coluit, hiſtoricos numerandus *z*).

LIBER IX
DE RELIGIONE.
CAPVT I

Quod de Rugiis, ſuperſtitione hoc etiamnum ſeculo impeditis, memoriae prodidit Helmoldus, *maior*, inquiens, *flaminis, quam regis ueneratio apud ipſos eſt a*), id plane in homines, religionis Chriſtianae nomen praeferentes, conuenit, qui, neglecta regum Principumque auctoritate, Pontifices R., et, qui proximi ab eis erant dignitate, antiſtites ſacerdoteſque religioſius uenerabantur. Id agebant ſacrorum adminiſtri, ut eadem religione, qua apud Germanos profana religione olim, ſancti eſſent, et regibus leges darent, Numinis uero cauſam et nomen oſtentarent, rem ſuam egregie curaturi. Eius rei cauſas afferre

z) Tancmarus in Vita S. Bernvvardi, T. I Leibnit. Script. Brunſu. c. XXXVIII p. CCCCLVIII

a) Helmoldus L. I c. VI et XXXVI

afferre possem haud unas, siquidem ipsa, satis manifesta, fidem amplius posceret, qua tuto inniteretur. Omnium praecipua erat, quod respublica Germaniae inclinabat, ecclesiae opes amplificabantur, quum plerique sua omnia, *pro remedio animae suae*, in coenobia conferrent, et *offerre monachis*, *offerre Deo, facultates*, quae solennes scriptorum ex hoc seculo formulae sunt, quam sibi suisque referuare, uiderentur *b*). Non ex aula Imperatorum fere, aut regum, sed Pontificum, petebantur dignitates, quum ius conferendi eas et uindicarent sibi illi, et, eo pertinere maxima antistitum turba, libere uociferaretur. Quo pacto, qui principes ecclesiae esse debebant, et sacris praeesse, reipublicae negotia curabant, nimiaque licentia facti deteriores, in bello etiam classicum canebant, ut hoc maxime seculo *Episcopos milites* mirarentur omnes, et timerent. Quod unius Henrici Leonis, Principis certe, quem magnitudo animi, et consilii prudentia commendabant, exemplo palam est, quippe quem alienis intuebantur oculis inuidi isti ecclesiae *pastores*, eique perniciem, quocunque modo poterant, nefarie concitabant. Graues ac fide digni testes sunt Helmoldus et Arnoldus, inuidiamque tot antistitum, qua persequebantur Henricum, indigne ferunt, et explodunt. Maxime inuehitur in implacabile istud

b) Trithemius l. c. p. CXV

iſtud odium Arnoldus, atque hos *milites ſacros* potentiam Principum debilitare, non rei Chriſtianae, quod debuerant, commodum reſpicere, et ſalutem hominum curare, uehementer queritur: *Numquid*, inquiens, *per paſtores eccleſiae et ſummos pontifices poſſunt uenire ſcandala? Ipſi enim populum Dei ad terram promiſſionis, ut olim Moyſes, per huius ſeculi uaſtam ſolitudinem ducere uidentur, ſed utinam eum uia regia ducant, ita, ut non coecutiendo ambo in foueam cadant. Quid ergo, reprehendemus eos? Abſit. Sed geminis gladiis cinctos uidemus, uno ſpirituali, altero materiali.* (ciuili, quo magiſtratus utitur ad coercendos ſceleratos homines, quod ex uerbis, quae ſequuntur, patet.) *Sed ſpirituali plus utendum fuerat, materiali uero minus, contra eos tamen, qui excommunicationis ſententiam minus formidant.* Indignationem, quae ſubiicit, exprimunt, *Nunc autem, ad oſtendendam mundanae gloriae potentiam, plus utuntur materiali, quam ſpirituali, et in hoc, arbitrantes, ſe obſequium praeſtare Deo, ſaepe minus proficiunt.* Quibus et item ſequentibus intelligitur, eos Epiſcopos, non uerbis, uti quidem fieri par erat, ſed manibus, et indigno ſane modo, Dei gloriam, quae cauſa belli nefarii erat, propugnaſſe *c*). Plane eam in ſententiam Gerar-

Y 4 dus,

c) Chron. Slau. l. II c. XXVIII Pari et iuſta indignatione perſequitur ſacerdotum mores deprauatos, et praeſulum, qui reuerentiam ſibi poſcerent, dicendo, *Nolite tangere Chriſtos meos.* Sed, *quam recte*, ait, *pro ipſis eſſent, ſi iſtis uiuendo non*

dus, Praepositus Stederburgensis, qui eiusdem aetatis fuit, scribit, Antistitem Moguntinum, non urbis, Brunsuici, obsidionem, sed ruinam regionum illarum omnino appetisse, *ut non Episcopus, sed magister militum esse uideretur.* Etenim praeiuit, uiamque et aditum patefecit, atque hostem acerrimum sese prodidit, quod ex Historici indignatione, qua persequitur illum *Episcopum militem*, satis patet in Historia de Henrico Leone, *In cuius*, inquit, *executione iam dictus Moguntinus ita se efficacem exhibuit, ut non iam Episcopus, sed magister militum esse uideretur. Nam non pacem, sed facem: non infulam, sed galeam ostendebat: coemiteriorum et ecclesiarum depraedationem, non consecrationem, exemplo suo, fieri, monstrauit: clauam et fustem, quo feriret, non uirgam, qua regeret, uel sustentaret, manu gerebat: caligis ferreis, quibus conculcaret, non purpureis, in quibus torcular solus calcaret, tibias circumdedit: tunica ferrea, non cilicina induebatur: non mandatis caritatis, sed minis dirae hostilitatis dilatabatur, insidens equo rapido, freno spumantia stringens ora, euagatus ipse effrenis per latos campos perniciosissimae dissolutionis. His armatus, non Regem sequebatur, sed praeibat: non compescebat, sed compelle-*

bat

contradicerent. Nunc autem omnes de iure cleri uolunt esse, sed non de religione. Reliqua, quae pluribus contemtum, nec sine causis, exponunt, omitto, ut breuior sim, attigisse, quae pluribus ibi persequitur, contentus.

bat ad iram. Hactenus Gerardus *d*). Caussam uero, cur Episcopi et res seculi sibi uendicauerint, in Imperatores Saxonas reiiciendam, probat Meibomius in Notis ad Stederbergensem *e*).

CAPVT II

Agitata maxime est hoc seculo controuersia, quae iampridem coeperat, de conferendis in ecclesia muniis, quae Pontifices R. ad se rapiebant, Imperatores sibi asserebant. Atque ipsi praecones aulae R. diffiteri nequeunt, hanc ipsam *multorum in ecclesia malorum seminarium* extitisse *f*), qui simul prodit, Paschalem, Pontif., qui cum Henrico V eius rei causa, manus conserebat, in concilio Trecensi decreuisse, *ut nemo inuestituram, aut dignitatem ecclesiasticam de manu laici susciperet, donec quaestio haec inter eum, et regem, synodali discussione, fuerit terminata.* Sed, neque hoc, neque sequentibus adeo seculis expeditam, et usus docuit, et ipse historicus subindicat, quum, praeter illa, memorat, suo etiamnum seculo esse litem inter *scholasticos, utrum Papa possit deponere Imperatorem?* Quae etsi quidem de inauguratione antistitum non agunt, tamen, communi certamine, auctoritatem imperatorum labefactant, atque ar-

d) p. CCCCXXXI Tom. I Meib.
e) p. CCCCXL
f) Trithemius l. c. p. CV

rogantiam Pontificum produnt, quam sibi sumebant in antistitum defensione contra imperatores, ut etiam his denique imperare audacius, et ius sacrorum illis uiolenta ratione eripere anniterentur. Quae etiam uerba indicio simul sunt, et ipsos iam tum moderatiores prudentioresue inter Pontificios res imperii Germanici non ad Antistites, cuiusmodi et Romanus duntaxat erat, sed ad proceres reipublicae Germanicae pertinere. Nostrae in hoc argumento expectationi satisfecit eruditissimus, et de patria immortali nomine meritus, Henr. Meibomius, nepos, qui, allatis eam in rem probatissimis testimoniis, et literis, quae infirmari non possunt, eundo per secula, quibus, de Antistitum in Ecclesia constitutione, disceptatum fuit imperatores et Pontifices R., maxime inter Henricum V et Paschalem Calixtumque, perfidiae reos hos ipsos agit, et imperatoribus, quae ab antecessoribus concessa fuerant, eripuisse demonstrat, in dissertatione elegantissima de *Iure inuestiturae Episcopalis, Imperatoribus Romanis a Pontificibus per uim adempto* g).

CAPVT III

Eandem fortunam subiisse Henricum V quam pater, supra dictum est. Eadem erat uicissitudinis ratio et causa, iidem exitus malo-

g) p. CLXX seqq. Tomo III Rer. Germ.

malorum, quae Germaniam, calamitoso dissidio, maximopere affligebant. Consecrationis Augustae solennia se peracturum, pollicebatur Paschalis II aduentu obsequiosi, ut putabat, regis laetus. Exigebat hinc ius iurandum, quo se fidem, reuerentiam, obsequium, et officia praestiturum, Pontifici, sponderet. Negabat Henricus, ueteri liberae reip. Germanorum iure innixus, Pontificem armis, ut citius Augustum pronunciaret, compellebat. Sed irritabat crabrones. Omnis antistitum cohors, solenni Romae concilio, ui metuue extortum *priuilegium* esse *prauilegium*, uociferabatur, imperatoris sacrilegi proscriptione rescindendum. Circumspiciebat conspirationis socios Pontifex, in Germania, cum primis Saxonia, ubi, gliscere discordiam inueteratam olim, non ignorabat. Pontificis caussam agebant antistites, maxime Adalbertus Moguntinus, ipsius Henrici V *Cancellarius*, et consiliorum gnarus olim, nunc proditor, factionisque antesignanus. Conatum adiuuabat fortuna, quae, repetita pugna, Henrico aduersa erat, Saxones uero laeto exitu erigebat. Renouabant concilii decretum Gelasius et Calixtus, atque, ut deficerent ab imperatore alii complures, ueteri instituto perficiebant. Imperator, quem pii parentis exemplum sollicitum habebat, metu futurae miseriae, at grauiori regni detrimento, Vormatiae in Vangionibus, cele-

celebri concilio, Lamperdo, Pontificis Calixti II legato, consecrationem Antistitum, quam *inuestituram* uocant, tradebat, pacem recuperaturus. *Priuilegium*, ait Otto Frisingensis, *de hoc ecclesiae scribitur, ac ipsi rursum, ut electi tam Cisalpini, quam Transalpini non prius ordinentur Episcopi, quam regalia de manu eius, per sceptrum suscipiant, scripto confirmatur.* Sed, quod obseruatu dignum, *hoc pro bono pacis sibi soli, et non successoribus datum, dicunt* Romani *b*). Albertus Stadensis *Canonica*, inquit, *auctoritate sancitum est, ne amplius sibi imperialis potestas usurparet inuestire Spiritualia, sed libera electio fieret a Clero et a populo, et sic insigniretur regalibus per sceptrum i*).

CAPVT IV

At enim, siquis alius imperator, Fridericus certe, quod coeperant illi, ius persequebatur, et maiori sibi auctoritate asserebat, ut Pontifices mitigare eum uerbis anniterentur. Quod Eugenii et Adriani literis, quae supersunt, conficimus, quorum alter praecipuos Germaniae Episcopos grauiter tabulis, eam in rem editis, quas Otto Frisingensis, eius reprehensionis non expers, recensuit, coercebat, quod in causa VVicmanni,

b) Chron. L. VII cap. XVI tum Helmoldus L. V Chron. Slau. c. XXXIX et XL

i) ad an. cIↃCXXII p. CCLXIII seq.

manni, quem Magdeburgicum Antistitem Fridericus constituerat, consensissent, Fridericum uero, ut suam illis eligendi libertatem relinqueret, monebat, eumque tamen *a Deo, pro seruanda libertate ecclesiae in eminentiam regni euectum*, beneuole enunciabat *k*). Alter, Adrianus, ingenti confidentia inflatus, scriptis ad Fridericum literis, praeter cetera enunciauerat, *insigne uidelicet coronae beneficium tibi contulimus*. Vehementer commoti ea insolenti formula imperator et regni proceres, legatos purpuratos, cum indignatione, rebus infectis, remittebant, exprobrata Pontifici arrogantia. Adrianus de iniuria, sibi sanctisque legatis illata, literis ad Germaniae antistites conquerebatur uehementius, ignominiam, nisi Fridericum mitigarent, interpretaturus. At, uix aliam antistites Germaniae responsionem dabant, et, commotam fere, legatorum insolentia, remp. uniuersam, significabant. Quare eandem imperatoris Augusti sententiam, qua se *liberam imperii coronam*, secundum Deum, Germaniae optimatibus debere, iterum confirmabat, rescribebant, atque ut bona uerba imperatori irato daret, sapienti consilio monebant *l*). Quare Adrianus, cum, beneficio, et auctoritate Pontificis

k) Otto Frisingensis de Gestis Friderici L. II c. VIII p. CCCCL confer. disp. nostra de VVicmanno.

l) Radeuicus L. I de Rebus Gestis Friderici l. c. X XV XVI p. CCCCLXXXII et LXXXVI seq.

tificis R., coronam sese, negaret, accepisse. Fridericus, missis nunciis, qui prudentiores dicebantur, mitigabat sententiam, et aliam *beneficio* notionem, quam perpetuo obtinuit, pro sua Dictatoris auctoritate quidem, at imprudenti calliditate affingebat. Verba eius, quae risum lectori moueant, haec sunt, *Licet hoc nomen, quod est BENEFICIVM, apud quosdam in alia significatione, quam ex impositione habeat, assumatur, tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, et quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex BONO et FACTO est editum; et dicitur beneficium apud nos* (uidelicet barbaros, non antiquae latinitatis cultores) *non feudum, sed bonum factum. In qua significatione in uniuerso sacrae Scripturae corpore* (itaque demum scriptura sacra linguae Romanae proprietatem imperare dicitur) *inuenitur, ubi ex beneficio Dei, non tanquam ex feudo, sed uelut ex benedictione, et bono facto ipsius, gubernari dicimur et nutriri.* (Lepida et congruens scripturae sacrae interpretatio) *Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene et honorifice imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, ut bonum factum ualeat ab omnibus iudicari.* Reprehendere etiam uideri uult, qui uerbum, *Contulimus*, ex mente sententiaque propria Pontificis R. interpretati sunt, cum pergit, *Per hoc uocabulum, CONTVLIMVS, nihil aliud intelleximus, nisi,*

quod

quod superius dictum est, *IMPOSVIMVS.* Itaque nunciis legatisque tribuendum erat arrogantiae crimen, quod, admisisse ipsummet Pontificem Maximum, erat manifestum *m*). Prodidit interpretis inepti mentem Trithemius, his, quae repeto de industria, uerbis, *At Romani, indignationem et iram imperatoris metuentes, aliam interpretationem huius nominis protulerunt, Beneficium, quasi benefactum intelligi debere, dicentes.* Etenim, causas, quod imperator Fridericus reiecerit legatos Purpuratos, has praecipue fuisse, memorat ille quidem, alteram, quod Innocentius II muro imaginem suam Romae ita pingendam curauerat, ut si, solio insidens, Lothario II complicatis humiliter manibus, coronam, quae inclinare uideretur, imponeret petenti: alteram, quod, non beneficio Pontificis, sed Dei, et procerum imperii, coronam, hanc fere in sententiam, se habere, obuertisset, *Primam uocem regiae electionis Archiepiscopi Moguntini, recognoscimus, regalem consecrationem Archiepiscopo Coloniensi, permittimus. Imperialem consecrationem R. Pontifici assignamus.* Quibus adeo rebus uoluit imperator, *picturas deleri, et scripturas corrigi*, siquidem, concordiam esse saluam utrinque, uellent. Quae imperatoris Friderici uoluntas, *uanitas opinionum*, singulari elogio, quod e regione summae lo-

co

m) Radeuicus de Gestis Friderici I imp. L. I c. XXII f. CCCCXC

co conſpicitur, Trithemio nominatur *n*). Non fallit Trithemius, ſed conſentit Radeuicus, teſtis illorum temporum aequalis, qui tabulas et literas Pontificis Adriani recenſuit, atque hoc ipſo cauſam diffidii in hunc auctorem, ſine partium ſtudio, reiecit *o*). Tametſi quidem pax conſtituta, tamen, ut ſolet inter eos, qui de principatu contendunt, ſimultas illa nouae contentioni cauſam dedit, quum imperator in ſuis ad Pontificem, Adrianum, literis, ut huc uſque factum meminimus, nomen ſuum, et uiciſſim Pontifex ſuum Imperatoris praeponeret, ut etiam Fridericus ei, quem ad manum ſcribae loco habebat, imperaret, *ut in ſcribendis chartis nomen ſuum* (Friderici, imperatoris,) *praeferens, Romani Epiſcopi ſubſecundet*, (poſtponat, et primum in titulo locum ſibi imperatori tribuat,) *et dictionibus ſingularis numeri ipſum alloquatur.* Numero uidelicet unius, non plurium, qui poſterior recens eſſet, et in curia nouiſſime, per cauſam *reuerentiae*, adhibitus. Sic enim pergit Hiſtoricus Radeuicus, cuius haec fide recenſemus, *Qui mos ſcribendi cum antiquitus in uſu eſſet communi, a modernis, ob quandam perſonarum*

n) Chron. Hirſaug. p. CXL

o) Lib. II de Rebus Friderici I c. X p. CCCCLXXX ſeq. ubi de pictura de imp. Lothario, quae in palatio Lateranenſi fuit, agit, et inſcriptionem hanc affert:

Rex uenit ante fores, iurans prius urbis honores,
Poſt homo fit Papae, ſumit, quo dante, coronam.

sonarum reuerentiam et honorem putatur immutatus. Atque ex uerbis, quae sequuntur, haud obscure colligas, et Pontificem usitatam per hoc tempus consuetudinem scribendi iam antea, ut aegre faceret Imperatori, commutasse *p*). Quomodocunque res se habeat, aegre tulit id ipsum *seruus* ille *seruorum Dei*, qui, terrarum orbis Dominus nominari, malle uidebatur. *In literis*, inquit ille, *ad nos missis nomen tuum nostro praeponis, in quo insolentiae, ne dicam arrogantiae, notam incurris. Quid dicam de fidelitate, B. Petro, et nobis, a te promissa et iurata quomodo eum obserues, cum ab iis, qui Dii sunt, et filii excelsi omnes* (Episcopi uidelicet) *homagium requiris* etc. ex quibus, et item sequentibus, quae breuitatis studio omitto, patet, et manifestum est, eundem, coronam proprio *beneficii* nomine, odio et indignatione correptum, nunc demum intelligere maluisse. At merito sibi Imperatori et Domino uindicat Fridericus, uindictaeque caussas, monet, ut cognoscat ille ex annalibus, Purpuratos, siue *Cardinales, non praedicatores, sed praedatores, non pacis corroboratores, sed pecuniae raptores, non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrosores, nominat. Quicquid,* pergit, *Papatus uester regalis habere dignoscitur,* largitione Principum *obtinet. Vnde, cum R. Pontifici scribimus*, iure antiquo, et nomen praeponimus, *et ad iustitiae normam eidem, nobis*

Z

p) Cap. XVIII Lib. II p. IↃ XVIII

bis scribenti, concedimus q). Quam Friderici magnitudinem animi qui secum rectius considerat, adduci nullo potest modo, ut credat, eum, ad pedes Alexandro III proiectum, ueniam admissorum aegre accepisse, postquam pedibus a Pontifice protritus fuisset; cuiusmodi fabulam non aequales huius scriptores, sed XIII denique seculi commenti sunt, et illi quidem, qui gratiam pontificum aucupabantur.

CAPVT V

Itaque Pontifices R. imperatorum fortunis, Antistites Principum reliquorum, maxime etiam in Germania, insidiabantur. Atque horum opes partim in coenobia, partim Romam ipsam deducebantur. Interim, cum nobili ac principe loco nati perspicerent, in monasteriis ad fortunam aditum patefieri, suos eo dimittebant, ut ornati inde redirent, quum Antistites, pro libidine imperandi, leges aliis praescriberent, ac dominarentur. Praeclare laudat uitam monachorum solitariam, et beatam praedicat, Otto Frisingensis, sed durior illa erat et seuerior, quam quidem exigebatur, aut, ab humanae naturae, postquam infirmata est, conditione deprauatis seculi moribus poterat expectari. Qui, de-

q) V. incerti auctoris ad Radeuicum de rebus Friderici I Appendix p. IↃLXII edit. Vrstis.

desertis parentibus, et propinquitate sibi coniunctis, in solitudinem sacram se abderent, mandato Christi, seculo remisisse nuncium dicebantur. Quietem noctu capiebant inquieti, carne abstinebant, aliisque cibis, aqua et pane contenti. Coelibes arcebant etiam concione sacra feminas. Et, ne cui egredi solitudinis fines fas esset, opifices, quoscunque res domestica desiderabat, intra sacros fines alebant. Linguae tantam continentiam praestabant, quantam solitaria uita requirebat, et nutu, non uoce, desiderium indicabant, cum nemine, nisi cum Deo, et ordinis praefecto collocuturi. Vestitu humili prope, obsoleto, et sordido utebantur, qui animum ad superos respicientem proderet. Virtutes confirmabant pietatem, uaticinia et colloquia cum coelitibus robur addebant. *Atque ob hoc*, quae Ottonis Frisingensis fides est, *quamuis laboribus attriti*, *uigiliis exinaniti*, *ieiuniis attenuati sint*, *more cicadarum*, *quae famelicae plus grillire solent*, *totam paene noctem psalmis et hymnis et canticis spiritualibus peruigilem ducunt*. Longum nimis foret, commemorare omnia, quae subiicit de *Anachoretis*, qui, inedia confecti, solitudine animum tantummodo pascebant, atque omnem prorsus hominum consuetudinem fugiebant. Pauca tamen, ut pateat ueritas, affero, *Alii* (qui penitus ab hominum societate seiunxerant se) *uitae suae solum Deum te-*

ſtem habere cupientes, antris, ſpeluncis, parietibus, ſe includunt, tantoque ardentius, coelo ſuſpenſi, ſabbatizare creduntur, quanto amplius omnis humanae ſocietatis extorres inueniuntur. Sunt etiam, qui ſqualores ſolitudinum requirant, beſtiale ferarum conſortium non pertimeſcant, herba paſcuntur, pelle carnis pro operimento utentes, algore noctis, et calore ſolis in modum aetiopum denigrati, uelut tympanum obnigreſcant, atque, terreno habitaculo in terra poſiti, includi dedignantes, tectoque coeli tantum utentes, non ſe tam homines quam coeleſtis curiae contubernales eſſe, demonſtrant." Atque haec omnia, *pro remedio animae*, quae perpetua pietatis formula eſt, faciebant. Sed quanto eſt durior haec uita, tanto pauciores probauerunt *r)*. Alias liberius iuſto uiuebant, ii etiam, qui praefecti erant coenobiis, ut diſciplina reuocari ab exilio diuturno nec poſſet, nec ualeret, quicquid etiam pro recuperanda illa ſuſciperent Henricus V et Lotharius II quorum ille in conuentu Northuſano ſatis habebat, *reuerentiam Chriſti ſacerdotibus dignam exhibuiſſe*, qui uiciſſim, cognito tam triſti ac perturbato reipubl. ſtatu, ſuum *Kyrieeleiſon*, nec ſine emolumento, identidem repetebant *ſ)*. Quo pacto nemini in mentem ueniat mirari; et reliquorum ſacerdotum multitudinem deteriorem

r) Otto Friſingenſ. Chron. Lib. VII c. XXXV p. CLIX ſeq.

ſ) Albertus Stadenſis ad an. clↃCV p. CCLVI

riorem fuisse, nec coerceri potuisse libidinem, tametsi remedia coercendi proponerentur. Godeuoldo, Antistiti Misnensi, sacerdotum suae dioecesis licentiam compressuro, sic repugnatum est ab sacerdotum turba, ut emendandi conatu desistere cogeretur *t*).

CAPVT VI

Homines, qui, spe melioris fortunae decepti, omnia, quae modocunque, per caussam pietatis, proponerentur, sibi persuaderi, facillime patiebantur, tanquam de coelo missos, uti quidem praedicabant hi ipsi, nouos uates, sanctitatis opinione elatos, credebant, quamuis, quae praedicerent illi, tanta rerum temporumque uarietate, prudens quisque per se intelligeret, euentura. Accedebat, ut solet, uaferrimus hominum hostis, qui, per quietem et somnia, quae e re sua, putaret, indicabat, et ipse etiam, sumpta uiri religiosi persona, apparebat, superstitionique, pro uiribus opem auxiliumque ferebat, ac prophetarum fabulas sua auctoritate firmabat *u*). Multi, qui diuinandi arte famam et uenerationem consecuti fuerant, diui-

t) Fabricius ad cIↄ CXXX Annal. Vrbis Misniae Lib. I p. XXIX

u) Helmoldus Chron Slau. Lib. I c. LXXVIII Albertus Stadensis, p. CCLXXXI aliique passim.

diuinitus illati putabantur, ex ſexu etiam ſequiori, Antiſtitum R. et imperatorum ac procerum, in ſe oculos conuertebant, ut literis etiam, in dubia, ſi qua erat, cauſa implorarentur, mox etiam in uaticinandi inertia confirmarentur. Quanta id temporis auctoritas fuerit *Bernardi*, abbatis Clareuallenſis, inter omnes conſtat, qui omnium animos obſequioſa pietate deuinctiſſimos tenebat, maxime imperatorum, ut, eius perſuaſionibus inducti, Pontificibus cederent, et belli ſacri conſilium acciperent, cuius nulla alioquin erat cauſa, quae ad arma euocauerat, praeterquam, quod ab Thracibus et Saracenis terram, olim ſanctam, liberandam, ſine praeuia offenſa, uociferabantur iſti homines religione conſcientiae ſancti, qui conſilia, horumque euentus ſua Pontificumque utilitate metiebantur. Ipſe etiam Bernardus, qui, ut ſacri ordinis dignitatem ſeruaret, Pontificeſque in ambitione retineret, multa inſolentius ſuadebat. Rapiebat in admirationem omnes, memorabili pietate celebris, Veſtalibus Ordinis D. Benedicti *in monte S. Ruperti*, propter Bingam, oppidum, praefecta *Hildegardis*, quam, ex remotiſſimis orbis terrae partibus, reges atque Principes, Antiſtitum elogiis excitati, miſſis certatim legatis, in conſilium adhibebant, rerum, quae gererentur, euentum eminus cognituri. Iniit eorum numerum Trithemius, qui certe

tantus

tantus eſt, ut lectori admirationem moueat tot hominum concurſus, qui tamen ſapere ſibi uiderentur. Ipſe Eugenius, Pontifex R., concilio Treuirenſi, probauit collaudauitque omnibus feminae conatum, et literis, quas Trithemius affert, *ei licentiam auctoritate Apoſtolica* (quae deeſſe uidebatur) *proferendi et ſcribendi, quaecunque per Spiritum S. cognouiſſet*, conceſſit *x*). Subito ac uno ueluti impetu utriuſque Foederis ſcripta recitare potuiſſe, aiunt, cum puella olim nihil, niſi *Pſalmos Dauidis*, atque hos quidem, nobilium more ac conſuetudine, didiciſſet. Libros, quos, diuinitus ad ſcribendum excitata, edidiſſe dicitur, commendauit Bernardus, Abbas Clareualenſis, qui, Germaniam peragrabat, ac uitae ſanctioris ſtudio clarus erat, quum, et in miraculis edendis, et uaticiniis quoque aequare Apoſtolorum diuorum gloriam putaretur. Is, lectis Hildegardis rerum diuinarum commentariis, *Haec ſcripta*, enunciauit, *non ſunt humanitus adinuenta, ſed per S. Spiritum diuinitus inſpirata: nec poteſt ea mortalis homo intelligere, niſi ad Dei ſimilitudinem intus in anima ueraciter fuerit reformatus.* Quamuis, nec tum defuiſſe, conſtet, qui haec *ſomnia muliebria, et deſtructi cerebri deliramenta*, aut *per daemones immiſſa*,

x) Chron. Hirſaug. p. CXXXIII et ſequentibus. confer. Albertus Stadenſis, qui, more ſuo, extollit ſtudium hominesque, ueneratione inertiae captos, laudat in Conrado II p. CCLXXVII ſqq.

missa, crediderint, ipsos inter ordinis sodales, uti fatetur Trithemius, qui uitam Hildegardis omnem persequitur *y*). Haud absimile est, quod de *Elisabethae*, religiosae in coenobio Schonaugiensi, in Treuiris, uirginis, apparitionibus refert idem, quae, spiritu quodam coelesti, pariter, opinione seculi, agitata, quicquid habuit singulare, cum Hildegarde literis, communicauit *z*). Reuera ualetudinis uitio, quod in solitudine aliquid insolens, atque diuinum in animis excitat, laborans Elisabetha, et anxia, obseruationibus indulgebat nimium, diuinandique hinc peritiam coniiciebat. Quin iureiurando, sumpto, quod Christus instituit, epulo sacro, sibi diuinitus, quae praediceret futura, patefacta, asseuerauit *Rupertus*, abbas coenobii, quod in dioecesi Spirensi est, Limpurgensis *a*). Eo usque amentiae processerat superstitio, ut ab inferis, et iam pridem uita functorum cineribus, auxilium peterent, et, miracula uenire, crederent, quos sancte uenerabantur, inferorum certe uersutia decepti. Quorsum pertinent fabulae, quas studiose collegit idem, et in literas retulit, ut solet, Trithemius de Brunone, Abbate Hirsaugiensi, de Spiritu *Hidekin*, et innumerabilia

y) Chron. Hirsaugiensi p. CXXXII

z) dicto loco p. CLI seq.

a) loco dicto p. CXVII seq.

lia huius generis exempla, quae referre nihil noſtra refert *b*).

CAPVT VII

Aperuiſſe ſacerdotum quoque fraudes uidentur *Cathari*, qui alias VValdenſes, Lugdunenſes, Pauperes de Lugduno, Albigenſes, Publicani, Gazari, Boemi, et Picardi, uti quidem obſeruat Hachenbergius, nominantur. Hi etenim *rectores eccleſiarum, praelatos, ſacerdotes, deceptores animarum, et laqueos diaboli*, uitam monaſticam eccleſiae ſentinam uocabant *c*). Praeter hos, quos ita uocat, errores, addit Trithemius, ſeſe mundos, et ſolos eſſe Chriſtianos, ceteros immundos, et haereticos, putaſſe, promiſcuas libidines probaſſe, *Sacramenta* alto ſupercilio contempſiſſe *d*). Vtcunque ſit, certum eſt, eos in Boiis, Triboccis, Vbiis, Thuringis, et alias, multum negotii faceſſiuiſſe ſacerdotibus, ut ferro ac flamma, oppoſitiſque nouis monachorum ordinibus reprimere hos conniterentur *e*).

CAPVT VIII

Quibus adeo rebus facile eſt intellectu, quae fuerit Germaniae in rebus ſacris

Z 5 con-

b) conf. idem p. CXVII CXXIII ſeq.

c) Plura de aliis ex Thuano commemorat Hachenbergius diſp. VIII §. XX

d) Chron. Hirſaug. p. CXLVIII

e) Vid. omnino Hachenbergius l. c.

conditio, quum alias ambitio et luxus dominaretur, alias uanae opiniones et commenta dubios redderent et ſuſpenſos, alias uis Martis perculleret hominum animos, alias ſomnia et diuinandi artes diuinioris doctrinae uim extenuarent. Quantum diſcordia incommodi attulerit ſaniori doctrinae, praeſertim in regionibus illis, quae ad Septentrionem in primis pertinent, ſatis copioſe docent Helmoldus, cuius aetas in haec tempora cecidit, et Arnoldus, qui Helmoldi hiſtoriam ſimili dexteritate perſecutus eſt in Chronico, quod de Slauorum rebus ediderunt. Vterque miſeriam ſuorum temporum, quae eccleſiam grauiter afflixit, lacrymis proſequuntur. Quibus accedit non multo poſt Albertus Stadenſis, cuius modo mentio facta eſt. Laudat ille, ac uerbis quidem, ut conſueuit, Helmoldi, felicitatem eccleſiae, quae, reddita inter Principes et Sacerdotes pace, meliora portendere tempora uiſa fuiſſet. Quae uero quam diuturna fuerit, annales, qui querelis referti ſunt, expromunt. Ipſe item Albertus mox ſubiicit, *In diebus illis non erat eccleſia, uel ſacerdos in uniuerſa gente Lutitiorum, Obotritorum, ſiue Vagirorum, niſi tantum in urbe Lubecke* etc. Recitauit haec ex Helmoldi Chronico Slau. *f*) Helmoldus impedimentorum originem et cauſam repetit ab inteſtinis bellis utriuſque Henrici, patris iuxta

f) L. I c. XLI

iuxta ac filii, qui, aduersariorum insidiis obruti, et fracti, propulsare impetum non poterant, adeoque nec de religione Christiana, inter barbaros renouanda, cogitare. *Horum*, (Slauorum,) inquit *conuersionem Henriciani* (Henrici dicere debebat, IV et V, de quorum aduersa fortuna, qua conflictabantur, supra docuimus) *Caesares, non modice retardarunt, domesticis uidelicet praegrauati g)*. Religioni Christianae nuncium remiserant, praeter ceteros, et Aldenburgenses, nec fidem, semel iterumque datam, seruabant. Quae hominum inconstantia haud dubie causa erat, ut summum istud sacerdotium, quod Aldenburgi erat, Lubecam tandem transferret Henricus Leo *h*).

CAPVT IX

Neque tamen defuerunt, qui propellere barbariem anniterentur, in eis etiam terris, quae, repetita toties defectione, solitudinem referebat. Primas tenent inter eos, qui hic Christianorum fines proferre studebant, *Otto*, Antistes Babenbergensis, et *Vicelinus i*), quorum alter Slauos Pomeranos, qui

g) Chron. Slau. L. I c. XL

h) de quo Helmoldus l. c. c. LII LXV imprimisque LXXXIX quo causas plerasque adducit. conf. Albertus Stadensis ad an. cIↄ C LXII p. CCLXXXIX

i) Natus is Vicelinus erat Hamelae, ditionis Brunsuicensis oppido, quod Helmoldus Quernhamele

qui inter *Oderam et Poloniam* incolebant, primus ad Christi sacra conuertit, eorumque hinc *Apostolus* uocari meritus est, uti Helmoldus refert *k*), alter Falderensi ecclesiae, quae in finibus Holsatiae, iisque Slauis, Vagiris, pro-

nominat, literas didicit Paderbornae, magistro, qui ibi florebat, Hartmanno. Inde accitus Bremam easdem in schola docuit, non sine laude, ipsamque scholam, quae ruinam minabatur, instaurauit. Amore autem et cupiditate maioris industriae, cum discipulo Ditmaro ad Parisios, quorsum Germani excurrebant doctrinae causa, concessit, fama Rudolphi et Anselmi, qui sanctiorem doctrinam interpretabantur, inuitatus. Exacto triennio, in patriam reuersi, uterque rebus sacris operabantur. Ditmarus Bremae *Canonici* officio praefuit, Vicelinus eis, quos praedixi, locis, claruit eloquentia, et meritis, in coetum sacrum maximis, et coenobium Falderense, maximo rei Christianae emolumento, gubernauit, Imperatorum, Antistitum iuxta ac Principum gratia ac liberalitate adiutus, et, renouata apud Aldenburgenses Christi doctrina, praesul ibi ad extremum senior iam constitutus. V Helmoldus, l. I c. XLII XLIV LIII seqq. Bangertus ad eund. c. XLVII p. CXVI itemque c. LXIX LXXV et Bangertus ad hunc loc. tum Vicelini uitam ex Helmoldo et compendio uitae eius n. LIV pariter recensuit T. I n. LIII Leibnitius Script. Brunsv. Breuius, auctore tamen Helmoldo, recenset Albertus Stadensis p. CCLXV Vita Vicelini post Helmoldum recensuerunt poeta apud Lindenbrog. et Leibnitium, tum auctor quidem ex Helmoldo sec. XIV quem Leibnitius T. I n. LIV adiecit. Obiit anno cIↃCLIV Helmold. L. I cap. LXXVIII

k) L. I c. XL et Libro II c. IV

proximis, sita erat, praepositus Nordalbingiam, (Saxoniam), cuius fines supra exposuimus, praeconio uerbi Dei, ope et auxilio Ludolphi, Epponis, Luthmundi, Volcvvardi, aliorumque, laboris sacri comitum ac sociorum, adiutus, implebat, destructis lucis, ritibusque profanis deletis. *Nihil* enim, quae Helmoldi eiusdem sunt uerba, *genus hominum agreste et incultum de religione, nisi nomen tantum Christianitatis, habebant l)*. Per idem tempus, anno scilicet CIↃ CXLII, *Abbatia* Stadensis, cui Albertus ille deinceps praefuit, coepit auspiciis Dudonis, Adekonis et Ricberti, fratrum, cui primos, qui istam ornarent doctrina et uirtute, dedit coenobium Hirschfeldense *m*). Sub finem seculi, anno sigillatim sexto et octogesimo coelestis doctrinae lux in Liuonia explendescere coepit, annitente potissimum Meinhardo, Sigebergensi Canonico, paullo post Antistitis Rigensis dignitate, ob merita in rem sacram in Liuonibus maxima, aucto *n)*. Coeperunt et hoc seculo coenobia, Riddagshusanum, Ilefeldense, de quibus Meibomius, auus, in Chronico Riddagshusano. Vnus ille Henricus Leo poterat praedicare, sine inani laudis studio, *se in terra Slauorum transalbina, in loco*

l) l. c. L. I c. XLVII
m) Albertus ad h. An. p. CCLXXI
n) Arnoldus Lubecens. L. VII Chron. Slau. c. VIII et IX Schurzfleischius de Ordine Ensiferorum, disp. XXII Op. Hist.

loco honoris et uastae solitudinis tres Episcopatus (Altenburgensem, quem Lubecam transtulit, Suerinensem et Raceburgensem *o*,) *construxisse, allodiis, reditibus mensae suae ditauisse p*). Et praeterire nolim, duo antiquissima Saxoniae nostratis, speciatim Misniae, monumenta extrui coepta, mox claruisse, coenobia uidelicet, et *Montis Sereni*, iuxta Halam, et *Cellae*, quod ueteris nomine distingui solet, quorum istud Dedo anno XXIV coepit, et frater Conradus perfecit, hoc Otto, pariter Marchio Misn. cognomine *diues* suasu coniugis, Heduigis CIↃCLXII fundauit, Fridericus etiam Aenobarbus consensu suo approbauit *q*).

CAPVT X

Ex omnibus, quos testes adduximus, istud animaduertimus, uiguisse quodammodo doctrinam et in scholis, et publicis Christianorum

o) Schurzfleischius in disp. de Henr. L. §.XVIII p.XV

p) apud Meib. Chron. Riddagshus. p.VI edit. primae.

q) Vide de illo Montis Sereni, siue Petersbergio, ipsum Chronicon ad hunc an. de Cellensi Christianus Schlegelius in erudito de *Cella ueteri* tractatu, quem magna industria confecit, diplomatibusque, quae et nouae Cellae simul, et *Dobriluci*, antiquissima Lusatiae inferioris coenobia illustrant ab uulgari opera distinxit. Atque plura ab Cl. auctore coenobiorum monumenta, quae pollicetur, sollicite expectamus. Idem simul confirmationis tabulas huius coenobii, a Friderico I datas, primum retulit. p. XIV seq.

norum coetu. Qui in illis explanabant literas sacras, uel rerum gestarum commentarios conficiebant, frequentius auctoritatem sacrae Scripturae in auxilium uocabant, maxime, cum uitam arguebant hominum, ardorem hac ipsa firmabant. Praeclare hoc ipsum probat Arnoldus, Abbas Lubecensis, qui, occasione controuersiae, quam Antistites Vbiorum cum Abbate Fuldensi de principatu in comitiis Moguntinis habuit, grauiter inuehitur in sacerdotum mores, qui uitam religiosorum aliam in coenobiis proderent, quam, quae pristinam melioris disciplinae dignitatem aequare possit. *Quid enim*, ait, *olim erat uita monachorum, nisi puritas innocentiae, semita iustitiae, uiuendi forma, uia paradisi* etc. *r*). Attigit hoc argumentum Iacobus Spiegelius ad Güntherum, poetam eruditum et pium. Sic enim, ubi, *peritum* eundem *sacrorum Bibliorum*, animaduertit, *Vnde coniicimus*, inquit, *etiam coenobitam fuisse, quoniam adhuc aetate illa, quicquid literarum superat, e monasteriis, ceu scholis, quales ueterum, constat, fuisse monachorum coetus, petebantur* *ſ*).

CAPVT XI

Impedire studium Christianae religionis Iudaeos, putabant iterum hoc seculo nonnulli,

r) L. III Chron. Slau. c. IX

ſ) L. VII p. CCCXCIII Tomo Script. rer. Germ. Reuber.

tres, imperante Conrado III communi Germaniae procerum consilio, susceptas, accepimus, unam in Syriam, alteram in Hispaniam, tertiam in Slauorum prouinciam, auctore potissimum Bernardo, qui, sicuti, *apud omnes Galliae ac Germaniae populos, ut Propheta, uel Apostolus habebatur*, uti plane eam in rem scribit Otto Frisingensis *x*), sic Eugenius, Pontifex R., per eum, quae uellet, facile impetrabat. *y*). Bernardus enim ipse Spiram, (Helmoldus Francofurti haec contigisse scribit *z*)) quo Germaniae Principes deliberaturi conuenerant, profectus, omnes ac singulos, qui opem ferre decreuerant, *cruce sacra* distinxit An. CIƆ C XLVI quo exacto in Syriam sunt profecti. Otto Frisingensis ipse crucem illam accepit, et expeditioni interfuit *a*). Sed oraculo Bernardi non respondebat euentus, cum pars militum, in Graecia, positis in montis radicibus, ad flumen, castris, orta tempestate maxima, aquae impetu obruerentur,

A a pars,

x) l. c. de Friderico Aenobarbo, c. XXXIV p. CCCCXXVI

y) Helmoldus L. I. c. LIX

z) L. I c. LIX

a) Otto L. I c. XXXIV XXXV XXXIX ex eoque Lehmannus Chron. Spir. l. c. ubi, quae obscure de miraculis Bernardi Otto memorat, planius exponit, quamuis commentum tot scriptorum dissensus, quem profert ille, satis prodat, adde Ottonem dicto loco, cap. XL seq, ubi literas Bernardi, quibus exhortatus etiam antistites Germaniae est, conseruauit.

pars, mari tranſito, ferro, fame, ſiti, dolo legati regis Graeciae, perirent. *Tanta*, Helmoldus queritur, *fuit clades exercitus, et miſeria inexplicabilis, ut eorum, qui interfuerunt, adhuc hodie* (multis poſt annis, quibus ſuperſtes fuit Helmoldus) *lacrymis deplangatur b)*. Quae clades remigrare domum iuſſit omnes *c*).

II

Altera illa, quae in Hiſpaniam, uel potius Luſitaniam, ſuſcepta eſt, felicior exiſtimatur, qua *Lacebonam*, uel *Oliſiponem* (Vliſſabonam hodie) unde excurſionibus fines Chriſtianorum turbabant Mauri, occuparunt *d*).

III

Tertiae, quae Slauos, ſigillatim Obotritos et Luticios, terreret, interfuerunt Saxoniae Antiſtites omnes, et Duces, quos Helmoldus, ex recentioribus Georg. Fabricius, recenſet, ſed Niclotus calliditate conatum impediebat, et ſimulata pace, domum remittebat omnes. *Taliter illa grandis expeditio cum modico emolumento ſoluta eſt*, ut Helmoldus ait *e*). Poſt hunc Fabricius Orig. Sax. *f*), qui commoda digreſſione, docet, et

b) L. I c. LX

c) Otto Friſing. de rebus geſtis Friderici I L. I c. XLV p. CCCC XXXII c. LVIII p. CCCG XLII c. LIX et LX p. CCCC XLIII ubi miſeriam diſtinctione boni, *quod eſt ſecundum quid, et ſimpliciter*, ſolatur.

d) Helmoldus l. c. c. LXI et Bangertus ad h. l.

e) L. I c. LXV

f) L. V p. Io XLI

et ex his expeditionibus conſtare, *religionem non plantari aut propagari armis*,(uel, quod huc pariter conuenit, auaritia, et pecuniae colligendae ſtudio, cuius accuſabantur in expeditione illa Slauica Saxones in primis *g*), *ſed praedicatione uerbi Dei, neque exercitibus armatis adduci homines ad cognitionem Dei, ſed ductu Spiritus Sancti.* Atque hoc quidem *Praeſules, una militantes docere Principes debuiſſent, niſi ipſi imperita multitudine imperitiores tum fuiſſent.* Addimus tamen, non defuiſſe inter eos, qui probe intelligerent, quorſum reſpicerent ex ſententia Principum expeditiones. Sed magis illi etiam rem ſuam, quam Principum, uel Dei gloriam, curabant.

IV

Memorabilis uero in primis Henrici Leonis eſt, quam anno CIↃ C LXII contra Obotritos, Slauos, ſuſcipiebat, atque, interfecto Nicloto, rege, Obotritorum regiones militibus ſuis, uirtute et genere claris, diſpertiebat, adductiſque in Slauorum locum Flandris, Germaniſque plurimis, ita ferociae finem ſtatuebat, atque in fines ſacros, impetrato conſtituendorum, per Slauorum prouincias, ſacerdotiorum coenobiorumque Friderici, imp., conſenſu, deſcribebat. Slauis illis Vagiris, Polabis, Obotritis, Kyzinis, qui ſupererant, tributa etiam ſacra imperabat, uirtute et potentia inter barbaros terri-

g) Helmoldus l. c. c. LXV et LXVIII

terribilis, ut huic demum uictas manus darent, quas dare toties recusarent. Obotritos ita fugabat, ut, confectis uiribus, praesidium fugae apud Pomeranos et Danos quaererent, sed ne sic quidem inuenirent, quoniam ab iis uenditi Polonis, Sorabis atque Boiemis, nihilo meliorem fortunam experiebantur. Pribislao et Vertislao, Nicloti filiis, Cyzinos et Circipanos, ut haberent, unde uiuerent, relinquebat. In gratiam denique Henrici L. receptus Pribislaus paternas fortunas recuperabat, in his regiones Obotritorum *h*). Simili armorum successu domabat Albertus Vrsus Slauos, quos uocant Orientales, ad Hauelam et Albim, flum., Brizanos, et Stoderanos, eisque paullatim deficientibus sufficiebat Hollandos, Selandos, Flandros, quibus, maris impetum perpessis, Slauorum terras ditionesque dabat colendas. Ex qua commigratione insignia in sacerdotiis Brandenburgensi et Hauelbergensi res Christiana incrementa capiebat. Antiquas nunc Saxonum sedes postliminio occupabant Batauiae coloni. Plane huc conueniunt uerba Helmoldi. *Sed et australe littus*, inquit ille, *Albiae ipso tempore coeperunt incolere Hollandienses aduenae ab urbe Saleueldele* (rectius hic, et finibus, quos historicus definit, conuenientius, *Soltvvedel*, legendum, cupiunt

h) Helmoldus Chron. Slau. L. I c. LXXXVIII et XCII Lib. II c. V VII et Arnoldus L. III c. II et XIV

piunt auctoritate codicum manu ſcriptorum Reiner. Reineccius, Henr. Bangertus, Godefr. Guil. Leibnitius, quanquam Becmannus, per Saleueldele ipſam Soltvedelam intelligi, hic uelit) *omnem terram paluſtrem atque campeſtrem, terram, quae dicitur Balſemerlande* (falſo hic per Balſamorum terram intellexerunt Holſatiam Brotuſius et El. Reuſnerus, meritoque reprehenduntur a Bangerto, qui, hodieque in Marchia ueteri eo nomine regionem illam ſupereſſe, probat, ab flumine Balſamo, qui, in agro collectus, in amnem Vchtam ſe exonerat infra Stendaliam. Neque hiſtoriae aetatis mediae peritus ſtatuit, Holſatiam ad Marchiam Brandenburgicam, et Alberti Vrſi ditionem, pertinuiſſe, neque in Holſatorum fines aduenae Britanni immigraſſe, auſpicio Alberti Vrſi, uſquam leguntur) *et Marſcinerlande ciuitates et oppida multa ualde uſque ad ſaltum Boiemicum poſſederunt Hollandri. Siquidem has terras Saxones olim inhabitaſſe feruntur, tempore ſcilicet Ottonum, ut uideri poteſt in antiquis aggeribus, qui congeſti fuerant ſuper ripas Albiae in terra paluſtri Balſamorum, ſed, praeualentibus poſtmodum Slauis, Saxones occiſi, et terra a Slauis uſque ad noſtra tempora poſſeſſa i).*

i) Helmoldus L. I Chron. Slau. c. LXXXVIII et Bangertus atque Leibnitius ad h. l. Becmannus Chron. Anhalt. P. I. c. IV § X p. XXII

V

Subactis, qui ad mare Balticum incolebant, uirtute Henrici L. Slauis, ad Rugios se conuertebat VVoldemarus, rex Danorum, destructoque et in ignem coniecto Suanteuiti idolo, unde, Slauos ceteros responsa petiisse, Helmoldus auctor est, rem Christianorum sacram instaurabat. Florent Rugii antiquitate generis et gloria maiorum, ac, Taciti memoria, clari, ab hoc uirtutis praecone extero celebrantur *k*). Helmoldus Ranos, itemque Rugianos appellat, et testis uerus, licet aetate aliquando recentior est, tempore Ludouici Germanici, quem Ludouicum II uocat, monachos Corbeienses totam insulam euangelii luce collustrasse, ac, condito S. Vitae, qui et Corbeiensis coenobii patronus tutelaris erat, fano, posteris testatum reliquisse, se prima religionis Christianae sacra auspicato ibi coepisse propagare. Facta autem commutatione rerum, Rugios, pulsis sacerdotibus, ac rei sacrae statoribus Christianis e Sancto Vito *Suanteuiti* idolum confecisse, et simulacris diuino coluisse honore. Tanta numinis reuerentia fuit, ut mercatoribus libere negotiari antea integrum non fuerit, quam libauerint Suanteuito *l*). Eadem repetit Helmoldus *m*), attamen primordia

k) de Mor. Germ. c. XLVII
l) Helmoldus L. I c. VI
m) L. II c. XII

mordia quoque religionis Christianae ad aetatem Ludouici Pii deinde refert. Renouabat igitur VVoldemarus Christi inter Rugios memoriam, conditisque XII templis, sacris melioribus initiandos curabat. Promptus atque facilis erat insulae Princeps, cui nomen Iaremari erat *n*), hunc sequebantur ciues, domino fideles. Conatum interrumpebat nonnihil Henricus Leo, qui, redacta in potestatem Rugiorum insula, partem tributi postulabat a Voldemaro, atque, hoc recusante, Daniae fines Slauorum armis infestabat, non laudando, ac penitus excusando impetu, quo offendebat iterum nouos Christianos, et tributariae religionis speciem praebebat. Quae tamen belli tempestas, sedata mox per Voldemarum, pacem diutius mansuram praenunciabat, cum quidem ille et tributi partem offerret Henrico, et eius filiam Canuto filio suo sponsam peteret ac impetraret. Inde primordia laeti ac prosperi malorum exitus deducit Helmoldus, *Omnis*, inquiens, *Slauorum regio, incipiens ab Egdora, qui est limes regni Danorum, et extenditur inter mare Balticum et Albiam, per longissimos tractus, usque ad Zuerin olim insidiis horrida, et pene deserta, nunc, dante Deo, tota redacta est uelut in unam Saxonum coloniam, et instruuntur illic ciuitates et oppida, multiplicantur ecclesiae, et numerus ministrorum Christi o*). Aa 4 VI

n) Arnoldus Germarum uocat L. III c. IV et VII
o) Lib. II c. XII XIII XIV

VI

Altera, quae in Orientem hoc seculo suscepta expeditio est, incidit in tempora Friderici I Ahenobarbi, qui, tametsi superiore illa non expers periculi fuerat, Clementis tamen III Pontificis R., admonitione excitatus, laborantibus sub Saracenis Christianis subuenire decreuit. Sed, ut fit, signum crucis, atque hoc Numinis diuini gloriam, obuertebant, sui honoris atque commodi non obliti. Quod indicat Arnoldus, cum, instituisse Fridericum iter istud, memorat, ut *bonorem imperii R. exaltaret ille - - bonam consummationem certaminis sui existimans, quod tam pro Deo, quam pro temporali honore decertauerat, si finem dierum suorum tali labore conclusisset p)*. Atque imperatori Constantinopolitano suspicio mouebatur, his sane uerbis, *Scias, si in terram tuam intrauerint* (sacri milites, ex occidente profecti) *te de solio tuo eiicient, et imperium tuum obtinebunt q)*. Ex quibus, et item pluribus, Arnoldi uerbis conficit, et probat Schurzfleischius, Fridericum I et Henricum VI eiusmodi expeditiones pro utilitate imperii R. suscepisse, ut prouincias Asiae in Romanorum redigerent potestatem *r*). Sed tamen et ipse Fridericus, subita morte correptus, maximo omnium luctu, discessit, quod

p) L. III c. XXVIII
q) L. III Chron. Slau. c. XXX
r) de Ecclesiae Vitricis, p. XLII

quod ex Tagenone et Chronographo Reicherſbergenſi Rumelinus auctor aliquis nuper probauit ex inſtituto. Quo ipſo omnium, quantumuis aetatis eiuſdem, ſcriptorum fidem infirmam eſſe, demonſtrauit, quando quidem illi, Fridericum, nimio ſolis aeſtu corpus in flumine Cydno, uel quocunque alio, perluentem, tradunt, fluminis rapiditate ſubmerſum, expiraſſe. In his *Godefridus Colonienſis*, *Otto de S. Blaſio*, *anonymus* quidam, qui interfuit quidem, ſed, quae ad obitum Friderici pertinet, lectio mihi quoque apud Vrſtiſium ſuſpecta et mendoſa uidetur, *Arnoldus Lubecenſis*, *Chronicon montis Sereni*, *Albericus* et recentiores tantum non omnes *ſ*). Patrem mox filius eiuſdem nominis, cum uix ſpe melioris fortunae exercitum, parentis interitu proſtratum, erexiſſet, ſequebatur, febri ſubito correptus. Alii lue, quam ex fame, mox intemperantia, contraxerant, alii aeſtu nimio, alii alio morbi genere interibant *t*).

VII

Tertiam, quae eodem ſpectabat, Henrico

ſ) V. Bibliotheca Halenſis, P. XVIII p. IↃCXCVI ſeq. P. XXIII p. CCLCV

t) Arnoldus, l. c. c. XXXIV in primis auctor anonymus, qui reliqua de Friderici rebus, in Oriente geſtis, perſecutus eſt, ipſe huius expeditionis pariter atque calamitatis, quae afflixit eos, ſocius, qui extat poſt Radeuicum T. I Vrſtiſ. p. IↃLX itemque Otto de S. Blaſio, c. XXXI ſeq.

rico VI Coeleſtinus, Pontifex R., ſollicite ſuadebat. Atque, dum iter ipſe, accitis in ſocietatem belli ſacri compluribus, principe loco natis, parabat, diſſidium in Italia, quod uxor eius concitauerat, animum a propoſito reuocabat *u*). Sed ipſum diſſidium, quod inter militum ſacrorum praefectos in Oriente oriebatur, impediebat, quo minus ex ſententia res gererent, et expeditionem fere, antequam perficerent, finirent, alii alia uia domum reuerterentur. Diſſidii illius cauſas affert Arnoldus Lubecenſis, in quibus libido, arrogantia, quaeſtus, principe numerantur loco *x*). Quae cum ita ſint, non eſt, cur miretur Arnoldus, terram ſanctam necdum tot expeditionibus potuiſſe recuperari.

LIBER X DE LITERIS ELEGANTIORIBVS.

CAPVT I

Quod antiſtites bello, id monachi in coenobiis, ſeueriori quidem et acerba uitae ratione, attamen maiori laude,

u) Arnoldus Lubec. L. V c. I II

x) Lib. V c. V Otto de S. Blaſio in Appendice ad Ottonem Friſing. c. XLII p. CCXX

de, perficiebant, quamuis ad excolenda ingenuarum artium ſtudia plerique magis, quam contenderent, traherentur. Atque diſciplinae liberales iis etiamnum, ueluti eruditorum carcere, tenebantur. Vt contendere poſſis, hoc quoque ſeculum plures tuliſſe, qui, laudem eruditionis confecuti, palmam ſuperioribus dubiam reddidiſſent, praeſertim, cum noua afferrent, Germanis ad hoc uſque tempus ignota. Suffragium nobis fert doctiſſimus humaniſſimuſque IC. Iac. Spiegelius, qui, non adeo infoecunda haec ſecula, demonſtraturus, *Non igitur*, ait, *miraberis, Fridericorum Auguſtorum* (non enim de hoc ſolum ſeculo, ſed ſubſequenti etiam loquitur) *tempora minime infelicia - - multo plures habuiſſe, in ſola etiam Germania Epiſcopos, quorum et uitae innocentiam, et doctrinae praeſtantiam, commendant annales, quam hodie uix tota Latinorum Europa dare poſſit y).* Elogium hoc ſingulare elicuit Spigelio Güntherus, poeta, et antiſtitum quorundam felicitas ingenii, quae in monumentis ſupereſt et floret. Cetera innocentia uitae et morum elegantia plerorumque patebit, ſi conferas, quae adduximus ex Helmoldo pariter, atque Arnoldo. Iſtud tamen inficiari non poſſumus, ex coenobiis, quicquid elegantiae eſt reliquum, fuiſſe profectum. Qui emergere altius, atque diſciplinas accuratius cognoſcere, et plenius

y) ad Lib. VII Guntheri, poetae, p. CCCXCIII

nius intelligere cuperet, ad exteros commeabat, et uel ad Italos uel Gallos adibat. Quod Vicelini exemplo constabat, quem Lutetiam Parisiorum excurrisse, supra est demonstratum. Ac, laude dignos, uel propterea etiam Danos, putat Arnoldus, quod Germanos reliquos imitarentur, liberales artes fouerent, *nobilioresque terrae filios suos non solum ad clerum promouendum, uerum etiam secularibus rebus instituendos Parisios mitterent*, ubi literis, lingua Gallorum, artibus, ac doctrina salutari, imbuerentur *z*). Commemorat monasteria duo insigniora, in quibus florebant literae, Paderbornense, et Bremense, quorum alterum Hartmannus gubernabat, alterum Vicelinus, Hartmanni discipulus, ab ruina, cui erat proximum, defendebat, indignissime habitus, ab eis, *qui bibere in tabernis, spaciari per domos et plateas, uanitatibus obsecundare, qui, insolentias suas argui ab ipso, pertimescebant*, uti plane eam in rem loquitur Helmoldus *a*).

CAPVT II

Non ita multi occurrunt, quos linguarum cognitio et eloquentia hoc seculo immortales fecerunt. Tametsi lingua patria Fridericum, imp., *admodum facundum* praedicet Radeuicus, suo tamen quisque iudicio facile

z) Chron. Slau. L. III c. V
a) L. I Chron. Slau. c. XLV XLVI

facile consequitur, uerborum magis copiam, quam concinnitatem, et apte compositam intelligi orationem. Quanquam nec istud lateat, linguam Germanicam, quod infra demonstrabimus, non contemnenda incrementa, eius maxime auspiciis, cepisse *b*). Latinam melius intellexisse, quam pronunciasse, docet Radeuicus *c*), antiquitatisque studiosum uocat, atque, iis delectatum, hinc coniicimus, quod, Ottonis Frisingensis Chronicon sibi placuisse, ipse auctor est, et res ab se gestas eidem perscribendas committebat. Antiquitatum uero monumenta sine Latinae linguae scientia, quae tum primas tenebat, intelligere non potuit. Neque tamen penitus intellexisse eam, haud una suspicandi caussa est. Nam Otto Frisingensis ei Adriani, Pontificis R. literas, de quibus supra commemorauimus, interpretatus est, teste Radeuico *d*). Ante Ottonem, Reinaldus primas certamine isto eiusdem Pontificis literas *fida satis interpretatione* exposuit, eodem auctore Radeuico *e*). Nisi quis ad summam epistolarum haec trahere conetur, expertem fere eius linguae, uel saltem non accurate ea eruditum, fuisse, liceat suspicari. Eius aetate toga sagaque illustris Antistes Moguntinus,

b) De Gestis eius L. II c. LXXVI p. IↃ LVII
c) L. II c. LXXVI p. IↃ LVII
d) L. I de rebus gestis Friderici c. XXII p. CCCCXC
e) L. I c. X p. CCCCLXXXI

nus, Christianus, natione Turingus, maximam eruditione laudem consecutus est. *Lingua* enim *Latina*, *Romana*, *Gallica*, *Graeca*, *Apulica*, *Lombardica*, *Brabantica et materna*, disertus dicitur, raro huius seculi exemplo, quo, qui una alteraque lingua, dialecto tantum diuersa, poterat loqui, plures gentium linguas tenere putabatur. Magna eius existimatio bello erat, ut ipse Paschalis, Pontifex maximus, eum uereretur, blandisque *Christianissimi Christiani* uerbis suis ad eum literis salutaret *f*).

CAPVT III

Venit hic in mentem recordari acerbi illius belli critici, quod inter Fridericum I imp., et Adrianum, Pontificem, uel propterea oriebatur, quod aegre ferebat, illum compellare imperatorem literis, numero unius, non plurium. Imperator, ut iniuriam ulcisceretur, *Notario* iubebat, ut, praeter cetera, Antistitem R. *dictionibus singularis numeri alloqueretur*. Ac putat ille quidem, qui haec tradidit, Radeuicus perinde, ut Fridericus, imp., morem istum, numero unius compellandi homines, antiquitus duntaxat receptum, consuetudinem uero multitudinis numero alloquendi non item, quum scribit, *Qui mos scribendi cum antiquitus in usu esset communi*,

f) Albertus Stadensis ad An. cIↄ CLXII p. CCXCII

muni, a modernis, ob quandam personarum reuerentiam et honorem putatur immutatus g).

CAPVT IV

Vnum, quem praeterire nefas foret, *Volmarum*, commendat egregie Trithemius, *Natura*, inquiens, *simul et arte facundus erat, et tam Latino, quam patrio sermone, peritissimus, tantaque in utroque eloquentia clarus, ut similem suo tempore inter Sueuos non habuerit. Quicquid dicere uoluisset, tam proprie, tam ornate, tamque concinne dicebat, ut persuadens ad omnia, animos auditorum habere in sua potestate uideretur h).* Sed, quae Trithemii, in efferendis Abbatum illius coenobii, cui etiam praefuit Volmarus, laudibus contentio est, nihil praetermittit, quod ad commendationem conferre quicquam possit. Vt ipse in laudandis aliis affectare laudem eloquentiae uideatur. Nemo autem hoc tempore incrementa ueterum linguae Quiritium polliceri Germanis potuisset, cum *Philosophia Aristotelica*, per Ottonem Frisingensem ex Galliis in Germanorum scholas illata, animos omnium nunc occuparet penitus, et P. Lombardus commentis, quibus saniorem doctrinam inquinabat, omnes admiratione suspensos teneret, reuera elegan-

g) L. II de rebus gestis Friderici I c. XVIII p. Io. XVIII

h) Chron. Hirsaug. p. CXLVIII

gantioribus literis maximo esset impedimento. Ineptiunt uero, et Lombardo, eiusque sociis uim faciunt, quando pronunciant uulgo, et clamitant, horum inficetis loquendi rationibus, quas effutierunt, elegantiores literas iacturam fecisse. Quam tamen non poterant, quia in Germania et alias antea, quam *Scholasticorum* commenta prodierant, iam pridem de pristino remiserant nitore.

CAPVT V

I

Poesis hoc tempore mutata quodammodo est, quando non in medio rhythmum, sed in fine, qui poetis Germanicis mos probatur, diligentius attenderunt, quod Radeuici exemplo deinceps patebit. Inter poetas primo omnium celebris est ECCARDVS, coenobii Vraugiensis, quod seculo XI in dioecesi Vurceburgensi conditum est, Abbas primus, quem Trithemius tot laudibus effert iterum, ut dubium sit, primum ei inter rhetoras, an historicos, uel poetas denique, tribuamus. Vocatur namque ab eo theologus, rhetor, poeta et historicus insignis *i*). Commendat eius *Laternam monachorum*, imitatione Boetiana, confectam. Quae an lucem praeferat poetices cultoribus, dicere non queo, obiisse, tradunt, anno CIↃCXXXVI

II

i) Chron. Hirsaug. p. XCIX et de Viris illustr. C. XXXVI

II

Locum et SIGEBERTO tribuimus hic, monacho GEMBLACENSI, Belgae, uiro diuinis humanisque literis polito, cuius *eruditionem et sapientiam magnae opinionis et famae in tota Gallia Germaniaque fuisse*, Trithemius prodit, atque memorat, scripsisse eum carmine heroo *Vitam Theodorici*, Metensium antistitis, et *passionem Thebaeorum martyrum*, itemque *Ecclesiasten* eodem carminis genere complexum, elegiaco autem Vitam *et passionem S. Luciae Virginis.* Quamuis Vossius Sigeberti ipsius referat uerbis, scripsisse eum vitam Luciae *Alcaico metro k*).

III

Carmine et prosa oratione exercitatus, eodem praecone, dicitur RVDOLPHVS, Abbas monasterii *S. Trudonis* in dioecesi Leodiensi *l*).

IV

Superest CARMEN de VICELINO, antistite

k) dicto loco, et alias, sigillatim de Scripr. Eccl. p. CCLXX natione Gallum uocat. Vossius de Hist. Latin. c. XLVIII p. CCCXCVI ubi pluribus de Sigeberto. Edidit Leibnitius Vitam Theodorici I Metensium Episcopi, per Sigebertum, *Leuitam S. Vincentii* in Gallia, quod Theodoricus condiderat coenobium, oratione prosa descriptam. Hunc Sigebertum non paullo post Henrici III imp., tempus uixisse suspicatur ex anno cIↃ XXX cuius ad extremum meminit Leibnitius. Vt, diuersum fere ab nostro, credamus,

l) Chron. Hirsaug. p. CXI seq.

tiſtite Aldenburgenſium in Vagria primo, quo auctor ea complexus metro eſt, quae Helmoldus oratione ſoluta retulit de Vicelino. Ediderunt id carmen Erpoldus Lindenbrogius in Opere Scriptorum Septentrional., nouiſſime God. Guil. Leibnitius Parte I Script. Brunſ. *m*), et uitam ab alio quodam auctore ſeculi XIV ex Helmoldo pariter collectam addidit. Poeta ille tenui filo pertexuit carmen, et rhythmos diligentius, quam metri leges, ſeruauit.

V

Radeuici etiam iniicienda hic uel propterea mentio eſt, quod non modo poeticen ſe attigiſſe, demonſtrauit, uerum etiam, dum a plebeia huius aeui conſuetudine receſſit, rhythmumque Germanicum, eumque in medio, et in fine, aſciuit, nouam carminis fingendi rationem delegit. Quod patet ex monumento, Ottoni Friſingenſi poſito, ex quo aliquot recitamus. Ita enim legas,

Libram Phoebus ſubiit cum falci tenente
Luci nox praeualuit die decreſcente,
Vita minus habuit morte praeualente
Otto quando corruit raptus, heu repente!
Hic, ſi gradum conſulis, Praeſul dignitate
Formam, decens habilis, iuuenis aetate.
Genus, alta nobilis Regum maieſtate.
Mores, commendabilis mira probitate *n*).

Rece-

m) numero LIII

n) Reliqua omitto, quae ſuperſunt L. II de rebus geſtis Friderici I p. I5XIV ſeq. T. Vrſtiſ.

Receptum iam tum fuit uitae ſummam epigrammate ſepulcrali complecti, cuiuſmodi eſt, quod, Henrico L., Saxoni poſitum, affert Arnoldus Lubecenſis, hoc in loco, quia longum nimis eſt, praetermittendum *o)*.

VI

Reliquis omnibus, qui inde a Caroli M. temporibus inter Germanos poetas eluxerunt, palmam profecto dubiam reddit GVNTHERVS X libris, quibus carmine heroo, Ottonem Friſing. et Radeuicum imitatus, res Friderici, Ahenobarbi, imperatoris bellicoſiſſimi, in Italia, maxime in Inſubribus, geſtas enarrauit. *Ligurinum* ab Liguribus, quia cum Mediolanenſibus, Ligurum praecipua olim ſede, decertauit imperator ille, appellauit. Refellit Baronium Voſſius, qui perpetuo hinc Guntherum nominat Ligurinum. Aetate attigit Henricum VI adeoque uel hinc etiam probandi argumentum petit Spiegelius, diuerſum eſſe ab eo, cuius ad tempora Henrici IV meminit Trithemius *p)*. Natione Belga fuit, monachus Elnonenſis, obſeruante C. Sagittario, qui ſeculi ſui prin-

 cipem,

o) Chron. Slau. L. IV c. XXIV Aliud tumulo Henrici L., qui Brunſuigae eſt, inſcriptum affert H. Meibomius Chron. Riddagſhuſano, T. III p. CCC XLIX in altera, quae primum in forma quarti ordinis exiit, editione, p. XVI Supereſt hoc T. I p. CCCCXXXVI

p) de Script. Eccl. Spigel. p. CCLXXIV

cipem, nec immerito, uocat q). Antehac de patria necquicquam exploratum habuit Spiegelius, praeterquam, quod, Germanum, nonnulli affirmauerunt. Primum ex coenobio quodam Franconiae protractum Conr. Celtes edendum dedit Conr. Peutingero. Notis ſane quam eruditiſſimis illuſtrauit Iac. Spiegelius, quae nitide extant in opere Reuberiano. Multa reſtituit depraquata Spiegelius, ſed reſtitutum denuo, notiſque auctum, collatis quinque libris, emiſit humaniſſimus iureconſultus Conr. Ritterſhuſius, Tubingae A. CIↃ IↃ XVIII Edidit antea iam *Solymarium* Guntherus, quod, ut Spiegelii coniectura non inanis eſt, ſcripſit de rebus, per Chriſtianos, aduerſus Saracenos et Turcas, geſtis in Oriente, atque hinc operi ipſi ab inclyta Hieroſolymorum urbe impoſuit nomen. Meminit eius libri ipſe in principio libri primi poeta noſter. Sed necdum lucem aſpexit r).

CAPVT

q) Introd. in Hiſt. eccleſ. c. XXIV de Script. Imperatorum, §. XXXIV p. IↃ C XXIX

r) Voſſius L. II de Hiſt. Lat. L. II c. LIII p. CCCCXXXI ſeq. Sagittarius d. l. Robertus Monachus de Chriſtianorum Principum contra Saracenos bello, corrupte a poetis *Solyma* uocari, obſeruat L. VIII p. CCLXX tomo Reub. Vnde haud dubie *Solymarium* Guntherus flexit.

CAPVT VI

I

Hiſtoriam coluerunt hoc ſeculo, et conſeruarunt uiri dignitate generis, et muneris ſummi, ingenii excellentia praeclari, ut, tametſi aliae inclinauerint diſciplinae, hiſtoriae tamen regibus principibuſque, in Germania etiam, in pretio eſſet, qui uiros, ut res, memoria dignas, ad poſteros tranſmitterent, hortabantur, et praemia meritis digna conſtituebant. Quibus adeo rebus uitas illuſtrium uirorum exponebant, in perſequendis autem uitis, res, toga ſagoque geſtas, ſingulari opera, ut fieri neceſſe eſt, commemorabant.

II

Siſtimus primo loco CONRADVM, monachum coenobii Bruuilerenſis ordinis D. Benedicti in ditione Colonienſi, qui praeceptoris ſui, meritis miraculiſque *ſancti, VVolffhelmi*, abbatis; uitam ſingulari libro deſcripſit, quem affert, et alia, ab eo edita, commemorat Trithemius ingenii monumenta *ſ)*. Vtrum uero diuerſus ab eo ſit monachus, quem ex eodem coenobio ſuperiori de hiſtoricis capite commemorauimus, dicere non licet.

III

Ad ſeculum XII pertinere *auctorem uitae*

 MEIN-

ſ) de Viris illuſtr. p. CXXXV

MEINVVERCI, ill. Godefr. Gu. Leibnitius arbitratur. Meinvvercus, regia ſtirpe procreatus, cum Ottone III et Henrico S., Auguſtis, eundem abauum agnoſcebat. Cum Henrico S. in Hildeſheimenſium ſchola condiſcipulatu coniunctus, adultior in aulam eius aſcitus, *Capellani* officio fungebatur, poſtea Antiſtitis dignitate Paderbornenſis ornatus. Familiariter cum Henrico II Aug. propinquo uixit, et, quicquid uoluit, ab eo impetrauit. Henricus ioco ſaepe prouocauit Meinvvercum *t*). Multa ſingularia habet auctor uitae, quae memoriam ſeculi XI conſeruant, maxime imperatorum. Supereſſe manuſcriptum Paderbornae apud Abdinghoffenſes *coenobitas*, legimus in Monumentis Pader-

t) Aliquando Miſſarum ſolennia pro parentibus imperatoris. uita functis, celebraturo in uocibus *famulis* et *famulabus* ſyllabam primam *FA* delendam iuſſerat, ut Meinvvercus feſtinanter, imprudenterque, *mulis* et *mulabus* pronunciaret. Henricus, quae facta fuerant, ſimulans rem, antiſtitis perſona indignam, ei exprobrabat, *Ego*, inquiens, *patri meo et matri, non* mulis *et* mulabus *meis miſſam celebrari rogaui.* Sed dolum hic quoque animaduertens, indignius ferebat antiſtes, atque ignominiam fere interpretabatur, et uindictam eius rei cauſa, iudicis ſupremi minabatur, mox attamen reconciliatus, c. LXXXII p. IↃLV Aliud, quod ſimili modo capite ſequenti ſubiicit auctor uitae, ſatis prodit, Henricum Sanctum uaticinia illorum temporum non eo loco habuiſſe, quo haberi cuperent ſacrorum adminiſtri.

Paderbornenſibus illuſtriſ. Ferdinandi antiſtitis *u*). Poſt Brovverum, qui primus edidit, pleniorem retulit Adolphus Ouerhamus, monachus Benedictinus, et notis uindiciiſque diſtinxit. Locupletiorem inſeruit Parte I Script. Brunſuic. Leibnitius, cuius opera, quantum ſuperet Brovveri illam, capite XXXIII, et alias apparet *x*).

IV

Addunt huic EGBERTVM, qui S. Heimeradi, *preſbyteri ac confeſſoris*, uitam perſcripſit, iuſſu, quod in prooemio indicat, Hartvvigi, abbatis, forte Hirſchfeldenſis. Heimeradum ſuperſtitem non uidit, ſed tantummodo, quae ex patris ſui, et aequalium illi, fide habere potuit, retulit, ex quo intelligimus, ad ſeculum XII pertinere Egbertum. Heimeradus Meinvverci aetate uixit, eiuſque impulſu, et conſenſu Kunigundae, Auguſtae, Henrici S. coniugis, uerberibus, quia humili et obſoleto cultu ſanctitatem uitae praeferebat, exceptus eſt hoſpes *y*).

V

Inter hiſtoricos numerari meretur ECCARDVS, ſiue, ut plerunque ſcribunt, *Eggebardus*, cuius ſupra inter poetas mentio facta

u) p. CCIX

x) p. IↃXXVIII uſque ad pag. IↃXXXIX

y) V. Auctor uitae Meinvverci cap. XVIII pag. IↃXXIII Ecbertus conſentit in uita Heimeradi, c. X p. IↃLXVIII T. I Leibn. ubi etiam numero XXXVII extat.

cta eſt. Eundem eſſe, fere putes, quem *magiſtrum Eggehardum* nominat teſtem Helmoldus. Remittit enim lectorem ad librum quintum, quem ad Henricum V imp., ſcripſit, ex eoque de controuerſiis inter imperatores, Henricos atque Pontifices, pluribus conſtare diſſidii cauſas, docet. Ipſa Helmoldi uerba recito, *Qui uero actus eorum* (Henricorum, IV et V, patris ac filii, quos de principatu cum Pontificibus acriter pugnaſſe, ſupra demonſtrauimus) *et terminum ſchiſmatis huius plenius noſſe deſiderat, legat hiſtoriam magiſtri Eggehardi, librum V quem ad Henricum iuniorem* (V intelligit) *deſcribens, bona eius ampliſſima laude extulit, ad malefacta aut omnino tacuit, aut in melius interpretatus eſt z)*. Habemus ſimul ſententiam de Eccardo, eiuſque fide, ut uel maxime, ſupereſſe, optemus, quo de Helmoldi iudicio certius nobis conſtet. Seculo XV adhuc eiuſdem meminit Hermannus Cornerus *a*). Neque alium, quam noſtrum intellexiſſe Helmoldum, hinc etiam coniicere quodammodo licet, quod Ottonem mox laudat, antiſtitem Babenbergenſem, eiuſdem monaſterii, cui abbatem Eccardum praepoſuit primum, Vraugienſis conditorem *b*). Quanquam illuſtr. Leibnitius,

z) Chron. Slau. L. I c. XL

a) Leibnitius Introd. ad T. II Script. Brunſ. num. XLV

b) idem introd. in T I num. XLVI

tius, ab hoc Vraugienſi, quia ſerius uixerit, diſtinguendum, uelit *c*). Ac coniicit Vir ſummus, pleraque in Chronico Antiſtitum Hildeſheimenſium uſque ad Adelogum, antiſtitem XXIII ex Eccardo fere penitus tranſlata, adeoque auctorem illi fuiſſe aequalem *d*). Addit hinc *Catalogum Epiſcoporum Hildeſheimenſium, ſumptum de Chronicis Eggehardi Vragienſis Abbatis ad Egbertum, Corbeienſem abbatem* numero LII, qui catalogus ab aliis deinde auctus eſt.

VI

Ad Henrici V tempora refertur auctor incertus, qui res regum atque imperatorum ab Henrico Aucupe uſque ad Henrici V obitum annotauit, cuius hiſtoriae ſummam monachus aliquis Hamerſlebienſis poſtea confecit. In fine ad annum cIↃ c XXVI haec uerba addita ſunt, *Puto, LAMBERTVS uocatur auctor, monachus Herueldenſis. Si tamen ſit iſte.* Itaque ipſe addubitat. Non adeo magni momenti eſt compendium iſtud, interdum nonnulla interſerit, non ſingularia quidem, ſed, quae alias obuia ſunt, affirmat. Supereſt apud God. Gu. Leibnitium Script. Brunſuic. parte I *e*).

 VII

c) Introd. in T. II Scr. Br. num. XLVI p. LII Io. Trithemius nihil, praeter Laternam monachorum, de quo ſupra diximus, affert, reliqua Eccardi ſcripta ignorauit de Script. illuſtr. p. CXXXVI

d) T. I Scr. Brunſ. p. IↃ CCLXXVIII

e) numero XLIV

VII

Historiae inseruire uoluit cum primis SIGEBERTVS *Gemblacensis*, de quo supra inter poetas diximus. Inter scripta eius commemorat praecipue Trithemius Historiam *de translatione S. Luciae corporis ad ciuitatem Metensem, Vitam S. Guniberti, monachi, fundatoris Gemblacensis, Chronicon* eius, quod nominis fama ac meritis nobilitauit ipse, monasterii, *libellum ad Henricum IV imp., contra eos, qui calumniabantur, missas sacerdotum concubinas habentium. Eiusdem*, nempe imperatoris, *rogatu* ad Treuirenses *de ieiuniis quatuor temporum, de scriptoribus famosis* libellum, et alia plura, ab Trithemio commemorata *f*). Praecipue uero eius memoria superest eximio, quod extat, opere *Chronographiae*, ab anno Christi CCCLXXXI usque ad annum CIƆCXIII Fallitur Trithemius, quando, ad annum tantummodo undecimum perueniſſe, tradit *g*). Atque istud coniicio, esse *uolumen historiarum transacti temporis insigne*, quod eo, quem praediximus, loco ita uocat Trithemius, quamuis et alias *Chronicon* appellet. Chronographiam Sigeberti

f) p. CXII

g) de Script. Eccles. p. CCLXX Quo in loco indignissime fert, Sigebertum, deserta Gregorii VII Pontificis R. causa, pro Henrico IV liberalius liberiusque sententiam pronunciasse. Sed idem est, quod queruntur Pontificiae dignitatis propugnatores reliqui omnes. conf. Reimannus p. CCCLXVI

berti continuauit ANSELMVS, eiusdem monasterii abbas, qui anno CIↃCXXXVII obiit. Desiit Anselmus in anno CIↃCXXXIII uel, ut Vossius docet, CIↃCXXXV Tum, incertum quendam alium, Philip. Labbeus putat, produxisse, quam huc usque credidissent. *Robertum* enim, *abbatem de monte S. Michaelis* praefert editio Pistoriana, usque ad finem, annum quippe CIↃCCX. Coniicit uero, fuisse aliquem religiosum ordinis Praemonstratensis in dioecesi Laudunensi, aut non procul ab ea commoratum *h*). Tum denique Robertum de Thorigneio, de quo C. Sagittarius. Vetustum Sigeberti codicem superfuisse in bibliotheca Gemblacensi, Vossius testatur *i*). Quem cum aliis contulit Aubertus Miraeus, atque Antvverpiae publici iuris fecit An. CIↃIↃCVIII Sed fidem non liberauit, quin, quae ad palatum non fuerant, mutasse, omisisse, demonstrant Thom. Ittigius, Casp. Loescherus, et Iac. Fr. Reimannus. Praeterea memorat ipse, scripsisse se uitam Sigeberti, regis, conditoris *ecclesiae et Abbatiae S. Martini extra ciuitatem Metensem sitae k*), itemque *uitam S. Guiberti*, *res Abbatum Gemblacensium*, et plura, quae Vossius pluribus, auctore Sigeberto ipso, refert, et, Gemblaci superesse aliquot manuscripta, docet *l*).

VIII

h) T. II in Bellarminum de Script. eccles. p. CCCLII
i) L. II c. XLVIII p. CCCXCV
k) V. Surius T. VII
l) L. II c. XLVIII p. CCCXCVI idem de Anselmo

VIII

Henrici V aetate adhuc uitam expoſuit *S. Conradi*, ex illuſtri Guelforum familia, *Conſtantienſis*, tempore Ottonis II imp., *antiſtitis*, MONACHVS aliquis Auguſtanus, quem Godefr. Guil. Leibnitius, nec ſine cauſa, ſuſpicatur eſſe VDALSCALCVM, cuius ſupereſt *Narratio de controuerſiis inter Aermannum, comitem a Vitliſpach, epiſcopum Auguſtanum, et Eginonem, Abbatem S. Vdalrici m*). Scripſiſſe etiam *S. Adalrici*, Auguſtani praeſulis, uitam, atque a patrono ſuo, Praefecto quippe maioris Eccleſiae Auguſtanae, ad Epiſcopi munus prouecto, abbatis honore ornatum, teſtis eſt Goldaſtus *n*). Quantum ex Chronico Auguſtano Sigiſmundi intelligo, Valtherus, antiſtes ille et Vdalſcalci patronus fuit, cui uitam Vdalrici inſcripſit *o*), et abbas Auguſtae Vindelicum in patria urbe, eodem Sigiſmundo teſte, qui cantus ſacros, ab eo confectos, laudat, ac non ſolum, metro, ſed proſa etiam felicem extitiſſe ſcriptorem, refert *p*). Ex illis ſimul colligit Leibnitius, eundem

L. III c. VII p. IↃCCLXXIX Adde Sagittarium Introd. in Hiſt. eccl. c. IX §. XI p. LVI ſeq.

m) edita ab Henr. Caniſio T. II Antiqu. Lect.

n) T. II Rerum Alaman.

o) cap. IX p. IↃXCIX edit. Piſtor.

p) d. l. p. IↃCV Conſentit Caſp. Bruſchius, et Vdalſcalcum docet, ad hoc ſeculum ex nobili de Maiſack familia natum, atque initio S. Vdalrici monachum, poſt abbatem fuiſſe conſtitutum an. CIↃCXXVI Summis eum elogiis ornat, et ſcri-

eundem hunc Vdalſcalcum uitae Conradinae eſſe auctorem. Hermannus ille fauebat imperatori Henrico, a Paſchali II propterea cenſurae ſacrae fulmine petitus. Qua occaſione, opinatur vir illuſtris, Vdalſcalcum, ab Hermanno Auguſta pulſum, Conſtantiae latuiſſe. Conſentiunt fere uerba Vdalſcalci, quae ex Caniſio repetit Voſſius, ut aetatem eius expeditam reddat. Repetemus et hoc loco, et iungemus auctoris, quae extant in Tranſlatione S. Conradi. *Quem*, inquit Vdalſcalcus, *defenſorem ac propugnatorem ſperabamus, utputa gregis dominici paſtorem, Auguſtenſem epiſcopum* (Hermannum) *crudelem ſenſimus perſecutorem. Qui cum a beatae memoriae Papa Paſchali pro diuturna inobedientia in omni Pontificiali officio fuiſſet interdictus, atque a ſucceſſore eius, Gelaſio II nec non a* ſancto adhuc ſuperſtite Papa, Calixto II *abſque ſpe eiuſdem recuperandi officii ſit damnatus, ab ipſa apoſtolica ſede hoc mandatum accepimus, huiuſmodi uitare ut mortiferum.* Tranſlationis Conradinae uerba haec ſunt, *Antiſtes* (Vdalricus, Conſtantienſis, qui eiuſdem cum Calixto II temporis fuit, atque anno ſeculi XII tertio uiceſimo, *tranſlationem* Conradi ſancti curauit *q*)) monachum quendam,

pſiſſe uitas S. Afrae, Vdalrici, Mauritii, Mariae Magdalenae, et utroque genere orationis felicem fuiſſe, uita denique functum an. cIↄ C LI in Chronolog monaſt. Germ. p. CCCC XCVII

q) Sicut auctor tranſlat. refert p. XIII ſeq. Tom. II Leibnit. Script. Brunſ.

dam, uirumque eruditissimum, ex Augusta ciuitate apud se exulantem, *conuocauit, eumque* uitam *saepe dicti patris, tam ex antiquis schedulis, quam ex uetustis relationibus inuestigatam, conscribere postulauit. At ille quidem praeceptum obedienter suscepit, efficaciter autem, ut iussum erat, adimpleuit. Praesul itaque postbaec* eundem monachum, qui postea monasterio B. Afrae penes Vindelicam strenue praefuit, *atque Vice-Dominum suum* Henricum, *qui et ipse quoque Cellae S. Vdalrici* secus Constantiam *sitae,* Praepositus *extitit, uiros inquam tantae legationi ualde idoneos, cum literis pontificalibus ad sedem Apostolicam direxit, cui tunc praeerat Calixtus II r).* Vtriusque testimonium si compares, suspicionem iuuare insignius queas. Vt fere amplius haud dubitem, Vdalscalcum quoque uitae S. Conradi esse auctorem. Accedit huc, quod Leibnitius in indice codicum MS. bibliothecae Caesareae Vindobonensis haec annotauit, *Epistola Vdalrici, Constantiensis Episcopi, ad Calixtum Papam de Canonisatione S. Conradi, Episcopi Constantiensis, et uita eiusdem S. Conradi per* Vdalscalcum, Capellanum, *Vdalrici Episcopi.* Superesse auctoris incerti uitam S. Conradi in monasterio S. Galli, Goldastus memorat, eamque uel illam esse, quam Io. Pistorius *f),* at breuiorem, edidit, uel hanc suam, Leibnitius suspicatur. Quam hic ipse Parte

r) p. XI T. II Leibnit.
f) T. III p. Ib CXXXVIII

Parte II Script. Brunsuic. inseruit, frustra ab Constantiensibus ipsis petitam, impetrauit beneficio Ianningii, societatis Ignatianae ui-i, ab Io. Gamansio ex antiquo codice de-criptam. Coniicit Vossius, eundem esse Vdalscalcum, qui Mariae Magdalenae atque Afrae, ut ex Bruschio docuimus, uitas de-cripsit *t*).

IX

ANNALIVM HILDESIENSIVM con-itorem addimus, qui in imperatoris Lotha-i excessu e uita desiit, et res minime uul-ares annotauit. Ipsi annales non unum, cuti, usitatum ista aetate, saepius monui-ius, praeferunt auctorem. Agnouit id ipsum eibnitius, atque obseruauit, coeptos in oenobio Laureshamensi, continuatos in ıldensi, maxima uero parte absolutos apud ildesheimenses. Multo etiam plura retu-auctor, qui apud Hildesheimenses auxit perfecit, et, quo propius accedit ad sua mpora, eo est copiosior in rebus memora-ibus, neque solum res Saxonicas, sed Ger-ıniae reliquas, industrie explanauit. Quae am caussa est, cur ex Francisci Quercetani riptoribus Francicis repetiit parte I Script. unsu. Vir summus *u*).

X

Magni nominis, et eximiae laudis, theolo-gus

) de Hist. Lat. L. II c. XLVIII
) numero XLV

gus iuxta, atque historicus hoc seculo erat HVGO, *Abbas* in coenobio *D. Victoris* apud Parisios, Diui Bernardi familiaris, ob doctrinam seculi sui Augustinus, cuius et regulas sequebatur, nominatus. De patria eius cum maxime contendunt eruditi, nonnullis eum Gallis, nonnullis uero Belgis, plerisque autem Saxonibus uindicantibus. Gallum dixit Hartmannus Schedelius, Iprensem Io. Mabillonius, Lothariensem Gemeticensis monachus et Robertus, Abbas Montis S. Michaelis. Gemeticensis monachus iam tum dissidentium sententias haud dubie conciliaturus, *Lothariensem sic dictum a confinio Saxoniae*, enunciabat, propterea, quod Lotharingia olim Saxoniae finitima erat, cum haec non Ostphalos tantum, sed et Angrios atque Vestphalos complectebatur, ut bene monet illustris Leibnitius in prooemio ad Albericum. Saxonem uero Hugonem nostrum, ex antiquis pariter ac nouis crediderunt, uel credidisse, et enunciauisse alios, meminerunt Albericus, Io. de S. Victore, Gobelinus Persona, Verner. Roleuinccius, Theodorus Engelhusius, Hermannus Cornerus, Paulus Langius, Henr. Pantaleon, Matth. Flacius, Rob. Bellarminus, Aub. Miraeus, Ger. Io. Vossius, Ferdinandus Vghellus, plures. Non Saxonum modo, sed etiam Blanckenburgicorum ad syluam Hercyniam, Comitum genti uindicauerunt Io. Vinningenstadius, do-

ctissimus

ctiſſimus, et rerum Saxonicarum, cum primis Halberſtadienſium, conſeruator maxime ſolers, quem, ut coniectura tenet, ſecutus eſt Henr. Meibomius ſenior, tum nepos, qui aui ſententiam, quam in Obſeruationibus ad Gobelini Perſonae Aetat. VI Coſmodr. c. LVIII propoſuerat, ex inſtituto, et quidem impulſu illuſtris God. Gu. Leibnitii, qui Mabillonii, quam nouiſſime ediderat, opinionem aperiebat, defendit, et teſtimonia ſcriptorum, qui *Saxonem* uocant, collegit Tomo III Script. Germ. capite extremo. Plura, neque ea uulgaria, addidit Leibnitius in prooemio Acceſſionum Hiſtor. ad Albericum, et T. I Script. Brunſuic. numero XLIII repetiit Io. Georg. Leucfeldius in Antiquitatibus Blanckenburgicorum *x)*. A parentibus in ſcholam coenobii Hamerſlebienſis, in dioeceſi Halberſtadienſi, miſſus, perſtitit, et, literis ſcriptoque clarus, iam tum ingenio ſe felicem probauit. Hinc belli motibus, qui Saxoniam turbabant, imperante Henrico IV diſcedere ex patria coactus eſt, ſed a propinquo ſuo, antiſtite Hildeſheimenſi, Reinhardo, Lutetiam Pariſiorum in coenobium, quod nominis celebritate, et doctrinae gloria nobilitauit, dimiſſus, genus, et patriam uirtute ſua illuſtrauit. Ex uita migraſſe dicitur anno CIↃCXLI uel, ut codex, quem uidit Mabillonius, Aquicinctenſis habet, XLII Multa, quae in

Cc

x) §. XXI ſeq. p. XXX ſeq.

in ſanctiore doctrina edidit ille, recenſet Io. Trithemius de Script. Eccl. *y*), et *Chronicon de Romanis Pontificibus et Imperatoribus*, quod hoc nomine laudat, et nonnulla ex eo retulit, cum primis ad annum CIↃ C XXX Albericus *z*), non attulit ille, inter ea hinc ſcripta referendum, quae Trithemius non uidiſſe exiſtimandus eſt. Multa in rem conuertiſſe ſuam auctorem Chronici Belgici magni, animaduertit Ger. Io. Voſſius, itemque annum, in quo ſubſtitit Hugo, duodequadrageſimum ſeculi, quo uixit, notauit *a*). Lucem necdum aſpexit Hugonis *Chronicon*, ſupereſſe tamen hodieque in Britannia, in bibliotheca Lichfieldenſi, ex Sandio repetiit Iac. Fr. Reimannus *b*).

XI

REINARDVS, primus abbas coenobii, prope Gottingam, Reinhuſani, anno huius ſeculi primo, uti quidem in monumento, quod expreſſit illuſtr. Leibnitius, obiiſſe dicitur, atque hinc primo fere loco numeratur. Atque eodem anno fundationis confirmationem ab Adelberto, antiſtite Moguntino, ſibi datam, ipſe teſtatur *c*), et addit Alberti confirmationem Leibnitius Reinardo, quamuis minus integram, ſed uetuſtate multis in locis conſumptam. Sed non congrue-

re

y) p. CCLXXI ſeq.
z) p. CCLXIII ſeq. Parte II Acceſſ. Hiſt. Leibnit.
a) de Hiſtor. Lat. Lib. II c. XLIX p. CCCC VIII
b) Introd. in Hiſt. lit. Germ. L. II p. CCCLXVII
c) p. IↃCCIV

re inſcriptionem cum Reinardi uerbis, patebit. Repeto de induſtria tumuli inſcriptionem, quae haec eſt, ANNO DOMINI CIↃ. C. I. VI. NON. MAII. OBIIT. VENERABILIS. REINHARDVS. PRIMVS. ABBAS. HVIVS. COENOBII. QVI. QVIESCIT. HIC. ET. CLARVIT. MIRACVLIS. IN. VITA. ET. POST. MORTEM. Datae ſunt antiſtitis Alberti literae III Nonas Decembres An. CIↃ CI In monumento autem ſepulcrali VI Nonas Maias diſceſſiſſe ex uita, fingunt. Quae non conſentiunt. Meminit etiam Reinardus Henrici, Ducis Saxoniae et Baioariae. Siue pater, Henricus Superbus ſit, ſiue filius, Henricus Leo, perinde eſt, et ſufficit ad demonſtrandum, non obiiſſe anno CIↃ C I Quod ſi enim Henricum Superbum intelligit, ille Saxoniae Ducatum ab Lothario anno CIↃ CXXXVI Helmoldo teſte *d*), accepit. Tum meminit ipſius Conradi, regis, eiuſque priuilegii. Nam confirmationis tabulae Conradi III Germ. regis, et Henrici, Baioariae et Saxoniae Ducis, poſt id tempus editae ſunt, et Conradi quidem A. CIↃ CXLIV Henrici Leonis, Ducis, CIↃ C LXVIII Sigillatim Conradus, rex, Reinardum alloquitur. At Cl. Leucfeldius quodammodo ſubdubitare coepit de monumenti auctoritate. Sed cum fide Reinardi conciliari haud poſſunt, et tabulis Henrici, Ducis, in quibus

d) Chron. Slau. Lib. I c. LIV

bus amicissimus Henrico abbas primus Reinardus uocatur *e*). Quare haec aliis expedienda relinquo, attigisse contentus, et demonstrasse, epigramma sepulcrale multis mihi de causis uideri suspectum. Initio Reinardus monachus fuit Helmvardishusensis ordinis D. Benedicti. Eruditum literis accuratius fuisse, hinc patet, quod librarii in describendis aliorum operibus operam collocauit. Edidit opusculum familiae Reinhardi, Antistitis Halberstadiensis XV siue, ut in Leucfeldiano exemplo inscriptio refert, *Genus fundatoris monasterii Reinhusani, fundationis processus et dotatio.* Eo commentario Comitum Blanckenburgensium familiae lucem attulit in primis *f*). Protulerunt in lucem aspectumque Io. Georg. Leucfeldius ex ipso Reinhardi libello manuscripto *g*), et Leibnitius parte I Script. Brunsuic. numero XLIII et Alberti, praesulis Moguntini, Conradi III et Henrici, Ducis, tabulas, de quibus supra diximus, adiecit.

XII

Verum est, quando de Friderici I Aenobarbi, aetate memorat Christoph. Lehmannus, uixisse scriptores eruditos, eiusque auspiciis, ac regia liberalitate, studia literarum incre-

e) Leucfeldius Antiquit. Bursfeldens. c. III p. CXXIX

f) Leucfeld. Antiquit. Halberstad., p. IↃLXXI seq. in primis IↃLXXIX

g) in Antiquitat. Valckenredensibus, in addendis ad caput VIII Partis I p. CCI seq.

incrementa maxima cepisse. Quod prudentia eius et humanitas efficiebat, quae auctoritatem conciliabat, ut reges principesque Christiani omnes eum uererentur et amarent, scriptoresque in aucupanda eius beneuolentia certarent inter sese, atque alii superare alios, in perscribendis rebus, ab eo gestis, studiose anniterentur. Ipse uicissim, praemiis pollicitationibusque incitabat magis, atque in proposito laudis confirmabat *b)*. Principe loco numerandus est OTTO, FRISINGENSIS *Antistes*, filius Leopoldi, Marchionis Orientalis, per quam scriptores huius seculi Austriam intelligunt, et Henrici IV ex Agnete nepos. Erat igitur Otto noster Cunradi III ex matre frater, Friderici Aenobarbi ipsius patruus, ut adeo ipsi nec generis dignitas, nec uirtutis existimatio, deesset, cum et ingenio, et doctrina ualeret. Atque ut hoc ipsum excoleret felicius, multorum, uti saepius est dictum, exemplo Lutetiam Parisiorum proficiscebatur quam tum ornabat nominis gloria *Petrus Lombardus*, maximus stator ille Theologiae Scholasticae *i)*. Hinc secum referebat in patriam Aristotelicam Philosophiam eamque in Germania stabiliebat primus. Radeuicus, qui uitam eius

 de-

b) Spigelius in Notis ad Guntherum, poetam, p. CCLXXVI edit. Reuber. Lehmannus Chron. Spir. L. V c. LV.

i) Otto de S. Blasio in Append. ad Ottonis Chron. c XII p. CCI

descripsit, plane hoc testatur, *Inter Episcopos Alemanniae uel* primus, *uel inter primos habebatur, in tantum, ut praeter sacrae paginae cognitionem, cuius secretis et sententiarum abditis praepollebat* Philosophicorum et Aristotelicorum librorum subtilitatem, in topicis, analyticis, atque elenchis; *fere* primus *nostris finibus apportauerit k*). Sed non eam a posteris iniit gratiam, quam referebat ab Radeuico, et Philosophiae Aristotelicae cultoribus suae aetatis. Ac difficile est, si utilitatem spectes, sententiam pronunciare. Non sua defraudandum laude, putant, Aristotelem, sed, ad illam non accedere, sentiunt, illos uindices, qui cum Aristotele rixas propugnabant. Eruditissimus Reimannus haec placita reiicit *l*), qui certe uel hoc argumento Aristotelis *Logicam* improbat, quod iam tum Abelardus, Gallus, de *Trinitate* disserens, ex ea ineptiebat. Refellit Aristotelem, at, quo ualido et firmo argumento, uideant alii. Non Aristoteli, sed hominibus, nouitatis cupiditate correptis, tribuit Otto ipse, cum, intempesti-

uo

k) Libro II de Rebus gestis Friderici I c. XI p. Io- XII seq. Radeuicus primum Philosophiae Aristotelicae auctorem in Germania uocare subdubitat, et supra accepimus in Hermanno Contracto, iam tum seculo XI famam eius et monumenta hic uiguisse. Quare tamen non obstant, quo minus inter primos Philosophiae illius statores referre Ottonem queamus.

l) L. II Introd. in Hist. Liter. Germ. p. CXXVI C- LIIX sqq. CCCI CCXCVI

uo conatu saniorem, et diuinitus patefactam, doctrinam cum Philosophia commisisse, docet, his uerbis, *Sententiam uocum seu nominum, in naturali tenens facultate, non caute Theologiae admiscuit* etc. *m*). Sed ad ipsa eius monumenta, quae superant, ueniamus. Edidit Chronicon, quod ab orbe condito coeptum, ad sua usque tempora deduxit, constat libris VIII quidem, sed octauo illo quaedam doctrinae diuinioris capita complexus est. Tempora sua, quibus interfuit, aperit ipse ac prodit, cum, ab Henrici V auspiciis regni exorsus, tradit, se multa, quae ex uirorum probatissimorum fide habuit, relaturum, plura uero se coram inspexisse, ut, uel hinc sibi fidem constare, putet *n*), tanto quidem successu, ut mirifice placeret eius opera, et ipsi Friderico probaretur, qui, sicut ipse antiquitatis admirator praecipuus, Radeuico teste *o*), erat, sic, ab hoc Luceio illustrari res suas scriptis, praeoptabat. Atque, eum quidem, existimabat, accuratius posse persequi omnia, quia ipse partim rebus, quas gesserat ille, interfuerat, partim itineris socius omnia penitus inspexerat. Quare commentario, ne quid omitteret, ipse res, per quinque annos ab se gestas, complectebatur. Sic enim scribit *Chronica, quae tua sapientia digessit, uel de-*

m) L. I c. XLVII
n) L. VII c. XI
o) L. II c. LXXVI

suetudine, inumbrata in luculentam erexit consonantiam, a dilectione tua nobis promissa et transmissa cum ingenti gaudio suscepimus, et, post bellicos sudores, interdum delectari in his, et per magnifica gesta Imperatorum, ad uirtutes informari, praeoptamus. Ea uero, quae ab ingressu regni a nobis gesta sunt, ad petitionem tuam breuiter compilata, notitiae tuae libenter commendaremus, nisi, quod ad similitudinem priorum gestorum, quae ab excellentissimis uiris edita sunt, magis dici possunt umbra, quam facta. Tamen, quia tuum praeclarum ingenium humilia extollere, et de parua materia multa scribere nouit, plus confisi tuis laudibus, quam nostris meritis, tantillum hoc, quod in R. orbe per quinquennium fecimus, paucis perstringere curamus. Atque in fine commentarii, *Haec pauca*, inquit, *paucis comprehensa, illustri ingenio tuo dilatanda et multiplicanda porrigimus.* Augusti Imperatoris expectationi libris duobus satisfaciebat, neque ueritati obstabat proquinquitas generis, ut famam suam laederet, historiaeque uim, Aenea Syluio iudice, afferret. Primus eos libros, Vindobonae in monasterio repertos, edidit Io. Cuspinianus An. CIƆ IƆ XV Argentorati, additis duobus illis de rebus gestis Friderici I et appendice Radeuici. Sed praestat editio C. Vrstisii, qua et Ottonis S. Blasii supplementum adiecit tomo I Rer. Germ. Idem Vrstisius, in prooemio, quo uitam Ottonis nostri exponit, meminit et *Historiae Austriacae*, quam

con-

confecerit, et Volffgangus Lazius habuerit, ſed, latere in tenebris, putat, immo Voſſius non ſatis dicere audet, an unquam ſcripſerit eam. Carmen, quo eius obitum proſecutus eſt Radeuicus, qui morienti oculos clauſit, ſupra eſt adductum *p*).

XIII

Subiicitur Friſingenſi Antiſtiti OTTO SANBLASIANVS, qui a coenobio S. Blaſii, quod D. Benedicti regulas ſequitur, in dioeceſi Conſtantienſi, ita nominatur. Fuit aetate multo recentior, et natione Sueuus, ac ſupplementi, quod ab anno CIↃCXLVI uſque ad annum CIↃCCX extenditur, auctor ab Vrſtiſio, qui primus eum protulit, habetur. Etenim, cum in eo iam eſſet, ut corpus Scriptorum Germanicorum in lucem aſpectumque proferret, accepit ab Ludou. Lauatero, theologo Tigurino clariſſimo, cuius hiſtoriam de origine et progreſſu Controuerſiae Sacramentariae, ſtilo eleganti, habemus, duos codices uetuſtos, in membrana ſcriptos, qui in bibliotheca maioris templi latuerant. Quibus cum Pithoeano collatis, animaduertit, praeter cetera, ab alio quodam, eodemque nouo auctore, cuius nomen additum non

 fuerat,

p) Vitam eius expoſuerunt Radeuicus l. c. Vrſtiſius in prooemio ad eius Chronicon, Iacobus Spigelius ad Guntherum p. CCCCXVII Lehmannus Chron. Spir. l. V c. LV Voſſius de Hiſt. Lat. L. II c. LIII p. CCCCXXVII ſqq. Sagittarius Introd. in Hiſt. Eccl. l. c. §. XIII p. LIIX ſqq.

fuerat, supplementum usque ad An. cIↃ cc x confectum, de quo tamen iam pridem se audiuisse, recordabatur. Coniecturam confirmabant Nauclerus et Io. Heroldus, quorum testimonia affert in prooemio ad Ottonem istum *q*).

XIV

RADEVICVS, *Canonicus Frisingensis*, praeclare de Ottone, praesule suo, meritus est, quum coeptam de Friderico Aenobarbo, ab isto historiam non perfecit quidem, sed uberius diduxit, Libris II quibus, uti extant, eandem, quam Otto, fidem dexteritatemque probauit. Atque hoc potuit felicius, quo familiarius uixit cum Ottone, cuius famam literis aequare uidetur. Suscepit autem hoc negotium, iussu Ottonis diui, et nutu ipsius Imperatoris, cui, ut nostra fert coniectura, Antistes Radeuicum, sibi non imparem, commendauerat. Opem auxiliumque tulerunt Vlricus et Henricus, *sacri palatii Cancellarius* alter, alter *Notarius*, quibus, ut gratum se testaretur, iudicibus idoneis et probatis perfectum a se opus remisit. Sic enim ait in literis, quas praemisit operi, *Vos ambos in hoc opere praeceptores, testes, et iudices eligo,*

q) pag. CXCVI addatur Vossius Lib. II cap. LV ubi et *Chronica prima* composuisse, testatur, quibus *genealogias omnes sacrae historiae, usque ad Timotheum et Titum, Pauli discipulos, complexus est.* Extare apud Basileenses manuscriptum opus istud, addit.

eligo, rogans, ut exactum a me laborem sine contumelia suscipiatis, et, qui rebus ipsis tanquam familiares et conscii secretorum interfuistis, siquid corrigendum est, ad regulam ueritatis emendare, siquid parum, aut superflue dictum, uel radere, uel superaddere, quantum satis est, non pigritemini r). Atque, his ipsis, quicquid scriptis praestare potuit, se debere fatetur. Quanquam uero, quando *Diuum* appellat in prooemio Imperatorem, suspicari quis possit, Fridericum iam tum, quum haec scripsit, mortuum, tamen, superstitem fuisse, Friderico Radeuicum, suprema, quae addita sunt, auctoris uerba indicant, quibus finem operi imposuit, reliqua *peritioribus et magis domesticis* relicturus. Atque eisdem uerbis ipsi Friderico suos commentarios tradidisse constat ſ). Primus eundem cum Ottone, Antistite, edidit Cuspinianus; post Vrstisius Tomo I Rer. Germ. Sed *peritiorem*, qui perfecit, non consecutus ille est. Nam, quae superant ab auctore incerto addita, ne comparari quidem cum primis auctoribus merentur. Et bene quidem fecit ille, quod omisit nomen suum, infirmitatis suae haud dubie optime conscius, qui de tanto heroe, qui praeclaros uirtutis praecones nactus fuerat, scribere quicquam sustineret, oneri tanto utique impar et cum Ottone et Radeuico non componendus. Addit

r) p. CCCCLXXVI
ſ) p. IↃLIIX adde Vossium de Hist. Lat. L. II. c. LIII

Addit Trithemius, CHRISTIANVM, Friderici I *Archicancellarium* et Moguntinum Antistitem XXX de quo supra diximus, qui pariter eiusdem imperatoris facta libro quodam commemorauisset *t*).

XV

GOLSCHERVS, S. Matthiae, apud Treuiros, monachus, cuius *Gesta Treuerorum* extant ab V. C. usque ad An. C. CIↃ C XXXII hoc tempore clarus fuit, quod ipse prodit cap. LXXIII *) quando *uidisse se*, ait, Brunonis, Antistitis sui, *probitatis multa insignia* ad An. CIↃ C XX. Primum, cum ederet eum Leibnitius addubitauit, accederet ne Goldasto, auctorem esse Golscherum, monachum S. Matthiae, apud Treuiros, existimanti, an, incertus, suam Goldasto sententiam relinqueret soli. Sed cum alteram Accessionum Historic. partem emitteret, suffragium praebuit Goldasto, et eius causas aperuit, quas reperisse se, testatur, in Trithemio et Brovvero, quorum alter Chronico Hirsaugiensi et Catalogo illustrium Virorum eius meminit, alter Annalibus Treuirensibus distinxit ab *Anonymo*, qui Annales Treuirenses consecrauisset Antistiti Cunoni. Trithemius enim expressis uerbis Golschero tribuit haec *Gesta* Treuirorum, et plura, ab eo edita, affert, in his *Laudes S. Eucharii*, primi Treuirorum antistitis, itemque *S. Va-*

t) de Viris illustr. p. CXXXVII
*) p. CXIX

Valerii, *Materni*, aliorumque *u*). Promiserunt eum erudito orbi Casp. Bruschius, Marqu. Freherus, cui Goldastus edendum tradiderat, Petr. Lambecius, sed non praestiterunt. Hinc illustris Leibnitius, collatis tribus, quos nactus est, codicibus, quanta potuit accuratione, emendauit, et Parte I Access. Hist. CIↃ IↃC XCIIX inseruit, quamuis, quod ipse animaduertit ad Cap. LXIV *x*), temporum uarietate nonnihil immutatum. De eo id possum confirmare, perspicuitate dictionis cum aequalibus certare.

XVI

Ad hoc seculum refero MONACHVM *coenobii* GOZECENSIS ad Salam fl., qui potissimum res coenobii sui, et Pagauiensis etiam, finitimi, recensuit ab anno CIↃ XLI quo conditum est ab Alberto, summo Bremensium Antistite, Dedone et Friderico, Comitibus Palatinis Saxonicis, et persecutus est usque ad annum CIↃ C XXXV substititque in Lothario, imp. Multa habet, quae res Saxonicas illustrant. Edidit cum Chronico Montis Sereni Ioach. Io. Maderus An. CIↃ IↃ C LXV Hoc ipsum Maderus idem in prooemio monumentum, nec immerito, uocat plane eximium, atque excellentium uirorum iudicio dignissimum, quod in gratiam Saxonicae antiquitatis integrum euulgetur. Nam antehac

u) de Viris illustr. p. CXXXI seq.
x) p. XCIX

hac ediderat R. Reineccius eam duntaxat partem, quae *antiquorum Saxoniae Palatinorum* familiam attingebat An. CIↃIↃLXXVII

XVII

ROGERIVM ad annum CIↃCLVI commemorat Voſſius, monachum Fuldenſem, qui in uitis *martyriiſque Sanctorum* elaborauit, eorundemque elogia ſex uoluminibus eſt complexus *y*).

XVIII

Huc pertinet CHRONOGRAPHVS SAXO, quem ita nominauit Leibnitius, quia, ex conſuetudine aeui medii, annorum ordinem ſcribendo ſecutus eſt, et uixiſſe in Saxonia hinc colligitur, quod res Saxonum potiſſimum perſcripſit. Fuiſſe monachum, in coenobio D. Ioannis, Magdeburgicum ſuſpicatur illuſtr. Leibnitius, quia res Abbatum, tum uero Antiſtitum Magdeburgicorum, pluribus ſane locis copioſioribus uerbis enarrat. Incipit ille a Chriſto nato, et in anno ſeculi XII octauo et octogeſimo ſubſiſtit, adeoque imperante Friderico I uixit. In rebus, multis retro ſeculis ea, quae ceterorum plerunque aeui medii eſt auctoritas ſcriptorum. Quibus uero proximus fuit, perſpicue omnia refert, ut eandem, prope dixerim meliorem, laudem teneat dictione, quam Golſcherus. Vnum iſtud maximopere

re

y) **de Hiſt. Lat. L. II c. LIII ubi Georgii Vicelii de eo affert.**

re dolendum, res, immo annos aliquot de eo tempore, quo uixit auctor, interiisse *z*). Quae fuerunt, integra, primus ex codice, quo usus est Christoph. Brovverus, quemque a Papebrochio accepit, in lucem emisit P. I Access. Hist. God. Guil. Leibnitius, de scriptoribus Germaniae eximie meritus, et fama doctrinae illustris.

XIX

Inter historicos, qui aetate Friderici floruerunt, numeratur S. HILDEGARDIS, monasterii S. Ruperti, *Confessoris*, prope Bingam, dioecesis Moguntinae, *Abbatissa*, femina uirtute, meritis, uitae innocentia, uaticiniis, miraculis, et ueneratione admirabilis. Orinda ex Comitatu Spanhemensi, atque a primis iam tum annis uaticinandi fama nobilis. Vaticiniis illis progressu aetatis tantam opinionem consecuta est, quantam fere iis temporibus nemo. Pontifices, antistites, imperatores, principes eius consilia flagitabant, literis salutabant frequenter. Eugenius III Anastasius IV Adrianus IV et Alexander III uatem illam uenerabantur, adeo, ut Eugenius tertius eius scripta diuinitus allata, confirmaret. Quamuis legere ea nec dum licuerit, facile tamen coniicio, si aetatis mediae somnia considero, qui fuerit cum Scriptura S. con-

z) Quod patet p. CCXCV ad An. cIↃC XXXIIX p. CCCIIX ad An. cIↃCLXVI p. CCCXIII ad an. cIↃCLXXIX

consensus, quem credidit Eugenius in eis inesse. Eius praecipua laus est in Physicis, tum in Theologia Mystica. Seu planum est, Mysticos simul ad naturae contemplationem plane respicere. In historia commendat eius operam, ut alias, Trithemius, et testis est, scripsisse uitas *S. Ruperti*, Patroni sui, et *confessoris*, itemque *S. Disibodi*, *Episcopi Hyberniensis*, addit Vossius *S. Berthae*, qui etiam, quae edita fuerint, exponit *a*). Plura commemorat Trithemius de Viris illustr. *b*). Vitam eius tradiderunt deinde Godefridus, et Theodoricus, Abbas Benedictinus, qui tempore Henrici VI uixit, teste Trithemio dicto ante loco. Eiusdem aetatis cum Hildegarde erat ELISABETHA, Virginum in coenobio Schonaugiensi Abbatissa, uaticiniis itidem et doctrina illustris *c*). Eius uitam, quod infra docebimus, perscripsit frater *Ecbertus*, Abbas S. Florini, dioecesis Treuirensis *d*).

XX

HELMOLDVS, a loco, in quo *presbyter* fuit, *Bosouiensis*, ad lacum Ploenensem, in Vagria situm. Eandem esse uillam, probat eruditissimus Bangertus, in qua sub fago, mox con-

a) Hist. Lat. L. II c. LIII p. CCCCXXXV
b) p. CXXXVIII
c) Trithem. l. c. p. CXXXVII
d) Vossius de Hist. Lat. L. II c. LIII p. CCCCXXX et L. II c. LV ubi S. Hildegardis libros ab Quentelio et Surio editas refert. adde Reimannum, p. CCVI

condito templo, primum Chrifti nomen profeffus eft Vicelinus ille, de quo fupra retulimus, cui deinde fucceffit Geroldus, fub quo Helmoldus uixit *e*). Cum hoc Geroldo nomen, memoriamque Chrifti inter Slauos reuocauit Helmoldus, maxime in Vagria, incolafque laudat propter liberalitatem, qua exceptum fe cum fociis benigne, praedicat *f*). Geroldum, antiftitem, dilexit impenfius, eique morienti affuit *g*). Cuius etiam, quippe et praeceptoris, et praefulis deinceps, iuffu Hiftoriam Slauorum fcribendam fufcepit, non commiffurus, ut fua negligentia perinde, ac ceterorum, quos defidiae arguit, eorum pietas, qui Slauos ad falutarem Numinis ueri cognitionem adducere, maximo uitae difcrimine, tentauerunt, obliuione obtereretur *h*). Ipfum Chronicon, quo res Slauorum in Vagria, Ducatu Meclenburgico, Pomerania, Marchia Brandenburgica, Lufatia, Mifnia, et finitimis regionibus pace belloque geftas, de religione item, moribus, ac confuetudine complexus eft, edidit, idque libris duobus a Carolo M. ufque ad annum CIↃ C-LXX perduxit, fua quoque fcribentis induftria Cimmerias temporum caligines diffipaturus, uti refert in prooemio ad ecclefiae Lu-

Dd becen-

e) Bangertus ad L. I Chron. Slau. c. XIV p. XLIV feq.

f) Lib. I Chron. Slau. c. LXXXIII

g) L. I c. XCIV

h) uid. prooemium eius in librum I

becensis patres reuerendos, Historicus ille sui seculi clarissimus est, quippe qui, fabulis neglectis, ueritatem perpetuo secutus, nullius gratiam et utilitatem respexit, nec sui ordinis hominibus, quemcunque locum dignitatis tenerent, pepercit, ab odio et amore, qui historiae fidem infirmant, alienus. Quin potius eos reprehendit grauiter, qui spe emolumenti, secus, atque rei ueritas postulat, scribunt, assentandi uitio correpti, in prooemio ad librum II Nihil itaque in eo desideres, nisi scribendi formam, quam ei non exprobro, quia elegantius, obscuro hoc seculo, non potuit scribere. Reliqua, quae obiici solent, non tanti sunt momenti, quae labefactare auctoritatem queant, praeterquam, quod Adamum Bremensem liberius descripsit, nec, nisi semel, eius mentionem iniecit, ex quo tamen permulta hausit. Quanquam sint, qui ex aeui illius consuetudine excusent. Maiori audacia Helmoldum descripsit Albertus Stadensis, post Albertum alii, ab Io. Mollero allati *i*). Istud ipsi condonamus, quum fines regionum saepius repetit, quos aperire semel satis fuisset. Quanquam hoc ipsum, ut nostra est sententia, non fecit, memoria lapsus, sed, ut lectori, impeditis tot migratione gentium terminis, consuleret, dubitandique causas remoueret. De eo in lucem aspectumque proferendo praeclare meriti sunt Sigismun-

i) **§. XXV in diatrib. Hist.**

Sigismundus Schrockelius, Reiner. Reineccius, Erpoldus Lindenbrogius, Henr. Bangertus, Godefr. Guil. Leibnitius. Schrockelius eum, attamen nondum perfectum, omisso Arnoldi supplemento, primus emisit Francofurti, CIↃ IↃ LVI Iacturam sarsit Reineccius, opera Andr. Pouchenii, Antistitis Lubecensis, et Lamberti Distelmereri, *Cancellarii* Brandeburgici, qui uterque codices suppeditarunt, ex quibus VI libros supplementi Arnoldi restituit anno CIↃ IↃ LXXXI attamen nec dum integros, sed quinque extrema sexti libri capita desiderabantur. Atque haec quinque capita e tenebris protraxit Lindenbrogius et in Syntagmate Scriptorum de Rebus Germ. Septentrionalibus adiecit *k*). Non uero totum Helmoldum eo opere complexus una est Lindenbrogius, quod existimauerunt Martinus Zeilerus et Io. Halleruordius, ab Mollero erroris propterea accusati. Sed omnium optime ex quatuor codicibus Lubecensi, Boeckeliano, Stetinensi, Ranzouiano, manu exaratis, quos laudat ipse in prooemio, restituit Henr. Bangertus, notisque illustrauit, quae, dignum eo esse elogio, iudicauit, quo celeberr. C. S. Schurzfleischius eum cohonestauit, cum appellat doctissimum ciuem suum, et industrium Polyhistorem *l*). Multiplicem uariamque lectionem demonstrauit, et iudicio, quod ad-

Dd 2 hibuit

k) p. CCXLVIII usque CCLI edit. nouae Fabric.
l) disp. de Rebus Slau. §. VI

hibuit in fabulosa aetate, optimo, suspecta distinxit accurate, et obseruationibus eruditissimis profecto tantam Helmoldo et Arnoldo lucem attulit, quanta indigere uidebantur. Quem historiae illius aeui testem et interpretem sequor libentius, et quae interdum irrepserunt, festinatione potius, quam negligentia, commissa, uiro, eruditione praestantissimo, non exprobro, maiorem, ratus, ei, qui ita de historia Germanica meritus est, gratiam deberi, quam uulgo rependunt. Tum Godefr. Guil. Leibnitius secunda parte Scriptorum Brunsuic. repetiit cIↄ Iↄccx uel hac de causa, quod Helmoldus iuxta, atque Arnoldus historiam Henrici Leonis, et maiorum, et posterorum magis, quam alias alii commemorauerunt. Aliquot obseruationes repetiit ex Bangerto, aliquot addidit de suis, at perbreues, quia, ab instituto suo alienum, docet, compluribus animaduersionibus opus, satis iam spissum, replere. Adiecit tamen Hermanni Corneri, qui seculo XV uixit, locos quosdam ex eiusdem Chronico, in quibus Helmoldi testimonia affert. Sed tamen, collatis utrinque exemplis animaduertit Vir summus, quaedam aliter legisse Cornerum, nonnulla plane non reperiri in Helmoldo, atque Arnoldo. Neque ab Helmoldo Arnoldum aliter distinxit, quam, quod hunc *Chronicae Slauorum continuatorem* uocat. Ad extremum nonnulla occurrunt, neque in Helmoldo, neque

que in Arnoldo obuia, quae, incertus ipse Leibnitius, Cornerus Helmoldone attribuerit ab alio licet edita, an immutatum ab alio quodam habuerit Helmoldum, se assequi aut diuinare haud potuisse, fatetur *m*).

XXI

Necesse est Helmoldo subiungamus ARNOLDVM, quia illum, data opera, sine assentandi suspicione, fide eadem et dictione libris VII usque ad seculi XIII annum nonum deduxit, tantum in eo reprehendendus, quod, praeter monachorum somnia, longius interdum digressus, accersit ea, quae peregrina sunt, et indicare atque attingere satis fuisset. Quorsum respicere uidetur Vossius, cum ait, *In rebus Slauicis fide dignus est, non iis item, quae de Italiae, Siciliae, Graecorumque rebus annectit, in quibus satius sit, alios audire, qui ex professo de iis tractarunt n).* Quin et illustris Leibnitius Germaniam, ex quo literae in ea explenduerunt, asseuerat, omnia retro secula, seculo tertio decimo, ineptiis superauisse, cum inclinaret eo tempore fortuna et conuerteretur *o*). Alioquin pietatem et studium sanioris doctrinae profitetur, cum mores seculi corruptos, ma-

 xime

m) uid. Introd. in Tom. II n. XLV XLVI Cetera uideantur Bangertus in prooemio et Io. Mollerus diatrib. Hist. §. VIII IX XIII sq. ubi omnes, qui in edendo illustrandoque isto historico, operam collocauerunt, recensuit, ex eoque Reimannus. p. CCCLXXIII

n) de Historia Lat. Lib. II c. LV

o) in Introd. ad Tom. II n. XLV

ximein religiosis arguit. Causas, quae eum ad scribendum adduxerint, aperit ipse, et uelut Hirtius, non tamen dictione Hirtiana, suam infirmitatem, qua aequare laudes Helmoldi nequeat, agnoscit, cum *uerborum rusticitatem* purgat Philippo, Raceburgensi Antistiti, et Sodalibus, in prooemio similiter, atque in fine operis, quo felicitatem praedicat, quum Henricus Slauis et tributa, et cultum sacrorum imperauit. Fuit is initio monachus in coenobio Aegidianus ordinis Benedictini apud Brunsuicenses, sed mores deprauatos sociorum, quibus inquinatus ipse fuit, penitus perspexit. Hinc Ecclesiae Hildeshemensis *Praepositus* fuit, quam in rem extat epistola Conradi II Antistitis, quam *de statu Apuliae* ad illum scripsit *p*). Postremo Abbas Lubecensis in coenobio, ab Henrico, Episcopo CIↃCLXXVII fundato, D. Ioannis, primus est constitutus, ubi copiosius enarrat clarissimus Mollerus eo, quem supra adduximus, loco *q*). Idem, quod rei ipsius, quam eandem cum Helmoldo prodidit memoriae, nexus postulat, ab eisdem fere, quos in Helmoldo laudauimus, non semel editus, cum Helmoldo una circumfertur. Omnium tamen optime edidit Bangertus, atque integrum restituit, et obseruationibus locupletauit, ut adeo principem

p) L. IV c. XIX et Leibnitius dicto loco.

q) §. XXVII uide ipsum Arnoldum L. II c. XIX adde Voltherum in Chron. Bremensi ad annum CIↃCLXXV

pem inter omnes locum cura Bangerti mereatur. Post Bangerti illam Leibnitii.

XXII

Ad tempora Conradi III et Friderici Aenobarbi refert Ger. Io. Vossius ECBERTVM, Treuirensem, qui monachus primum Schonaugiae, post abbas S. Florini fuit in dioecesi Treuirensi. Edidit ille in uulgus uitam sororis suae, quae *Sanctis* annumeratur, *Elisabethae*, uirginis Schonaugiensis, ab Iacobo Fabro, Stapulensi, libris Visionum et Epistolarum S. Elisabethae, subiunctam *r*).

XXIII

Insigne est CHRONICON LAVRISHAMENSE, quod auctor coenobii illius, ad Rhenum, antiquissimi, atque, Pipino rege, per Cancronem, Comitem Rhenensem, conditi, hoc seculo, ut Freheri sententia est, et scribendi ratio, eadem probat, confecit, et res non modo abbatum suorum, sed Germaniae etiam insigniores retulit, et tabulis instrumentisque publicis cuiusmodi plura habet, allatis, ad annum CIƆ C LXXIX usque deduxit. Atque hinc dignum habuit Marqu. Freherus, quod ex eleganti codice, quem membrana scriptum ex coenobio Laurishamensi impetrauit, ederet *s*).

XXIV

Praeclare de Guelfis meritus est MONA-

r) de Hist. Lat. L. II c. LIII

s) Part. I Scriptor. Germ.

NACHVS *coenobii* VVEINGARTENSIS, quia omnia, qua potuit, magna industria collegit de familia Guelforum, conditoribus coenobii sui, uel multo post tempore, grati monumentum animi positurus. Illustris haec familia ab antiquissimis inde temporibus in Germania fuit, atque in Baioaria Sueuiaque ditiones habuit, nullius imperio subiectas. Has tenuerunt aliquandiu Saxones Brunsuicenses, ex antiquissima Guelforum gente profecti, amplissimis Europae Principum necessitudinibus iam tum insignes. Quod pluribus persequitur monachus, et, ut solent, in originibus gentium perquirendis, optimi etiam scriptores, auspicia Guelforum, auctoritate *antiquissimae cuiusdam historiae* ab Troianis petit. Origo, quo longius arcessitur, eo incertior est habenda. Similiter, atque Saxonum aduentus, quem, longo demum interuallo locorum, ex Graecia deducunt, post Vitechindum, alii complures. Alioqui gloriam gentis Guelficae recte ab temporibus Caroli M. deducit. Supra enim iam tum ex Thegano cognouimus, alteram Ludouici Pii coniugem, Iuditham, filiam fuisse Guelfi, nobilissima stirpe Bauarorum ortam. Quia uero progreditur usque ad tempora Henrici Leonis, annum speciatim CIↃCLXXX et, quae Guelfi monasterio suo beneficia exhibuerint, enumerat, de *Guelfis Principibus* inscripserunt. Accedit item *Chro-*

Chronicon eiusdem monachi, quod ab Christo nato usque ad mortem Henrici VI extenditur. In eo ipso res omnes breuiter complexus est, ad proxima Guelforum tempora descendens, quorum potissimum res iterum seruauit. Quae etiam causa illustrem Leibnitium mouit, ut ex eodem codice manuscripto bibliothecae Augustanae, quo antehac Henr. Canisius, nouo praelo redderet, addita item *Arbore* Guelforum *Genealogica*, quam ex monasterio VVeingartensi, Historiae de Guelfis Principibus, in membrana scriptae, praefixam, subministrauit Pregizerus, consiliarius VVartenburgicus. Aliquanto post, Cilianus Schraderus Consiliarius Brunsuic. intimus, suscepto in Germaniam superiorem itinere, hoc ipsum chronicon rogatu illustr. Leibnitii cum codice, qui in monasterio Vinearum superest, collatum, emendauit, aliaque ex Steingadensi, Baioariae de monasterio addidit, ut adeo Leibnitius parte III script. Brunsuic. numero XXVII *Emendationes et Supplementum* chronici huius edere posset. Legit monachum, et quaedam inde de Principibus Guelfis mutuatus est Ladislaus Sundhemius, Rauensburgensis, *Canonicus* Vindobonensis, de familia VVelphonum, quem illustris Leibnitius ex bibliotheca Augusta Vindobonensi monacho subiecit *t)*.

t) P. I Script. Brunsuic. Vossius de Hist. Lat. L. II c. LV

XXV

Accedit DODECHINVS, natione, Trithemio teſte, Germanus, et eccleſiae Langenſteinenſis preſbyter initio, et expeditionis ſacrae, quae tempore Conradi III ſuſcepta eſt, ſocius deinde, atque hinc, in patriam reuerſus, coenobii S. Dyſibodi abbas. Belli ſacri hiſtoriam ſcripſiſſe, Trithemius tradit de Viris illuſtribus *u*). Sed extat Appendix ad Chronicon Mariani Scoti ab anno CIↃ LXXXIV uſque ad annum CIↃ CC qua eodem in Henricos, imperatores, animo certamen Pontificium exponit, quo Scotus, ne eius ueſtigia deſeruiſſe uideatur. Quanquam alioquin haud contemnenda induſtria res obſeruet. Trithemius, claruiſſe docet, aetate Conradi III anno ſpeciatim XL ſeculi XII Vnde, ſiquidem Trithemius in definiendo tempore accuratior, quam alias ſit, colligit Voſſius, uix uniuerſam appendicem eſſe Dodechini poſſe *x*). Sed nuſquam in conſtituendo tempore tam incertus deprehenditur Trithemius, quam in Vitis cl. uirorum.

CAPVT VII

Suam hoc ſeculo Germani linguam excolebant maxime, atque expoliebant. Ipſe imperator Fridericus *patria lingua facundus* dicitur

u) p. CXXXVII
x) L. II de Hiſt. Lat. c. LV

citur Radeuico *y*). Quare ipſis in comitiis Lotharius pariter atque Fridericus I Auguſti, lingua quiſque Germanica dicuntur ſententiam dixiſſe, quam interpretes, quos habuerunt, latine enunciauerunt. Atque illius interpretem fuiſſe Bertulphum, *Cancellarium*, ex Ottone Friſingenſi, teſtatur Lehmannus Chron. Spirenſi *z*) huius, nempe Friderici, qui pariter ſua lingua rem in comitiis propoſuit, Reinaldum, atque Ottonem Friſingenſem, fuiſſe interpretes, teſtimonia, quae ſupra adduximus, probant *a*). Repetit ex Morhofio quidem Reimannus, uſitatum maxime in aula Friderici I fuiſſe, de lauru, quam poetice confert, decertare, laudatque equitem *VVinſbek*, qui non ſupremam inter poetas laudem tuliſſet, perinde, ut femina eiusdem gentis, quae carmine non contemnendo filiam officii ſui admonuiſſet *b*) idem de *Conrado* de *Vurceburg* memorat, qui in eadem aula poetae laudem tenuiſſe exiſtimatur. Subiicit his *Hermannum Sachſenbuſium*, *Vernerum* de *Tüfen*, *Volffamum Eſchenbachium* *Valtherum* de *Vogelvveide* nobili gente pleroſque ortos, atque inter claros Germaniae poetas relatos. Commendat et, praeter Latinae

y) Lib. II c. LXXVI p. CCCCCLVII

z) L. V c. LXVII

a) Conf. Lehman. l. V c. LVIII

b) Lib. II p. CCLXVI

tinae et Slauicae, *Teutonicae* linguae ſcientiam in Comite Adolpho Helmoldus *c*).

CAPVT VIII

B*ibliothecarum* curam ſuſcipiebant in diuerſis coenobiis ſollicite, ac libros comparabant induſtrie, atque eos, qui edebantur, conquirebant. Anno ↀↄ c xxv bibliothecam coenobii Corbeienſis, ſumptibus quidem ipſius abbatis, Erkinberti auctam, praedicant annales coenobii ad h. a. Hildeſienſem amplificauit, et libris locupletauit Bruno antiſtes XXI et ſcriptores, cum ſacros, tum hiſtoricos, et Phyſicos alioſque, eo intulit *d*). Aldenburgenſe ſacerdotium in Vagria, quod Slauorum defectione deuaſtatum fuerat, cum reficeretur, librorum copiam, quae requirebatur, eo importabant ſtatores literarum, reique literariae opem ferebant mature, ut haberent, unde eruditioni ſua inter nouos chriſtiani nominis hoſpites dignitas conſtaret *e*). Erant quippe, qui colligerent, erant praeterea, qui deſcriberent libros et conſeruarent. Sed tamen his ipſis librariis, qui eruditione non ualebant utique, acceptos referimus tot libros, qui integri fuerunt, deprauatos. Ex eorum

c) Lib. I c. XLIX

d) Chron. Hildeſheimenſe p. Iↄ CC XLVII Tomo I Leibnit.

Helmoldus L. I Chron. Slau. c. LXXXIII

eorum numero est Gerungus Abbas cellae S. Paulinae, qui non literatissimus quidem, neque tamen literarum penitus ignarus fuit, sed, ut loquitur Trithemius, *pro statu suo sufficienter eruditus f)*. Attamen, uti de eo refert, pro uiribus augere bibliothecam studuit. Verba eius haec sunt, *In scribendis, et comportandis ad bibliothecam libris, studiosissimus fuit, et multos manu propria rescripsit. Erat enim scriptor* (uel scriba potius) *optimus*. Idem refert de Manegoldo, XVII coenobii Hirsaug. *Abbate*, qui per id tempus, quo *succentoris* muneri praefuit in eodem coenobio, *plus quam LX uolumina, pro bibliothecae ornatu fratrumque utilitate fecit conscribi*. Nec defuisse, qui sumtus huc conferrent, ex eis, quae sequuntur, uerbis palam est. Atque, ut uidetur, amicos et cognatos suos in opem auxiliumque aduocauit, ut conatum sua liberalitate leuarent *g*). In monasterio montis monachorum, quod D. Michaeli Archangelo, apud Babenbergenses, sacrum est, Volframus, abbas egregiam operam collocauit in libris conquirendis, aluitque Frutolphum, Thimonem et Heroldum, monachos doctissimos, qui assidue descripserunt, ut bibliotheca hac ratione insigniter augeretur. Vestigiis Volframi sibi insistendum, putabat Hermannus, successor, ut locupletior in dies redderetur

f) Chron. Hirsaug. p. CV
g) l. c. p. CXLII

tur *b*). Vtriusque exemplum fecuti funt pofteri, in his feculo XV quo literae iterum explendefcebant, Vdalricus Haugius et Andreas, qui multis fumtibus codices optimos addiderunt. *Caefareenfe*, ordinis Ciftercienfis in Sueuia, qua Licus in Danubium influit, coenobium auctorem bibliothecae Albertum, abbatem memorat, tefte Cafp. Brufchio *i*). Auguftae Vindel. S. Vdalrici bibliothecam copiofiorem reddidit Abbas Vdalricus *k*) in Monafterio VVeingartenfi Cuno Valdburgius *l*).

LIBER XI

DE

STATV RELIGIONIS.

CAPVT I

Superftitiofa religiofi ordinis ueneratio, de qua fupra diximus, animum addebat Antiftitibus, cum primis Romanis, ut, fi ullo unquam, hoc maxime feculo elatius fe gerent

b) Cafpar Brufchius Chronolog. Monaft. Germ. p. CCCXIX
i) p. LXXXIV
k) l. c. p. CCCCXCVIII
l) p. IↃLXXIII

rent, et audacia furerent, ut raperent omnia ad ſe, et imperatoribus, Germaniaeque proceribus obſequium imperarent, qui dicto audientes non eſſent, odio pluſquam Vatiniano proſequerentur, et per execrationum formulas, de honoris ac dignitatis gradu deiicerent, re ipſa, magno illi et pernicioſo interregno, quod penitus rempublicam afflixit, uiam aperirent. Non enim illo plane nullus rex erat Germaniae, ſed complures, ut, cuius imperata facerent, tanto illorum numero, ſciret nemo. Calamitatis, quae imperii optimates acriter committebat, initium merito duco ab Ottone IV Henrici Leonis filio, qui de principatu imperii contendebat cum Philippo, Henrici VI fratre, adiutus ab Innocentio III Pontif. Rom., rebus, ex utilitate ſua, ordinandis maximo intento, cuius literas, quibus propenſam erga illum uoluntatem, et iuuandi dexteritatem, teſtatur, recitat Arnoldus Lubecenſis *m*). Quod liberale patrocinium uſque eo ualebat, dum Otto repeteret, quae in Tuſcia et Apulia ſibi, et Friderico, Henrici VI filio, Siciliae regi, poſt imperatori, reſeruari mallet *n*). Itaque anno poſt, quam ſolenni formula Caeſarem R. conſecrauerat, e Caeſarum numero exemptum, ſignificabat *o*). Ac mirari ſubit, incertum illum Fragmenti Hiſtorici Auctorem, poſtquam de exauctoratione

m) Chron. Slau. L. VII c. IV

n) Trithem. Chron. Hirſaug. p. CLXIX

o) Albertus Stadenſis ad An. cIↃ CC V ſeq.

ratione Ottonis, Imp., tradidit, affirmare, *Omni tempore Ottonis per totum regnum Alemanniae ſummam pacem et ſecuritatem fuiſſe*, cum temporum illorum ſcriptores reliqui aliter doceant, nec ipſe belli moleſtiam, quae afflixit eam, reticere omnino poſſit *p*). Taceo nunc diſſidium, quod inter Ottonem et Philippum erat, et funeſtum illud incendium, quod, in Boiemia, auctore Ottocaro, rege, ortum, finitimas regiones, in his Miſniam et Turingiam corripiebat, et in hac, annitente Boiemorum ferocia, ſexdecim illuſtriores religioſorum ordinum ſedes, et CCCL *parochias*, ut loquuntur, conſumebat *q*). Sed de extremo imperii Ottonis tempore tantummodo cognoſcamus ex eodem *Anonymo* ipſo, cum, reiecto Ottone, Fridericum illum ex Sicilia accitum, memorat, imperaſſe Innocentium Pontif. Germaniae proceribus regem. *Literas ſuas direxit uniuerſis terrae Principibus, quibus dedit in mandatis, ut eundem Fridericum loco regis ſuſciperent, et manu tenerent r*).

CAPVT II

Hoc proſcriptionis impetu terrebatur omnium maxime, ſed non mouebatur unquam,

p) ad An. cIↃ CXI et XII p. LXXXVIII T. II Vrſtiſ.
q) V. Arnoldus Chron. Slau. l. VI c. V
r) l. c. Vid. etiam Albertus Stadenſis ad An. cIↃCCXII

quam, quin se his uinculis feliciorem, quam antea, perspiciebat Fridericus II Quin acrius insistebat, et suam imperatoris dignitatem, et iura, auctoritate maiorum defendebat *s*). Hinc ab scriptoribus, qui Pontificum causam tuentur, sigillatim a Martino Polono, accusatur, nescio cuius, prope sacrilegii, *qui ecclesiam Dei non fouerit tanquam matrem, sed tanquam nouercam laniauerit*, propterea ab Honorio III a quo Imperator pronunciatus pariter fuerat, publica ecclesiae censura sacris exclusus *t*). Eodem fulmine prosternere magnanimum Fridericum audebat Gregorius IX cum abire in Orientem aduersus barbaros dissimularet. Sed, quae fuerit sententiae, acri contentione pronunciatae, auctoritas, uel hinc patet, quod ipse Albertus Stadens. testatur, Fridericum eam neglexisse. *Imperator*, inquit, *hanc sententiam parui pendens, mare transiit, ibique ab omnibus regni illius ciuitatibus solenniter est susceptus* *u*). Furore denique et odio implacabili agitatus, solenni proscriptionis formula, sacro Christianorum coetu indignum, rursus An. cIↃcc xxxix enunciabat, cuius sententiae causas se habere grauissimas, ratus. In his etiam refertur, quod, teste Io. Vito Durano, qui suppar fuit ei, dixerit, *tres seduxisse totum mundum*, Mosen

Ee quippe

s) Lehman. Chron. Spir. L. V c. LXXIX

t) in Chronologia Rom. Imp. et Pontif. p. CCCLXXVI T. Schilter.

u) ad An. cIↃ CC XXIIX

quippe plures Iudaeos, Christum Christianos, et Mahomeden barbaros. Sed, ab inuidis huiusmodi etiam conficta, colligere licet *x*). Atque, ut ratam haberent post alios omnes Germaniae Principes et Antistites, literas dimittebat, sed, ut Albertus Stad., qui eiusdem fuit temporis, refert, parum, uel nihil sane, efficiebat *y*). Illi enimuero, semel atque iterum, moniti, ut alium eligerent, respondebant, NON ESSE SVI (Pontificis R.) IVRIS, IMPERATOREM SVBSTITVERE, SED TANTVM ELECTVM A PRINCIPIBVS CORONARE. Iterum Innocentio IV eandem poenam illis, qui Fridericum Imperatorem nominarent in posterum, minitanti, AD PAPAM NON PERTINERE IMPERATOREM VEL INSTITVERE, VEL DESTITVERE, SED ELECTVM A PRINCIPIBVS CORONARE *z*). Eo tandem res deducta est, ut, cum necdum saeuire desineret Pontifex, eligerent Henricum, Landgrauium Turingiae, quem *Regem Clericorum* nomina-

x) Tom. I. Accesf. Hist. Leibnit. p. X adde Chron. Augustense ad an. cIↄCCXLV p. CCCLXXIV T. I Freheri.

y) ad An. cIↄCCXL

z) V. Albert. Stad. ad an. cIↄCCXL et cIↄCCXLV Auctor fragmenti Historici p. XCI T. II Vrstis. Reliqua, quae de odio Pontificis maximo erga Fridericum II extant testimonia, collegit temporum illorum testis idem et Historicus Albertus Stad. p. CCCXVI seqq.

minabant. Monachus Paduanus uix tanta potuit conquirere elogia, quantis dignum iudicarunt *a*). Ex quo tempore grauius affligi respublica coepit, cum Pontifices, qui iam pridem turbidum optauerant, plures committerent, qui, regio titulo ornati, nec sibi, nec patriae, consulere ualerent. Pontificum mores qui fuerint, satis cognoscimus ex doctoribus illis, qui Halis Sueuorum in eos grauiter inuecti sunt, immerito ab Alberto Stadensi et asseclis haereseos accusati, ad An. CIↃ CC XIII. *b*). Denique Gregorius X Germaniae Principibus tempus, intra quod eligerent regem nouum, fere constituebat, *alias ipse, de consensu Cardinalium, Romani imperii prouidere uellet desolationi*, ut loquitur Auctor fragmenti Historici *c*). Eodem plano modo scribit Trithemius *d*). Electus uero Rudolphus Habsburgius Pontificis Maximi gratiam, saepius licet humanissime inuitatus, accipere recusabat, his, quae Trithemius pariter refert, uerbis, *Multos Alemannorum Reges Italia consumpsit*, non ibo Romam, Rex sum, Imperator sum, *nec minus pro utilitate reipublicae me facturum, confido, quam si Romae fuissem coronatus.* Nouerat sane, Germanos odio esse Italis, cum primis Pontificibus, qui uires

a) Chron. L. II p. IↃXC Tomo I Vrstis.
b) Cetera uid. Io. Ioach. Zentgrauius de magno hoc interregno disp.
c) p. XCIII l. c.
d) Chron. Hirsaug. ad ann. CIↃ CC LXXIII p. CXCIV

uires illorum ridebant palam, et consilia, actionesque alto supercilio contemnebant. Tanto odio et contemptu habebat Germanos Martinus II Pontifex natione Gallus, ut saepius optauerit, commutari in *ciconiam*, uel in *lucium*, quo uel sic eos, uelut ranas e paludibus Germanos, seu, tanquam pisces capere et deuorare posset *e*). In doctrinae diuinioris capitibus insolita atque inepta statuebant, cuiusmodi ridiculum plane est, quando Gregorius IX Pontifex edicto prohibuit, ne filius sacerdotis illam duceret, puellam, quam pater suus fonte sacro in familiam Christi recepisset *f*).

CAPVT III

Quibus adeo rebus Ordinis sacri ueneratio persistebat, quum Antistites et principatum in administratione reipublicae tenerent, et in re militari primas sibi uendicarent. *Post Fridericum* enim, ut ait Albertus Argentoratensis, *creuit potentia et superbia sedis*

e) V. Historia Australis ad annum cIↄCCLXXXIV p. CCCXXXIII T. I Freheri.

f) Verba Chronici S. Aegidii apud Brunsuicenses, ita habent, *Constituit etiam, quod filius sacerdotis non potest ducere puellam, quam pater suus baptizauit*, ad annum cIↄCCXXIX p. IↄLXXXVIII T. III Leibnit. Singulare cetera istud est, quando eiusdem chronici auctor tradit, Honorium III abrogasse consuetudinem innocentiae, per uomeres, igni calefactos, probandae ad an. cIↄCCXXV

dis Apostolicae, ac MINORVM et PRAEDICATORVM, quos eo, quod Fridericum et suos (Friderici defensores et amicos, quos noui *fratres illi Praedicatores*, qui ineunte hoc seculo coeperunt, ut Trithemius testis est locuples, per Germaniam, maxime Pontificio decreto illo, persecuti sunt *g*)) *detestabantur, ipsa sedes Apostolica prae cunctis Ordinibus priuilegiis exaltauit in tantum, quod nunc ipsa sedes et clerus uix defensantur ab illis h*). Idem Albertus Argentoratensis de Henrico, Antistite Ordinis Franciscani, plane, *habuisse eum maiorem affectionem ad milites, quam ad Clerum*, scribit. Qui etiam istud monumenti loco elogium tulit,

Nudipes Antistes, non curat Clerus, ubi stes,
Dum non in coelis, stes ubicunque uelis *i*).

Incommodum, quod ex seculi deprauatis moribus, maxime sacerdotum, est profectum, omnium optime patefacit iuxta, ac deplorat Trithemius, *Ordinis nostri*, inquiens, *sacratissimi patris Benedicti obseruantia, tempore huius Abbatis* (Ioannis Hirsaugiensis, de quo praecipue exponit) *in omnibus plane monasteriis Germaniae*

g) ad An. cIↃCC XXVII p. CLXXVIII uid. etiam Albertus Stad. ad an. cIↃCCIX p. CCC Ioach. Hildebrandus de religiosis ordinibus, §. LXVII seq. de hoc ordine.

h) Chronico p. XCVIII tomo II Vrstis.

i) l. c. p. CIII

maniae nationis, usque adeo defecerat, ut pristinae institutionis uestigium nullum in moribus cerneretur. Omnia corrupta erant, omnia collapsa, monachi simul cum Abbatibus in praecipitium uitiorum corruerunt. Nemo hanc ordinis nostri deformationem curabat, nemo condoluisse uisus est, non Rex, non Papa, non Princeps, non denique Praesul ullus de monachorum reformatione quippiam cogitauit. Tam enim publicae fuerunt transgressiones monachorum, ut licitae putarentur. Atque, hac monachorum socordia ignorantiaque, multorum sane annorum memoriam fere sepultam iacuisse, perhibet, adeo, ut uix referri in publicum pauca ex obscuritate temporum potuissent *k*). Consimiles querelas ciet Albertus, Abbas Stadensis, de uita monachorum, quibus praeerat, ut etiam recederet ab illis, et rationes officii commutaret.

CAPVT IV

Multiplicatae quidem, religionis causa, societates sunt, sed nulla re minus religioni, quam eis consulebatur *l*). Principe loco commemoro Societatem *Fratrum Calendariorum*, qui hoc seculo in Anhaltinis noti fuerunt. De quibus diploma aliquod, Anno CIↃ CC XCIX datum, ex coenobio Meringensi, protu-

k) ad Ann. CIↃ CC LXV p. C XCIII

l) Hachenbergius differt. VIII de Religione Christiana ueterum Germanorum §. XXIII p. CG X plures numerat.

protulit Io. Christ. Becmannus, ex quo patet, quotannis solennia eius societatis peracta, non quouis anni mense *m*). Brunsuici institutum iam an. cIↄ cc LXV huiusmodi societas apud *S. Georgium*, et quidem, ut loquitur auctor, *tempore Calendae*, officii diuini causa, conuenire consueuit. Reditus annuos curauerunt in primis *Decanus* et *Camerarius*, et uoto solenni, quod sequitur, ordini fidem obstrinxerunt, *Ego uoueo et promitto Domino Deo, et nostris patronis, ac confratribus meis, quod bona, census, reditus, ornamenta ecclesiae, ac utensilia, supellectilia Decanatus, camerariae, fraternitatis, ac totius curiae fideliter uolo conseruare, nec ea alienare, sed in effectum meliorem producere, in quantum ualeo.* Plura autem refert auctor, quae expromunt utriusque officium, quod in administrandae societatis fructibus et usuris obseruarunt *n*). Nobis satis in praesentia fuerit, nosse, diuersam fuisse ab coenobiorum consuetudine, nec omnino, si a superstitione discesseris, penitus reprehendendam, quando quidam, constituta certa pecuniae summa, ex reditibus illius inopiam pauperum leuabant quidem, neque tamen uitae seuerioris rationem accipiebant, sicuti de coenobiis constat. Atque hinc, utriusque sexus homines in eam admissos, docent. Quan-

Ee 4 quam

m) P. VI cap. IV p. XIX

n) de Ecclesia S. Matthaei apud Leibnit. t. II p. CCCCLXX p. CCCCLXXV

quam superstitio, superstitiosa hominum consuetudine iam tum inueterata, primas teneret, quae, deinceps, corruptis seculi moribus, deterior facta, quasuis libidinis causas, quae seueriori disciplina coerceri uix poterat, probaret. Quod ex uerbis *Ioannis de Indagene*, a Becmanno adductis, colligas, qui de Societate illa libellum edidit, quem manu scriptum superesse in bibliotheca Lipsiensium Paulina, idem tradit. Illud hic addo, me nullum huc usque uestigium animaduertisse in scriptoribus Germanicis ante seculum XIII ex quo de societate, quod in Germania iam clarior fuerit, constet. De seculis, quae sequuntur XIV et XV plura passim suppetunt diplomata, quae plane id testantur. Ac fuerunt eiusmodi Zuiccauiae, Plauiae, Iachtershusii, Stargardiae, Gottingae, Hamburgi, Vitembergae, Leisnigae, Pegauiae, Mitvveidae, et aliis Misniae urbibus, quod documentis ex seculo XIV et XV probant Fellerus, Becmannus, et Christianus Hermannus in Monumento Mittvveidensi *o)*. Ad hoc seculum quoque initium Societatis huius refert Cl. Christianus Francisc. Paullinius, et diploma Otbergensis illius affert an. CIↃ CC XXVI datum in Chron. Coenobii Ottbergensis *p)*.

CAPVT

o) L. II p. CXLIII seqq. Superiori seculo de hac societate praecipua agit disputatione Lipsiae anno XCI Ioach. Fellerus, quam Cl. Paulinius obseruationibus illustrauit.

p) Quo in loco et pluribus agit de hac societate,

CAPVT V

Hoc iam ſeculo *Flagellatores* ex Italia, ſigillatim ex Peruſina urbe et tractu in Germaniam deſcendiſſe, Chronicon Auguſtanum, quod Marqu. Freherus edidit, ad an. CIↃ CC XL teſtatur. Praeter ſingularem habitum, uitae quandam, at duriorem, quae ſeculi conſuetudo requirebat, ſanctimoniam praeferebant. Verba, quae in Chronico extant, recito, *Erat modus ipſius poenitentiae ad patiendum durus, horribilis et miſerabilis ad uiuendum. Nam ab umbilico ſurſum corpora denudantes, quandam ueſtem partem corporum inferiorem, uſque ad talos tegentem habebant, et, nequis eorum agnoſceretur, cooperto capite et facie incedebant. Procedebant enim bini et trini, tanquam clerici, uexillo praeuio uel cruce, flagellis ſemetipſos bis in die per XXXIII dies (dum in memoriam temporis humanitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuper terram apparentis) tamdiu cruciantes, quouſque ad quaſdam cautiones, quas de paſſione ac morte Domini dictauerant, duobus uel tribus praeſentibus, circa eccleſiam, uel in eccleſia compleuerunt, nunc in terram corruentes, nunc ad coelum nuda brachia erigentes, non obſtante luto uel niue, frigore uel calore. Miſerabiles itaque geſtus ipſorum, et dira uerbera, mul-*

Ee 5 *tos*

p. CLXXIV ſeq. CLXXX Synt. adde Petr. Viſſelbeccium Chron. Hüxar. apud eundem ad an. CIↃCC XXVII annales Corbeienſes ad an. CIↃCC XXXIV

tos ad lacrymas, et ad suscipiendam eandem poenitentiam, prouocabant. Hactenus Chronicon Augustanum, quo docetur eandem societatem, quia neque ab antistite R. probata fuisset, neque ab alio quodam uiro grauissimo firmata, alios in Germania antistites, et Henricum quoque, Ducem Baioariae eam spreuisse, adeoque mox iterum dissipatam. Sed perstitisse, infra pluribus erit demonstrandum.

CAPVT VI

Coepit etiam hoc seculo *Ordo Ensiferorum* equestris, studio propagandae pariter ac defendendae in Liuonia rei christianae, constitutus, cum sacris Rigae praeesset Albertus, de quo Arnoldus Lubecensis exponit *q*). Prima religionis christianae auspicia faciebat Meinardus, *canonicus* Segebergensis, et mansuetudine Liuonos flectebat, ope, ut Henricus Bangertus docet, mercatorum Lubecensium, qui ad Liuones commeabant, in terras illas diuinitus delatus. Vt uel hinc argumentum prouidentiae diuinae agnoscas iterum, in propaganda, per commercia, et religione, et doctrina. Primus, ut sacerdotii Rigensis, ad Dunam, fl. auctor suasorque, sic antistes etiam erat, anno CIↃ C LXXXVI Meinardus. Huic succedebat Bertoldus, Abbas, Lucca

q) Chron. Slau. L. VII c. IX

Lucca eo profectus, qui, quod Meinardus humanitate coeperat armis perficere connitebatur. Euocabat eo sacros milites, Coelestini, Pontificis R. consensu, et praesidio fretus. Non renuebant sacri belli statores, quos gloriae cupiditas, et spes ditescendi eliciebat, religionis causa et opinio tegebat. *Fit igitur*, teste Arnoldo, Lubecensi, *de tota Saxonia, VVestphalia, uel Frisia, Praelatorum, Clericorum, militum, negotiatorum, pauperum et diuitum, conuentus plurimus, qui in Lubeca comparatis nauibus, armis et uictualibus, Liuoniam usque peruenerunt.* Sed primo congressu cecidit Bertoldus, belli huius auctor, ut impetus pugnandi subito reprimeretur. Institutum nihilominus persequebatur Albertus, antistes nouus, ut aetate, ita manu alacris et promptus. Obsides ille imperabat Liuonis, et pacis conditiones dabat. *Creuit igitur*, inquit iterum Arnoldus, *Ecclesia Dei per uenerabilem uirum Albertum, bene disposita, praepositis, parochiis, coenobiis.* Tum Ensiferorum, pro amplificando Christi cultu, coaluit ordo. Pergit etenim historicus, *Multi continentias uouentes, et soli Deo militare cupientes, forma quadam Templariorum omnibus renunciantes, Christi militiae se dediderunt, et professionis suae signum, IN FORMA GLADII, quo pro Deo certabant, in suis uestibus praeferebant*, Sed contentio oriebatur inter Praesulem Albertum, et milites sacros, uel, ut se uocarunt ipsi, *milites*

lites Dei, quorum magiſter erat tum Volquinus, eius ordinis ſecundus *r*). Contentionis materia erat capta armis prouincia. *Orta fuit*, ut Arnoldus pergit, *inter Dominum Epiſcopum, et fratres ſupra dictos, qui Dei milites dicuntur, quaedam inteſtina ſimultas, et mirabilis quaedam altercatio. Dicebant ſane fratres, ipſorum iuris eſſe tertiam partem totius gentilitatis, quam Dominus Epiſcopus, uel uerbo praedicationis, uel uiolentia expeditionis obtinere potuiſſet. Quod cum Epiſcopus omnino eis negaret, facta eſt inter eos grauis diſcordia, ita, ut multum contra ipſum in curia Romana laborarent, nec minus dominus Epiſcopus ſuam ſententiam confirmaret ſ*). Iterum quaeſtus pietatis cauſam reddebat, inter Chriſtianos nouos, ſuſpectam. Innocentius III Enſiferorum cauſam agebat denique, et tertiam Lettiae et Liuoniae partem illis uindicabat, quarum ratione quidem magiſter ordinis obedientiam ſpondebat, non tamen eam, quae onus ſeruitii, ſed, quae defenſionem religionis contra non Chriſtianos praeſtabat. Reliquas terras, quas extra Lettiam et Liuoniam tenebant, ſuo ſibi iure ſeruabant. Quemadmodum eam in rem, dicto paullo ante loco, differit Schurzfleiſchius, qui et Henricum Spondanum, non ſine cauſa, erroris arguit, titulum *Apoſtoli* Alberto tri-

r) C. S. Schurzfleiſchius de Ordine Enſiferorum diſp. XXII §. VI

ſ) Arnoldus L. VII c. VIII et IX

tribuentem, qui Meinardo, quem primum salutis inter Liuonos praeconem diximus, erat uindicandus. Sed, fortunam suam uix tot uicissitudinibus suffecturam perspiciens cum primis Volquinus, communicato cum sociis consilio, de concilianda Teutonicorum in Prussia Equitum gratia cogitabat, ut, coniuncti inter se, armis contra barbaros pugnarent. Quae tamen animorum pariter, atque armorum coniunctio post Volquini obitum ad exitum deducebatur, ab Gregorio IX Pontifice R. confirmata. Ratam quoque habebat Ordinis sententiam Pontifex idem, qua Albertum, eius nominis II Rigensem Antistitem V primum inter omnes *Archiepiscopum* nominauerunt, et Rigam non modo Liuonorum, sed Porussorum quoque caput et metropolin, communi omnium suffragio statuerunt. Schurzfleischios, post alios, multa et exquisita doctrina, testes aduoco, quorum alter pereleganti disputatione de Ensiferorum ordine Equitum Liuonorum fortuna, incrementa, et mutationes, alter, in Historia eorundum, ordinis huius magistros et praefectos ordine enumerauit, et multa diligentia rationes temporum obscuras expediuit. Emisit eam cIↃ IↃ CC I

CAPVT VII

Cupiditas lacessendi rei Christianae in oriente hostes animos etiamnum incessebat,

bat, quam alebet puerorum concurſus, qui ſpiritu quodam diuino, ad bellum nouum, contra illos ſuſcipiendum, excitari putabantur. *Circa id tempus* (anno ſeculi duodecimo, ut definit Albertus Stadenſis) *pueri ſine rectore, ſine duce, de uniuerſis omnium regionum uillis et ciuitatibus, uerſus tranſmarinas partes auidis greſſibus cucurrerunt, et dum quaereretur ab ipſis, quo currerent, reſponderunt, Verſus Ieruſalem, requirere terram ſanctam. Plurimi ex eis a parentibus claudebantur, in uanum tamen, quia, fractis clauſuris, aut parietibus exilierunt. Papa, auditis his rumoribus, ingemiſcens, ait, Hi pueri nobis improperant, quod ad recuperationem terrae ſanctae eis currentibus, nos dormimus t*). Godefridus, Colonienſis, alios in ſyluis aeſtu, fame ac ſiti periiſſe, alios in Italiam ingreſſos, ab Longobardis ſpoliatos ac repulſos, cum ignominia rediiſſe, docet ad An. CIↃ CC XII Eodem, opinor, haud dubie reſpicit Trithemius, quando, utriuſque ſexus, et aetatis cuiuſuis, ſine diſcrimine homines eodem ſuſcepiſſe iter, memorat, qui rerum omnium inopia coacti, partim reuerſi domum, re infecta, imprudentiae ſtultitiaeque cauſam prodere ipſi auſi non ſunt, partim fame perierunt, partim in manus hoſtium peruenerunt, temeritatiſque poenam tulerunt *u*). Ex Alberto Stadenſi cognoſcas, ſpiritu quodam

t) p. CCC

u) Chron. Hirſaug. ad An. CIↃ CC XII, p. CLXX

dam uertiginis in hanc ſententiam fuiſſe hos belli comites adductos.

CAPVT VIII

Nihil ea re moti Pontifices, cum primis Innocentius III et Honorius III nouos, pro recuperanda Chriſtianorum in Oriente libertate, milites crucis ſigno ornabant, atque alter, ut ſine mora ſuſciperent iter, monebat eos, ſed, cum differretur longius, Fridericum, eius morae cauſa, ſacrorum ſocietate excluſum, denuo ſignificabat Gregorius IX ac ne tum quidem, cum eo excurreret, his uinculis liberabat, ſed, quo ſucceſſu, Albertus Stadenſis et Godefridus, monachus Colonienſis, diffiteri non poſſunt, ad An. cIↄcc xxiix et cIↄ cc xxix tum Trithemius ad An. cIↄ cc xv xvii xxiii xxvii xxix Sed tamen Fridericus nihilominus eo in bello nouum fortunae benignioris indicium habuit, tametſi Pontifex aliter cuperet, ſentiretque, quod, praeter ſcriptores illos docet Chriſtoph. Lehmannus *x*).

CAPVT IX

I*udaei* etiamnum, ſedibus ſuis turbati, calamitatibus afficiebantur, annitente ruſtico, homine pertenui, cui *Rintfleiſch* nomen erat, qui,

x) Chron. Spirenſi L. V c. LXXIIX

qui, diuinitus, ad extinguendum Iudaeorum genus omne, commonefactum se, clamitabat. Ac Norinbergae uaticinio ciuium animos cepit, adeo, ut igni perderet Iudaeos, urbem quoque penitus perditurus, nisi Albertus I Austriacus, rex Germanorum, ferociam compressisset. Rintfleischium enim depulit inde, et ciues, qui consenserant, pecunia multauit *y*). Causam seditionis, quae alias quoque ciuitates, VVirceburgum, Rotenburgum corripuit, et Franconiam foedauit, eam fuisse, ait Henr. Stero, quod Iudaei *corpus Dominicum in mortario contuderint.* Quae suspicio bellum tantum et tam subito conflauit *z*).

LIBER XII

DE

HVMANIORIBVS LITERIS.

CAPVT I

Perturbato reip. statu, et maxima patriae calamitate, mirum non est, inclinasse literas, quae, fatali rerum conuersione,

ne,

y) Annales Australes ad annum cIↄ CCXCVIII p. CCCXLI T. I Freheri.

z) Chron. Altahense, ad annum cIↄ CCXCVII p. CCCCII T. I Freher.

ne, mutationes pariter subibant maximas, cum quidem alias uis Martis quietem interrumperet, alias barbara Scholasticorum cohors in musarum elegantiorum infusa fines, animos et monumenta turpissime foedaret. Quanta *Theologiae Scholasticae* opinio fuerit, uel hinc colligas, quod Albertum, Antistitem Ratisponensem, industrium illius statorem memorabili *magni* nomine cohonestauerunt. Quanquam alii, haud dubie ob nimium Philosophiae Aristotelicae amorem *Simiam Aristotelis* nuncupauerunt *a*). Cui Alberto laudes decernant alii, literarum humaniorum existimatores parum laudis tribuunt, non ignari, eum limpidos doctrinae fontes summopere turbasse. Quare, cum huc usque, aliquot, in eloquentia dignitatem inesse, existimauissent, nunc demum rudere potius, quam eleganter scribere, et loqui, malebant. Vnus Fridericus II imp., complurium linguarum, Graecae, Romanae, Germanicae, Italicae, Gallicae et Turcicae peritus, atque bonarum artium, et, qui ornare eas uoluerint, fautor insignis et imitator celebratur *b*). Sed quae cognitionis eius praestantia fuerit, is demum intelliget, qui seculi eius conditionem penitus perspectam habet.

a) Annales Corbeienses, ad annum cIↃ CC LVIII p. CCCCIII Syntagm. Paulin.

b) Iac. VVimphelingius Epit. rerum German. apud Sim. Schardium T. I Script. Germ. p. CLXXXIV et Lehmannus Chron. Spir. lib. V c. LXXIIX

CAPVT II

In curia linguae Romanae notitia et usus plebeiae consuetudini adhuc praeferebatur, nec alia nunc erat, quam superioribus seculis, quod ex tabulis in aula Friderici ipsius confectis patet c.)

CAPVT

c) Ipsas literas nulla commendat elegantia, eas etiam, quas ab Friderico II imp. editas habemus. Sic, exempli causa in tabulis anno cIↃ CCXXXIX aulae R. purpuratos candelabra ecclesiae uocat, apud Albertum Stadens. p. CCCX Ridiculum est, quod ad An. cIↃ CCLXXIV affert Cl. Paulinius Syntagm. rerum German. p. CXCII Et quidem, quod studiose repeto ex Chron. Hüxariensi apud „eundem, p. LIV ad an. cIↃCCXXIV Reu. Dom. „Pater. In excelso statis, ut inferioribus faciatis bene. Nouerit ergo Paternitas uestra, parochiam in Amlunchsia adhuc uacare, cui si me „praeficitis, Deo gratum erit. Est enim patria „mea. Et debetur mihi praesellentia de iure. „Cogitate igitur, sicut scriptum est; Episcopatum „qui desiderat, bonum opus desiderat. Et Pastoratum qui confert, bonum opus facit. In Latinissimo quidem non sum magnopere uersatus, sed „hoc nihil ad religiositatem. Apostoli nec latinistae, nec Courtisani erant, et tamen boni magistri. Ego praestanda praestabo docendo, declamando, monendo, culpando, uigilando, famulando uiuis et defunctis, quae requiritis a „religioso Pro retributione beneficii Vobis et „S. Vito, Patrono meo unico, uotum feci, ut „singulis annis in festo eius habeatis candelam „cereaceam ad duo talenta, et decem missas in „anno, quousque missas cantare possum, quinque pro S. Vito, et quinque pro Paternitate uestra. Dat. Amlunchsiae anno cIↃ CCXIV

CAPVT III

Eloquentiae gloria fuperftes eft *Petrus de Vineis*, fiue patria VVeingartenfis, fic enim oppidum iftud uocatur e. c. in Fundationibus monafteriorum quorundam Germaniae, per monachum Benedictinum collectis *d*), quando *coenobium de Vineis* a Guelphone III Altorfenfi Comite, conditum refert. Is Friderico II a confiliis erat, et, editis epiftolarum libris VI reliquis, qui celebrantur, fcribendi facilitate palmam fane dubiam reddidit *e*). Ad politioris doctrinae cultores reuocant ALBERTVM, Lauginga Sueuum, propter eruditionem, in omni genere praeclaram, *magni* titulo, ut praediximus, immortalem. Is enimuero in facrarum literarum cognitione, atque *feculari Philofophia*, ut loquitur Trithemius, *nulli fuo tempore fecundus*, difcendi cupiditatem in omni uita fanctiorem habuit, adeo, ut, pofthabito Antiftitis Ratifbonenfis munere, quo ornatus fuerat, ad Vbios reuerteretur fuos, atque in his otio magis, quam negotiis reip., delectaretur, et quod reliquum uitae fuit, confumeret, mortuus ann. CIↃCCLXXX aetatis item LXXX Praeter Philofophiam Ariftotelicam, quam uoce et fcriptis illuftrauit, *rei Grammaticae* operam

d) p. CCLXXV edit Mader.
e) ita refert Trithemius Catalogo Virorum Illuftr. p. CXXXIX

operam commodauit ſuam, et *Rhetoricen* illuſtrauit. Quamuis non adeo praeclaram laudem tulerit ab eximiis dicendi magiſtris, tamen ſtupenda illa opera, quam praeferebat, omnes in admirationem conuertit, et nominis celebritate exteros inuitauit, ut Theologum et Philoſophum ſummum in eo colerent ac uenerarentur, alii, quia in naturae uim altius penetrauerat, ab alio quodam ſpiritu duci, putarent. Contra quos defendit eum, atque ab calumniis liberum pronunciauit Io. Trithemius de Viris illuſtribus *f*), quo in loco ad extremum ita de eo ſentit, *Non ſurrexit poſt eum in omnibus literis, ſcientiis et rebus uir tam doctus, eruditus, et expertus in ordine illo.* Quod iudicium de Alberti ſeculo ualet tantummodo, et Trithemii admirationi primas defert. Reliqua, quae confecit, ſcripta recenſet ibidem, et de *Scriptoribus Eccleſiaſticis g*). Is uero ut *Theologiae Scholaſticae* propugnator inter Germanos princeps erat, ita alios, ut Ariſtotelem admirarentur, ſua auctoritate excitabat. Ex quibus Thomam Aquinatem, qui Albertum Coloniae Vbiorum ſedulo audiuit, elogiis ſummis ornat Trithemius, ita, ut, laudaturus Albertum, Thomam ſine laude praetermittere non queat.

CAPVT

f) p. CXLI

g) p. CCXCII plura eruditorum de eo iudicia collegit Reimannus L. II p. CCVII

CAPVT IV

I

Non adeo multi sunt, qui *poeticen* ornarunt hoc seculo, ut adeo de pristino dignitatis gradu plenius deiiceretur, miseriis patriae nescio, an superstitiosa ueneratione Theologiae Scholasticae, quum, annitente Alberto M., monachi in his quisquiliis aurum inesse, putarent. Hinc eadem fere pangendi quidem carminis ratio seruata, at deprauata etiam, fuit, quod ex monumento Adolphi Nassouii patet, quod, quia ipsi Germaniae regi positum est, reliquis palmam praerepturum, quis putet? Est vero istud e monasterio Frovvenfeld, in quo sepultus est, ab Alberto Argentoratensi ad An. CIϽ CCXCVIII *b*) relatum, ut sequitur,

Anno milleno, trecentis bis minus annis
In Iulii mense Rex Adolfus ruit ense,
Per manus Austrani, Processi et Martiniani.

Simile huiusmodi reperias apud Albertum Stadensem ad an. CIϽ CC XLVI *i*). Vnum affert Io. Georg. Leucfeldius, eumque lingua Germanica poetam clarum, *Euerhardum*, de quo infra dicendi occasio erit. Ceterum et istud singulare ex hoc seculo commemoro, quod rhythmi Germanici, uersibus Latinis con-

b) in Chronico, p. CX T. II Vrstis.
i) p. CCCXVII

conmixti, nouam poetices uicissitudinem prodiderunt.

II

Omnium huius seculi famam carmine superat, M. IVSTINVS, Lippia, VVestphaliae oppido, ortus, qui Historiam Comitum Lippiensium a Bernardo II ad III eiusdem nominis, et Simonem, Antistitem Paderbornensem, perscripsit carmine, quod inscripsit, *Lippiflorium*, siue *Lippiflorigerum librum*, ut in carmine ipso loquitur, ad extremum. Simonis in disciplina, ut ipse in carmine testatur, fuit, eiusque patrocinio nititur. Atque Io. Piederitius, ab eodem Simone, refert, muneri sacro praefectum *k*). Scripsit uero carmen, ut idem testis Piederitius est, Anno CIↃ CCLX ab alio in Saxonicam linguam, seculi XV anno LXXXVII translatum, sed a se haud uisum, refert H. Meibomius, nepos. Sed, quia eodem tempore uixit Iustinus aliquis, monachus Dominicanus, *cui in synodo XXII generali, Bononiae, sub Ioanne Teutonico acta, An. CIↃ CC XLII demandata fuit prouincia D. Dominici uitam describendi*, eumque a nostro distinxit Vossius *l*), Christop. Sandius dubitare coepit, iidem, an diuersi essent, Meibomius, diuersos, iudicat, in prooemio ad nostri *Lippiflorium m*). Ipsum uero carmen tam

k) Chronico Lippiensi p. CCCCLXXXVII
l) L. IV c. VII
m) T. I p. IↃLXXVI seq. ubi ipsius extat carmen. adde Vossium de Histor. Latin. L. II c. LIX

tam eſt elegans et politum, ut, meliori aeuo uixiſſe, putes, niſi, interdum ad genium ſeculi delabatur. Elegantia proximum a Gunthero, qui Friderici I res carmine cecinit, putat, nec immerito, Henr. Meibomius ſen. in prooemio ad Herm. Lerbeccii Chronicon comitum Schauenburg. *n*). Nemo autem principio carminis miretur, quando, poſt Virgilii et Ciceronis, *Summi Ariſtotelis* ſibi ingenium optat, propterea quod conſtat maximo, iſto quidem tempore, Ariſtotelem honore habitum fuiſſe. Iuſtini Lipienſis meminit VViſſelbeccius *o*).

III

Paucis hic agimus de TIDERICI LANGII, *Canonici* Eimbeccenſis et Goſlarienſis, *Saxonia*, de cuius aetate nihil quidem prodidit memoriae Io. Henr. Meibomius, ſed, quia in Friderico II ut apparet, ſubſtitit, his annumero. Eo uſus eſt Teodoricus Engelhuſius, uocauitque alias *Longum* et *Langum*. Ipſo carmine, quod perexiguum eſt, et nulla cauſa commendari meretur, cecinit Saxonas reges, non tamen omiſſis aliis, Saxonaſque a ſaxo, et ex longinquis terrarum regionibus, fabula illa aeuo medio ſolenni, deducit. Laudat flumina, commerciis importandis apta, et piſcibus referta, agrorum bonitatem, au-

n) p. CCCCXCIV T. I. Script.
o) in Chron. Hüxarienſi ad Annum cIↃ CCLX apud Paulin. Syntagm. rerum Germ. p. LX.

ri argentique uenas, aues, ita ut attigiſſe potius omnia Saxoniae ornamenta, quam perſcripſiſſe, uideatur. Accedere illis uidetur, qui leonem ab Henrico Leone in Saxoniam ex Oriente allatum, fabula peruulgari, effinxerunt *p*). Edidit una Io. Henr. Meibomius cum Henrico Roſla, repetiitque Henricus, filius parte I ſcript. Germ. in fine.

IV

Ad hoc ſeculum pertinet HENRICVS ROSLA, patria Nienburgenſis, et Henrici Mirabilis, Alberti Magni Brunſuic. fil., aequalis. Quod ipſe, relicto de bello ad *Herlingſbergam*, quam, hereditate ſua non contentus, fratribus eripere Henricus audebat, cum Ordinibus Saxonicis CIↃ CC LXXXIV commiſſo, poemate, prodit ad extremum, ſe cognominem Henrico, cuius uicem deplorat carmine, *Nienborg* natum, cognomine *Roſlam* uocari. Vtrum uero ex nobili militum de *Roſla* fuerit familia, quae clara olim fuit, incertum eſt. Ceterum poeta, non infelix ingenio, incidit in tempus, quo ornari et perpoliri non poſſet. Imitatur Virgilium, Horatium et plures. Vſus eo aliquando eſt Theodoricus Engelhuſius, nec diffitetur *q*). Librarii incuria et ignorantia commiſſum accepimus, quod minus integrum ubique comparet.

p) p. IↃCCC XII

q) in Chron. p. CIↃ CXXII T. II Leibnit. et, in coenobio Valcenredenſi ſuperfuiſſe, teſtatur.

paret. Titulum uero ei, cum, deesse, intelligeret Henricus Meibomius, auus, inscripsit *Herlingsbergam*, ab loco, in quo pugna est commissa, atque in animo habuit, edere illud, sed, morte interceptus, reliquit filio Io. Henrico, qui primus An. CIↃ IↃ CLII ex manuscripto emisit, notisque eruditissimis sane ornauit. Sed, cum, auaritia bibliopolae, pauca impressa tum essent exempla, citiusque dispersa, multique hinc frustra quaererent, Henricus Meibomius, Io. Henrici fil., et Henrici nepos, inseruit *r)*, ita, ut a parente antea fuerat notis illustratum *s)*.

CAPVT V

I

Historiae dignitas stetit etiam, et pristino nitore floruit, in coenobiisque, monachorum scholis, uiguit, qui excolere eam non desinebant, iucunditate eius et amoenitate, opinor, adducti. Apud Corbeienses Ditmarus abbas cum P. Mauro tempus, quod ab sacris occupationibus uacuum erat, in historia impendebat, et rebus in patria olim gestis diligentius peruestigandis *t)*. Atque ex historicis nonnullos habemus, qui memoriae temporum consulere tentarunt. Huc

 per-

r) Tomo I Script. Germ.
s) p. IↃ CCLXXII
t) V. Annales Corbeiens. ad an. CIↃ CCVI p. CCCXCIX

pertinet MONACHVS *ille* EGMONDANVS, qui CHRONICON BELGICVM ab Anno IↃCXLVII usque ad annum CIↃCCV reliquit. Monachum Egmond. esse, ex membranis Petri Scriuerii coniicit Vossius, qui etiam ad hoc seculum refert propterea, quod in fine Chronici ita desinit, *Alia, praeter haec si forte superuenient, quae ad praesens negotium spectant, alterius executioni permittimus.* Post curam Andr. Schotti, quae, operarum incuria, omnes spe destituit, maiorem accurationem, adhibito coenobii Egmondani codice peruetusto, restituit, eumque cum monachi comite, *Guilielmo Procuratore*, qui illius Chronicon continuauit, emittere uoluit Petrus Scriuerius. Sed utrum spem impleuerit, incertum est *u*). Non equidem huc usque tam felici esse licuit, ut uiderem Schottianam illam Egmondani Editionem, tamen, quia neque initium Nussiensis cum Egmondano conuenit, neque ita, ut Vossius obseruauit, apparet in Nussiensi, cohibere liceat consensum. Monachi, uel, ut Leibnit. in praefat. Part. II Accession. Historicar. *Canonici*

u) Reimannus Introd. in Hist. liter. Germ. p. CCCLXXIX Cl. Burc. Gothelff. Struuius uerba Vossii de Hist. Lat. L. II c. LV p. CCCCXLVI de auctore, Io. Nussiensi, monacho, Chronici Belgici magni, quod in T. III Io. Pistorii superest, intelligit, in Biblioth. Hist. c. VII §. I p. CXVII Cetera distinguit Vossius et de Belgico magno refert L. III c. VI p. IↃLXIX

nonici Nuſſienſis aetas cecidit in ſeculum XV et Chronicon Belgicum magnum uſque ad an. CIↃ CCCC LXXIV ex aliis Chronicis, quorum tamen ſemper meminit, collegit, auctoreſque in rebus antiquiſſimis, et multis ante ſeculis geſtis, nouos pleroſque affert, in primis Sigebertum, Albericum, quem praecipue ducem ſequitur, VVernerum, Roleuinccium in Faſciculo temporum, Gobelinum Perſonam, cuius monumentum ſepulcrale *x*) Boedekenii eſſe, teſtatur, et poſt complures alios *Magiſtrum Emundum*, cuius etiamnum meminit ad annum CIↃ CCCC XXI Quem non monachum Egmondanum illum eſſe, temporum ratio euincit. Itaque haec eis expedienda relinquo, qui monachi Egmondani Chronicon ex editione Schottiana in manibus habent.

II

GERARDVS, *Praepoſitus* STEDERBVRGENSIS ſeculi quidem ſuperioris res, cum primis, Henrici Leonis in literas retulit, attamen quia CIↃ CC IX deceſſit, ad ſeculum XIII referre malunt. Interfuit ille rebus, quae geſtae ſunt inter Imperatorem Fridericum et Henricum L., et pacem utrinque componere elaborauit, moleſtiarum, calamitatumque, quibus ipſe affligebatur grauius, pertaeſus. Quod ipſe teſtatur in *Hiſtoria Henrici L.*, quam Henricus Meibomius, ſenior,

x) p. CCCLXI

senior, notis eximiis illustratam edidit, ope et auxilio *Henricii Hensyckii*, coenobii eiusdem *Praepositi*, qui istam liberaliter subministrauit. Post uero Henricus, nepos, suis operibus inseruit *y*). Initio fuit *Cellarius* in monasterio Richenbergensi, quod uulgo Reiffenbergense uocatur, anno autem CIↃ C LXIII *Praepositus* Stederburgensis electus est, ut memoriae proditum est in Chronico eiusdem coenobii, quod inde ab anno CIↃ I usque ad annum CIↃ C LXXX omisso tamen nomine, deduxit Gerardus, repetiitque hinc Meibomius senior, qui pauca, quae de eo retuli, annotauit *z*). Istud animaduerto, Historiam de Henrico L. maiori studio, quam Chronicon, constare, atque existimo, eum sibi potius, quam aliis, quae de isto monasterio nunc extant, scribere uoluisse. Henricus Meibomius descriptum, sed et imperfectum edidit Gerardum, quem God. Guil. Leibnitius restituit, ex tabulario Guelferbytano, cui copia manuscripti, quod praestat, facta est *a*). In eo, quae distincta in Meibomio sunt, coniuncta hic apparent, ita, ut in Chronico historia de rebus Henrici L., quas ad extremum gessit, simul, et uno adeo libro contineatur. Vtrumque opus multo est locupletius

y) Tomo I p. CCCCXXIIX Videatur p. CCCCXXXIII seq. ubi, quae diximus, Gerardus ipse refert, addatur Bangertus ad Arnoldi L. IV c. III

z) l. c. p. CCCCXXXVI

a) t. I Script. Brunſ. num. LX

tius, et tabulis refertum, atque ad annum CIↃ CCCXIX ab alio quodam, prolatum.

III

Ad feculum XIII remittit Leibnitius *Chronicon paruum ecclefiae SS. Simonis et Iudae Goflarienfis cum recenfione reliquiarum*, quamuis definat in aufpiciis regni Henrici V anno quidem CIↃ C VI Eius fide faepius eft ufus uir meritis fummus, Io. Mich. Heineccius in eximio rerum Goflarienfium, quod edidit, opere, atque, ut ipfum quoque ab interitu incolume confifteret, libenter God. Guil. Leibnitio, ut in uulgus ederet, fubminiftrauit, ex membrana defcriptum. In rebus antiquis, et ab fua aetate remotis, errat, in rebus proximis breuius eft, in domefticis tamen, et Goflarienfibus fidem meretur, quamuis reliquias diuorum diligentius, quam cetera, expofuiffe deprehendatur *b*).

IV

Hoc feculo ineunte fcripfit, uel potius Eccardi iunioris *de Cafibus monafterii S. Galli* inftitutum continuauit BVRCARDVS, monachus eiufdem coenobii, fubftititque in Henrico Klingio, quem a Philippo, Germaniae rege, abbatem conftitutum, docet. Vdalrici Tegerfeldii, qui Friderici I tempore uixit, res fe oculis fuis uidiffe, teftatur *c*). Vt adeo aetate fenior fcripfiffe uideatur. Quod autem

b) Extat T. II Leibnit. num. XLIV
c) c. X

autem breuior sit in rebus conquirendis, excusatione in prooemio indicat, quando maiores negligentiae in Abbatum uitis accuratius exponendis arguit, existimans, plura memoriae digna praestitisse, quam ad posteros delata fuerint. Goldastus, qui T. I Script. Aleman. edidit, auctorem in quatuor, quos habuit, codicibus, non additum, aduertit. Ad finem Eccardi iun. haec tantum uerba uidit, *Finit Ekkehardus, incipit aliud praeloquium de Casibus*. Vnde, alium fuisse post Eccardum auctorem, potuit coniicere. Accessit consensus exempli, quod habuit ab Ioach. Vadiano, in quo adscripta uidit, *Incipit Burckhardus*. Atque hinc eundem agnouit ipse auctorem, licet nondum planius, ab quo haec uerba praescripta fuerint, constaret. Ceterum in fide Burcardi nihil desiderat, nec industriam improbat, sed collaudat. Iterum, ubi Burcardus desiit, coepit *Conradus de Fabaria, presbyter Canonicus* in eiusdem coenobii templo S. Othmari, et eodem hoc seculo adulto, anno quidem, ut Goldastus annotat, XL. Is eodem ordine abbates aliquot recensuit, et indicem eorum, perbreuem tamen, subiecit. Atque ita extat dicto Goldasti opere, et alia quaedam.

V

Friderici II tempore uixit CAESARIVS *Heisterbacensis* non a patria, quae incerta est, sed ab coenobio Vallis S. Petri, quod ibi in dioe-

dioecesi Coloniensi est, non procul a Bonna, ita cognomine appellatus. Vnde coniicit Leibnitius in Vbiis natum. Anno cIↃcxcIx primarius ibi monachus est constitutus. Multis, quos Leibnitius recenset, libris memorabilis extitit, in his numeratur Vita *S. Engelberti*, Antistitis Coloniensis LI ab Surio primum edita, deinde ab Aegidio Gelenio notis illustrata. itemque *Vita S. Elisabethae Landgrafiae*, precibus, ut ipse testatur, fratrum domus Teutonicae. Tum *libros XII illustrium miraculorum, seu historiarum memorabilium*, sed ex ipso scribendi modo, quo colloquii rationem delegit, facile intelligas, quae historiae accuratio et dignitas appareat. Quare illustris Leibnitius remotis seculi ineptiis, res praecipuas selegit, et *Excerpta historiarum memorabilium* dedit T. II Script. Brunsuic. *d*), quia multa, cum de Henrico Leone, eiusque posteris, tum aliis, non contemnenda commemorauit. Desinit in anno cIↃccxxII

VI

Praeclarum antiquitatis Saxonicae monumentum est CHRONICON MONTIS SERENI, siue, *S. Petri* iuxta Halas Saxonum, quod, quia incipit ab initio coenobii conditi, sigillatim anno cIↃcxxIv definitque in anno seculi XIII quinto et uigesimo, colligere licet, uixisse hoc ipso seculo auctorem. Aliud

d) num. XLII Vid. Vossius de Hist. Lat. L. II c. LVII

Aliud etiam suspicandi argumentum praebet ipse in prooemio, cum praeter schedulas, et diplomata, quae magno studio collegit, se, ait, ex seniorum sermone multa, quae ad prima coenobii tempora pertinerent, habuisse. Verba eius haec sunt, *Seniores autem, qui, quod de his uerum erat, scire poterant, et quorum dictis grandaeuitas fidem faciebat, principio huius narrationis auctores habui.* Reliqua, quae ab Ottone I usque ad annum CIↃ CXLIV in codice Meibomiano addita sunt, ab alio quodam auctore, cuius nomen pariter ignoratur, addita uidentur, et notitiam clarissimorum, et illustrium Saxoniae principum complectuntur *e*). Vossius eidem tribuit, sed, quantum intelligo, non plane explorata de hoc Chronico habuit, quae nunc, beneficio Maderi, habemus. Nam, quod coniicio, *Chronicon* et librum *de fundatione Lauterbergii* distinguit, cum tamen ipso eodem Chronico fundationem coenobii Lauterbergici sit complexus. Quinam uero auctor, et quod ei nomen fuerit, ambigunt scriptores. Georg. Fabricius perpetuo sub *Conradi, Presbyteris Lauterbergii,* nomine laudauit. Vidi ego aliquando *Chronicon Veterocellense* manuscriptum, quo usus ille est, et uerbis, ad oram positis his, ita distinxit, *Hoc Chronicon, quod sequitur, impressum habetur, et inscribitur, Die Mesnische Chronica, sed re uera Vetero-Cellense est,* et

e) Vid. p. CCI sequ.

et e Latino translatum, et magna ex parte sumptum e Conradi, Presbyteri Lauterbergii, *seu* Montis Sereni *libro, qui de Ducibus Misnensibus scripsit diligentissime, ab anno Christi clɔ CXXIV usque ad annum Christi clɔ CCXXV quod integrum apud me extat.* Idem existimauit Petr. Albinus, attamen, ut eruditissimus Maderus annotauit, cum aliis distinxit Conradum Lauterbergium ab auctore et Chronico Sanpetrino. Atque hinc suspicio orta est, monachum coenobii sua ex Conrado deprompsisse, neque obstare illud, quod, se omnia collegisse magna industria, narrat. Ipse auctor, ut locupletaret annales, non substitit in enarrandis coenobii sui rebus memorabilibus, sed reliquas etiam, quae aetate cuiusque imperatoris sunt gestae, attingit. Atque idem ille, post Ditmarum, et monachum Gozecensem, antiquissimus rerum Misnicarum testis merito appellari debet. Praeterea de Turingicis, Lusaticis, et pluribus, finitimisque gentibus, multa retulit in annales, eumque in percensendis eis secutus assidue est Georg. Fabricius in Saxonia sua, et annalibus Misn. Atque, ut accepimus supra, habuit idem Fabricius codicem manu exaratum, eumque, uti ex Madero intelligimus, a Freheriano, diuersum. Nam fatetur Maderus, in Fabriciano referri quaedam, quae in Freheriano minus reperiantur. Itaque latet Fabricianus ille Freherus, Hein.

Gg Mei-

Meibomio, auo, edendum tradidit ſuum, poſtquam cognouerat, moliri illum integrum Tomum *illuſtrium Saxoniae ſcriptorum*, uti extat eam in rem ipſius Freheri ad Meibomium, auum, epiſtola, ab nepote huius T. II rer. Germ. inſerta. Sed Meibomius, ſenior, morte impeditus, nec Chronicon hoc, nec integrum uolumen illud ſcriptorum Saxonicorum emiſit. Ac magno illo, fatalique Germaniae bello, An. CIↃ IↃ CXXV Brunſuicum, cum pluribus aliis, etiam manu exaratis, libris delatum eſt, atque amiſſum. Quem uero deſcripſerat ab Freheriano illo codice, ab interitu liberauit Io. Schvvarzkopfius, aulae Guelficae Conſiliarius, deditque Ioach. Io. Madero, in uulgus edendum. Edidit etiam Helmſtadii CIↃ IↃ CLXV elegantique prooemio ornauit. Haec refero ex Hen. Meibomio, Henrici nepote *f*).

VII

Eodem pertinet, quae a Madero una etiam eſt conſeruata, FVNDATIO COENOBII BIGAVGIENSIS, quod Pegauiae, ut nunc ſcribi ſolet, ad Eliſtram, fl., in Miſnia floruit. Auctor, quiſquis fuerit, incipit a Vicperto, Comite Groicenſi, et Marchione Luſatiae, eius conditore. De quo Ioach. Io. Maderus ita, *Fruſtra tot labores, tot pericula adiiſſe potuiſſet credi, niſi hunc uirtutum ſuarum*

f) Tom. II Script. Germ. p. CCCLXXI CCCLXXII

suarum praeconem nactus fuisset coenobitam Pegauiensem g). Vixit uero Vicpertus ille exeunte seculo X et ineunte XI constructumque ab eo coenobium solenni ritu consecratum est an. CIↃ XCVI *h*). Maderus, auctorem, existimat, Chronicon Montis sereni in compendium redegisse. Suspicionis causam praebet ipse auctor, quando scribit, *Incipit Collectum ex libello super nominato.* At in prooemio nullius libelli fit mentio. Alias laudat *Chronicon Episcoporum Magdeburgensium* ad An. CIↃ CXV *i*), item ad an. CIↃ CXXIV *k*) *auctorem*, ex quo mutuatus est, quae de fortunis Vicperti affert. ad An. CIↃ CXXXVI *Chronicam Slauicam l*) haud dubie Helmoldi, qui de Lotharii, Imp., rebus copiosius scripsit. Ab anno CIↃ CLI usque ad an. CIↃ CCXII in quo finit, breuius omnia, quam antea memorauit. Maxime ad annum CIↃ CLXXVII quo de Vicmanni, Antistitis Magdeburgici, et Philippi, Coloniensis, bello, quod intercessit eis cum Henrico L., exponit, in Bernardi Anhaltini conatu subsistit, *cetera*, quae solennis formula tum quoque fuit, addit, lectorem ueluti delegaturus ad librum, ex quo haec retulisset *m*). Atqui hoc ipsum, quod constat,

 plenius

g) in praef. p. XIX
h) V. Chron. p. CCXLVIII
i) p. CCLIV
k) p. CCLVI
l) p. CCLIX
m) p. CCLXII

plenius Chronicon Montis Sereni enarrauit. Primum edidit R. Reineccius Francofurti CIↃ IↃ LXXX sed imperfectum. Itaque hoc ipsum cum *Continuatoris*, ab illo praetermissi, *Epitome*, Chronicon montis Sereni, ex uete-ri manuscripto codice adiecit Ioach. Io. Maderus. Quanquam, et quaedam epitomes periisse, ex supremis uerbis, quae per alium ei, quo usus est, codici addita fuerunt, intelligere se potuisse, refert Maderus *n*).

VIII

Tum uero post *Conradum*, monachum Schirensem, *Henricum*, Comitem Calbensem, et Abbatem Augiensem, quos affert, at breuiter, Ger. Io. Vossius *o*) memoria dignus est CONRADVS, nobili LICHTENAVIENSIVM genere natus, *Abbas* in monasterio dioeceseos Augustanae ad Mindulam *Vrspergensis*, cui tribuitur auctori *Chronicon*, quod incipit a Belo, primo Assyriorum rege, et in Friderico II definit maxime seculi huius anno CIↃ CCXXIX Sed, laborem hunc non unum praeferre auctorem, dudum suspicati sunt Historici clarissimi, Ger. Io. Vossius, Andreas Bosius, et Casp. Sagittarius. Primus, auctorem fuisse monachum, eumque Germanum, qui Bambergae in fine seculi XI *p*) et

n) V. Leuckfeld Antiqu. Burschfeld c. III p. CXXIII seq.

o) L. II c. LVII

p) Non X ut perperam in Andr. Bosii Notitia Scriptorum Hist. Vniuers. §. XX p. CLXXXVII ·m

et initio XII uixerit, coniicit ex eo Bosius, quod in Anno CIↃ CVI substitit codex, quem habuit uetustiorem. Alius uero, qui in bibliotheca Ienensi fuerit, desinat in anno seculi XII octogesimo quarto. Supplementum istud annorum LXXVIII (non uero LXXVI ut in Sagittarii Introd. in Hist. Eccl. q) operae impresserunt,) ab anno scilicet CIↃ CVI usque ad annum CIↃ CLXXXIV ab alio quodam monacho, eoque, ut Bosii uerba intelligo, itidem Bambergensi, adiectum, ille putat. Atque, interfuisse CIↃ XCIX expeditioni Godefridi Bullionis in Palaestina, itemque An. CIↃ CII Romae, cum Henricus IV a Paschale II sacris excluderetur, ipse refert. Plures huiusmodi suspicandi causas collegit

 Vossius

pressum est. Bosius docet, pleraque, immo fere omnia, quae a Christo nato gesta sunt, legi totidem uerbis in Chronico Conradi. Atque hinc coniicit, idem esse Conradi Chronicon, quemadmodum Vossius existimauit. Vtrum uero sit diuersum a Chronico Schvvarzachensi, quo Marqu Freherus et Melch. Goldastus sunt usi, quodque in anno cIↃ C XXVI desinere, atque in Heidelbergensi bibliotheca, et augusta Guelferbytana extare testati sunt Ericus Mauritius et Hermannus Conringius, affirmare dubitat fere, quia in eo non reperit, quae in Schvvarzachensi adducta et scripta laudauerunt Goldastus et Freherus. Plura quidem et accuratiora pollicetur Sagittarius, se in *Corpore* suo, quod molitus est, *Historicorum Germaniae* de hoc etiam Chronico ex pediturum, sed, morte praematura interceptus, perficere coepta minus potuit.

(q c. IX §. XVI p. LXIV

Vossius de Hist. Lat. r). *Haec sane*, ait Vossius, *immutare debuerat Abbas, cum de se scribere haec non potuerit, qui seculo post floruerit.* Nam anno CIϽ CC II scribit, se presbyterum factum, triennio, uel quinquennio post religionem professum, anno autem seculi quinto decimo abbatem Vrspergensem constitutum. Sagittarius obiisse Conradum CIϽ CCXL refert. Ex quibus colligi potest, chronicon istud plures agnoscere auctores, quorum quisque sui seculi et plurium, potissimum initio, res memorabiles notauit. Illi uero, qui post uolumen integrum ab aliis distinguere uoluerint, uni Conrado, qui auxit duntaxat, proprium esse, dixerunt, ut maiorem libro auctoritatem a uiro laudato et claro aucuparentur. In ipso autem opere tribuere aliis etiam, quae sibi tribuerunt auctoribus, obliti sunt. Auctorem primum Hieronymi Chronicon, ne omissa quidem praefatione, paucis tantum mutatis, descripsisse, Bosius animaduertit. *Sed, utcunque ista sint*, Vossius ait, *est opus non aspernandum. In rebus Germanicis sui aeui, et seculorum, quae proxime antecedunt, habet, quae magno cum fructu legantur.* Primum exiit, cura Conr. Peutingeri, IC., An. CIϽ IϽ XV Cum uero accuratio neglecta videretur, Ph. Melanthon auctor fuit Cratoni Mylio, typographo Argentoratensi, ut nouam curaret. Praestitit hoc, et

r) L. II c. LVII p. CCCCLXI

:t felicius quidem, cum haberet duos codi-
:es manuſcriptos, alterum ex Io. Dalburgii, Antiſtitis Vormatienſis, bibliotheca, alterum :x D. Auguſtini coenobio, quod apud Ar-
;entoratenſes florebat. Adiutus opera Caſp. Hedionis, qui ab anno etiam CIↃ CCXXX (non ıero CIↃ C XXX, ut in Sagittario iterum legi-
ur) uſque ad an. CIↃ IↃ XXXVII quo anno xiit Argentorati, produxit. Poſt id tem-
us ſaepius exiit in lucem *ſ*).

IX

Friderici II tempora uiuendo attigit EC-
:ARDVS, *Decanus S. Galli*, quem Goldaſtus, uia plures apud S. Gallenſes eo nomine ex-
terunt clari, *quintum* et *minimum* appellauit. Vitae tempus, quod in tertium decimum :culum incidit, ipſe prodidit Eccardus *t*). Verba, quae Voſſius repetiit, breuitatis cau-
, omitto. Vt cauſa, quamobrem huc re-
ɔcetur, plana ſit, teſtem affero Goldaſtum. enimuero, nullum eſſe alium Vitae *B. Notri*, cognomine Balbuli, auctorem, quam ccardum, eodem teſtimonio, cuius memi-
mus, conficit. Ger. Io. Voſſius coniicit, ındem hunc ſimul uitam S. Galli a Ratper-
editam Germanice in Latinam linguam anſtuliſſe. Quae ſupereſſet in ueteri S. alli codice. Sed Goldaſtus nihil de hoc ipſo

ſ) V. Sagittarius l. c.

t) cap. VIII et XVII ſeq. Leibnitius Introd. in T. I Script. Brunſ. p. II

ipso commemorat. Forte Vossius Eccardos confudit, quorum quinque fuerunt, et ex praeloquio intelligo, esse Eccardum eius nominis IV atque ab nostro diuersum, qui coepta a Ruperto perfecit, de Casibus monast. S. Galli. Edidisse Vitam Notkeri, ab Eccardo V confectam, Henr. Canisium, memorat Vossius *u*), sed iterum emisit Melch. Goldastus *x*).

X

GODEFRIDVS, *monachus* in coenobio S. Pantaleonis *Coloniensis* eandem fidem, quam reliqui, obtinet *Annalibus* suis, quos ab Anno CIↃ C LXII *y*) usque ad an. CIↃ CC LXXXVII condidit, ex tenebris primum in lucem publicam prolatos a M. Frehero, qui ab Steph. Broelmanno, Iureconsulto Coloniensi, ex membrana descriptum, impetrauit *z*). Ex Io. Trithemii, qui eundem monachum diligenter secutus est, prooemio in Chronicon Hirsaugiense, ubi praeter ceteros, huius quoque meminit, *Godefridi* ei auctori nomen, intellexit Freherus, et, cum antea ignoraretur, operi praefecit *a*).

XI

u) Lib. II c. LVII p. CCCCLIIX

x) Parte II p. CCXXVII uitam Eccardi recenset p. CXLII

y) In Cl. Reimanni Introd. L. II §. CCCII .p. CCCLXXXII annus, seculi XIII quadragesimus secundus, quo coeperit, culpa, ut opinor, operarum, expressus uidetur.

z) T. I Script. Germ. cIↃ IↃC

a) V. M. Freherus, tum Vossius L. II c. LVII et Sagittarius l. c. §. XVII p. LXV

XI

Commemorandus eſt inter hiſtoricos huius ſeculi principes auctor ANNALIVM HALBERSTADIENSIVM, quos ab interitu uindicauit Cl. Reimannus, communicauitque cum illuſtri Godefr. Guil. Leibnitio, in lucem publicam emittendos. Ac emiſit eos Tomo II ſcript. Brunſuic. *b*). Sed queritur ille, librum, quem deſcriptum accepit a Reimanno, mendis fuiſſe refertum. Ex Introductione tamen Leibnitiana in Scriptores Tomi II facile intelligas, ipſum codicem, qui membrana extitit olim, etiamnum in ſcriniis latere *c*). Ceterum non unius pariter uiri labor eſt, ſed auctor ipſe in prooemio ſchedas et commentarios, qui ſuperauerint, manuſcriptos ſe adhibuiſſe, ſcribit, *S. Halberſtadenſis eccleſiae geſta Pontificium, qui eidem eccleſiae praeſiderunt, prout in diuerſis ſchedulis et in libris chronicorum ſcripta reperi, et, ab antiquis uſque nos fama decurrente, inueſtigare potui - - percurrere deſtinaui.* Orditur autem propterea a temporibus Caroli M., quod in animo is habuit, condere Halberſtadienſe ſacerdotium, et fines eius deſcripſit, ſed filio Pio Ludouico perficiendum, quod ipſe non potuit, conſilium reliquit. Ordine perſequitur omnes praeſules uſque ad Fridericum XXII

b) n. XV p. CX-CXLVIII
c) p. XV

qui sub auspicio Ottonis IV constitutus est An. CIↃ CC IX Quaesiuit id ipsum Chronicon, at frustra Io. VVinnigenstadius, qui tempore emendationis doctrinae diuinioris uixit, et primum monachus fuit Augustinianus in coenobio S. Ioannis, apud Halberstadienses, post uerbi diuini apud Quedlinburgenses minister *d*). Vt dolendum sit, non uidisse eum uirum in Germanica historia curiosum, C. Sagittarium, cum antistites eodem ordine, et, cum antistitibus, res Halberstadienses enarraret. Multa enim singularia, quae historiam Saxonicam illustrant, eontinet auctor, ut obstricti uideamur Cl. Reimanno, quod conseruarit ab interitu, et cura illustris Leibnitii contenti simus, usque dum melius exemplum, ex quo restitui plenius queat, reperiatur *e*).

XII

Inter historicos huius seculi numerat Reimannus MARTINVM RHEBOCCVM, monachum Corbeiae Saxonicae, post *praepositum* Groeningensem ad Bodam, fl., qui pariter *Chronicon Halberstadense* reliquit ab Christ. Fr. Paulinio, Viro clarissimo, in bibliotheca Guelferbytana lectum, et approbatum. Multa ex hoc ipso mutuatus est Io. VVin-

d) **Paulinius Chron. Congregat. Badeslebiensis, p. CCLXIV**

e) **V. Reimannus l. c. p. CCCLXXXIII**

VVinnigenſtadius, nec diffeſſus, ſed, ut conuenit, in prooemio Chronici agnouit, quod pariter de Halberſtadienſium rebus memorabilibus confecit. Sed tamen, cum aliquanto poſt inſpicere uellet, inter ſchedas reperire amplius haud potuit, quo peruenerat perelegans, et in membrana ſcriptus, codex, ignarus. Atque uel exinde colligit Reimannus, ad ſeculum XIII pertinere, quia Vinnigenſtadius teſtis certus eſt, hoc ipſo tempore finem ei impoſitum fuiſſe *f*).

XIII

CONRADVS EPISCOPVS, dignitate quidem, at non eruditione, eximius, *Chronicon rerum Moguntiacarum* exiguum edidit, in quo, ſi demas, quae de tumultu tempore Arnoldi, Antiſtitis Moguntini, ex ſeculo XII ſimpliciter narrat, nihil inuenias, quod, memoria dignum, putes. Enimuero, ut in prooemio ſtatim refert, eccleſiae Moguntinae aduerſos fortunae caſus, quibus per centum annos obnoxia fuit, plebeia narratione perſequitur, orditurque ab reliquiis, et ſupellectile ſacra eccleſiae, definitque in anno, ſeculi XIII, LII Vt adeo centum et decem annos complexus uideatur. Suſpicatur ex eo Chriſtianus Vrſtiſius, uel ſuſpicandi potius cauſam relinquit, fuiſſe Colonienſem, quando auctor

f) l. c. p. CCCLXXXIV ſeq. Paulinius Chron. Congreg. Badeſleb. p. CCLXIV Leibnitius Introd. in Partem II ſcript. Brunſuic., num. XV. p. XV

auctor ille ad An. CIƆ CC XLIX Sigfrido, Antistite Moguntino, rebus humanis erepto, memorat ea, quae sequuntur, *Concorditer in uenerabilem uirum dominum Conradum, Coloniensem Archiepiscopum, uota sua transtulerunt, postulatis a sede Apostolica, ipsum sibi praefici in Pastorem, sed heu! heu! hoc non poterat obtineri. non est haec postulatio admissa, sed electio capitulo restituta. Et ne Archiepiscopus Coloniensis aegre ferret, suum desiderium non completum, ipsi legationis dignitas est commissa g)*. Suspiria, quae de negata Conrado Coloniensi dignitate noua interserit, itemque, quando, Christianum, qui electus est, non, ut debuerit, curasse munus suum, refert, arguunt, non dissimulanter improbare, minime ratam fuisse habitam Conradi electionem. Post alios, qui primum emiserunt, et a Reimanno recensentur, Vrstisius eo, quem modo dixi, libro complexus est.

XIV

Certiora fere sunt, quae nunc demum habemus de ALBERICI, monachi trium fontium, in dioecesi Leodiensi Chronico, quod coepit ab orbe condito, finit anno CIƆ CC XLI Ad Catulaunensem codex Claraemontanus retulit. Sed, *In Leodiensi dioecesi uixisse iudico*, ait Leibnitius, *et mecum iudicabit credo, quisquis librum leget, usque adeo multa habet et minuta circa res Leodienses, Hoienses, et uicinas.* Atque ita sane est. Attigit hoc ipsum quidem Vossius,

g) T. II p. IↃLXXV Vrstis.

ſius, ſed tamen, perueniſſe duntaxat auctorem uſque ad an. Chriſti ıↄ c xxvı atque ita extare in bibliotheca SanGallenſi certior factus eſt *b*). Sed illuſtris Leibnitius nihil in hanc rem a Gallenſibus impetrare potuit. Nec integrum illud in auguſta Guelferbytorum bibliotheca fuit, ſed pars poſterior tantummodo ab anno Chriſti ıↄ cccc lx uſque ad finem, ita, uti Lutetiae Pariſiorum extat, confirmantibus Io. Harduino, et Tellierio, bibliothecae Claraemontanae praefecto. Sed plenum, eumque antiquum, et membrana exaratum, nactus. primum edidit eum G. G. Leibnitius *i*). Andream Quercetanum pariter in animo habuiſſe, edere Chronicon iſtud, Miraeus teſtatur *k*). Albericus ipſe, in rebus, quae antea ſunt geſtae, ingenio ſeculi illius indulget, ſed tamen multa habet, quae alias minus obuia ſunt. Et laudat etiam, ex quibus profecit fontibus, receditque ab imperita ſeculi conſuetudine ſcribendi, ut inter praecipuos referri mereatur. In Belgio uixiſſe eum, uel hinc patet, quod res illius pluribus, neque tamen omiſſis finitimis, enarrat. Nam Galliae etiam, maxime tamen imperii Germanici, ſtatum, qui fuerit, aperit, et ſingularia ſelegit. Cuiuſmodi ſane eſt, quod de Friderico Aenobarbo memorat, quippe

b) de Hiſt. Lat. l. II c. XLVI
i) in Acceſſionibus Hiſt. P. II A. cIↄ IↄCXCIIX
k) in Auctuarib Scriptor. Eccleſ. cap. CCCC III

quippe qui, in Italia primum, contra Mediolanenses, armis disceptaturus, atque hinc ancipiti bello occupatus, constituit, ut, siquidem Sueuorum familia deficeret, imperium in Henricum Leonem, quem tum eximie adhuc diligebat, transferretur ad an. CIↃ C LX *l*). Quod occupatus ego aliquando in hoc argumento apud nullum illius temporis scriptorem obseruaui. Tum uero magni eum fecerunt Andr. Quercetanus, Dau. Blondellus, Phil. Labbaeus, Aubertus Miraeus, Christoph. Butkenius, Io. Iac. Chifletius, plures. Labbaeus et Chifletius laudant in eo accurationem in percensendis illustrium familiis, tum, quod ex multis aliorum Chronicis, quae deperdita sunt, delectu habito, optima inseruerit, denique, quod ex eis, qui superant, sententias saniores, ex melioris notae codicibus desumptas, tradiderit *m*).

XV

ALBERTVS, ABBAS STADENSIS, Etruscus fuerit, an Germanus, disputant eruditi. Quae de se refert ipse, haec sunt. Fuit initio monasterii sui monachus primarius, et anno CIↃ CC XXXII factus est eius *Abbas n*). Habuit in primis commendationem pietatis, atque hinc adibat Gregorium IX Pontif. R. anno

l) p. CCC XXXV

m) Vid. omnino Leibnitius in praefat. Tom. II Accesf. Hist. Reimannus Introd. in hist. lit. Germ. p. CCCC XXIV

n) p. CCCVI Tomo Schilt.

anno CIↃ CC XXXVI ut impetraret, in societate sua, quae regulas D. Benedicti praeferebat quidem, non tamen, quod ex Pontificis Maximi tabulis, ab Alberto ipso allatis, discimus, ita, ut par erat, obseruabat, cum Benedictino *Cistertiensem ordinem*, qui sanctioris uitae laudem habebat, commutare. Sed, cum Antistes Bremensis, Gerardus II ad cuius dioecesin spectabat Stadensis, pollicitationibus Albertum per triennium circumduceret, relicto Abbatis munere, ipsoque coenobio, *se ad minores fratres in Stadio*, ut loquitur, *reddidit* A. CIↃ CC LX *o*). Extremo tempore, quo Abbas adhuc erat, Chronicon suum confecit, idque, ut instituti rationem reddit ipse in prooemio, orsus est ab condito orbe, et, cum ad annum quadragesimum peruenit, ita finem operi constituisse uidetur, *Tempora uero nostra sunt haec. Millesimus ducentesimus, quadragesimus annus gratiae iam effluxit* etc. *p*) Addidit tamen annos sexdecim, atque ad annum nominatim LVI peruenit. De temporibus, quibus superstes ipse fuit, fidem, quam dedit in prooemio, praestat. In eis enim industrie praeter cetera, quae inter Imperatores et Pontifices R. fuerunt, controuersias, allatis etiam documentis, fide dignis, enarrauit.

o) p. CCCXI seq. mendum, in imprimendis annis, per operas, commissum in Reimanno est, quando pro cIↄ CC XL posuerunt, cIↄ CCL p. CCCLXXXIX

p) p. CXXVI

uit. Notitias familiarum maxime illustrium inseruit, ut, nisi Albertus retulisset, plures ignorarentur. In rationibus temporum, siue Chronologia negligentiae arguunt R. Reineccius et Herm. Conringius. Et ipse Albertus agnouisse errores quodammodo, non uero mutasse aliorum, quos secutus iusto liberius est, uidetur, quando in prooemio, *Meminerit*, inquit, *lector, quod si annorum occurrit diuersitas, hoc ex contraria relatione antiquorum, uel uitio scriptoris, uel negligentia prouenit computantis. Vnde reor, non incongruum, ut de annorum ueritate ipsi sibi calculet, et perfecte, quem annorum contrarietas coegerit, dubitare* q). Fabulas quod sectatus fuerit, ei libentius condono, quia aeui medii simplicitas has ferebat, quam, quod Historicos, quorum quisque seculi sui res recensuit, ubi ad illorum temporum res percensendas peruenit, audacius sequitur, et sibi tribuit auctori. In his referunt Vitechindum, Hermannum Contractum, Adamum Bremensem, Helmoldum, Arnoldum, Conradum de Lichtenau, et plures. Quibus addimus nos Eginhardum, quem penitus in historia seculi IX descripsit. Cum hoc enim et Helmoldo contuli Albertum studiosius, et animaduerti, eum ex eis fontibus profecisse cumprimis. Vestigiis Eginhardi, praeter cetera, in quibus pressius eum sequitur, insistit penitus, et bella, exempli causa, Aquitanicum,

q) p. CXXVI

tanicum, Saxonicum, Hispanicum, Britannicum, Beneuentanum, Baioaricum, Slauicum, Hunnicum et reliqua, quae persequitur Eginhardus, eodem ordine et iisdem uerbis, paucis mutatis, uel omissis, persequitur Albertus *r)*. Vt de reliquis taceamus.

Hh Idem

r) Exemplum ex Eginhardo de Vita Caroli M. p. IV apud Reuberum.

Omnium bellorum, quae gessit, primo Aquitanicum a patre inchoatum, sed nondum finitum, quia, cito peragi posse putabatur, fratre adhuc uiuo et auxilium ferre rogato, suscepit, et, licet eum frater promisso frustrasset auxilio, susceptam expeditionem strenuissime executus, non prius incepto desistere, aut semel suscepto labori cedere uoluit, quam hoc, quod efficere moliebatur, perseuerantia quadam perfecto fine concluderet. Nam et Hunoldum, qui post VVaifarii mortem Aquitaniam occupare, bellumque, iam pene peractum, reparare tentauerat, Aquitaniam relinquere, et Vasconiam petere coëgit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmisso amne Garomna, Lupo, Vasconum duci, per legatos mandat, ut persu-

r) Albertus Stadensis p. CLXXXII T. Schilter.

Omnium bellorum, quae gessit, primo Aquitanicum, a patre inchoatum, sed nondum finitum, quod, cito peragi posse, uidebatur, fratre adhuc uiuo, et auxilium ferre rogato, suscepit. Et licet eum frater, malis quibusdam machinantibus, auxilio frustrasset promisso, susceptam expeditionem strenuissime executus, non prius destitit, quam hoc, quod efficere moliebatur, perfecit. Nam et Hunoldum quendam, qui post mortem VVaifarii Aquitaniam occupauit, bellumque iam pene peractum reparare tentauit, Aquitaniam relinquere, et in VVasconiam fugere coëgit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmisso amne Garomna, Lupo, VVasconum Duci, mandat, ut per-

Idem ex Helmoldo notaui. Ita eum contulit cum Adamo Bremensi Sagittarius. Alios, ut cum aliis componerent, rogat *f)*. Hinc, opinor, quando secus aliquid allatum fuerit, auctoribus etiam illis, ex quibus res deprompsit, tribuendum, ut supra accepimus, indicauit. Primum protulit Rein. Reineccius ex bibliotheca Henrici Ranzouii, et notis obseruationibusque ornauit Helmstadii CIↄ Iↄ-LXXXVII Tum uero addit Reimannus, exiisse Vitembergae CIↄ IↄC VIII Atque memoria lapsus, ut usu uenit, ex eo tempore, ait, se non meminisse, editum a quoquam fuisse. Paullo post tamen *Collectionis Schilterianae*, in qua continetur etiam Alberti Chronicon, meminit, cum de Andrea Ratisponensi exponit

gam reddat, quod ni festine faciat, bello eum se expostulaturum. Sed Lupus, saniori usus consilio, non solum Hunoldum reddidit, sed etiam seipsum cum prouincia, cui praeerat, eius potestati submisit. etc.	fugam reddat, quod ni festinato faciat, bello se illum expostulaturum. Sed Lupus, saniori usus consilio, non solum Hunoldum reddidit, sed etiam se ipsum cum prouincia, cui praeerat, eius potestati permisit. etc.

Omitto plura, et lectori cuiuis peruestiganda, simili industria, relinquo, uel paucis his demonstrasse contentus, Albertum iniquo sane modo annales suos locupletasse, ita, ut Eginhardus integer fere, si periturus fuisset, uel ex Alberto restitui potuisset. Nisi quis sufficere hic putet, quod paullo ante Eginardum, *actuum* Caroli M. scriptorem laudet, licet reticeat, se reliqua ex eo mutuatum.

f) Introd. in Hist. Eccl. §. XIIX p. LXVII

ponit *t*). Quamquam in Schiltero minus accurate Alberti Chronicon apparet *u*).

XVI

Auctor CHRONICI DOMINICANORVM COLMARIENSIVM hoc feculo, ut ipfe memoriae prodidit annalium parte I ad annum CIↃ CC XXXIIX quo *intrauit ordinem Praedicatorum*, uixit, natus anno CIↃ CC XI at, quod habuerit nomen, diffimulauit *x*). Annales tamen, quos ab anno feculi XII undecimo exorfus eft, attingunt feculi XIV tertium. Atque hos ipfos diftinxit, ita, ut altera illorum parte res, fecundum annorum feriem, notauerit, altera res uberius probauerit, neutra tamen hiftorici officio fatisfeciffe uideatur. Vrftifius tamen, qui eum una ex Nic. Brieferi, IC. Bafileenfis, fchedis poftumis emifit, alteram partem, quae, ut ipfi loquuntur, *uberiorem narrationem rerum aliquot memorabilium, quarum in annalibus concifa mentio fit*, complectitur, *ab aliis, eiufdem inftituti, et collegii fociis, locupletatum* fufpicatur, *qui tamen, fuis quibufdam latebris occultati, in paucorum manus hactenus deueniffent*, quod ex ipfo exemplo, quo

Hh 2

t) eodem libro II p. CCCC XII

u) quod ex p. CC XII omiffis aliis, probo, qua de Ottone II imp., bis, quae ad aufpicia eius regni fpectant, expreffa deprehendas. conf p. CCXXXVI Cetera uid. Ger. Io. Voffius de Hift. Lat. L. II c. LIX p. CCCC LXXIX in primis Cafp. Sagittarius Introd. in Hift. Eccl. c. IX §. XIIX p. LXV fequ.

x) Vrftif. T. II p. VI

quo usus est, haud obscure animaduerti potuisse, asseuerat. Si ab ineptiis, quas interposuit, discesseris, in rebus Alsatiae, quae isto seculo gestae sunt, fidem meretur, neque, ut animaduertit Vrstisius, displicuit eius opera Io. Stumpfio, cum in rebus Heluetiae tradendis uersaretur.

XVII

CHRONICON AVGVSTANVM, et partem *Chronici Monasterii S. Vdalrici et Afrae*, quod Augustae Vindelicum est, coenobii, edidit Marqu. Freherus. Alterum incipit anno IↃ CCCC LXXIII desinitque an. CIↃ CIV et perbreue est, alterum uero primordia capit an. CIↃ C LII ac multo est copiosius, usque ad an. CIↃ CC LXV et, quia multas Baioariae res, et Altahae, coenobii continet, uerisimile est, inquit Freherus, auctorem esse *Henricum Steronem*, cuius etiam annales Altahenses, de quibus paullo post dicturi sumus, eodem codice iunctos apud Augustanos inuenit. Vtrum auctor Chronici Augustani, et, quem infra afferemus, Sigismundus, consentiant interdum, nunc inquirere non uacat.

XVIII

IO. VITO DVRANVS, *ortus*, ut ipse loquitur, *de oppido VVinterthurn* (unde ipsum auctoris nomen peracute coniicit Reimannus *y*)) e societate *Fratrum Minorum*, reliquit *Chronicon*, siue, ut eius sunt uerba, *Acta et gesta*

y) l. c. p. CCCXCIV

gesta suorum temporum, et paullo ante habita, in prooemio. Orditur id ipsum ab aetate Friderici II ita, ut res Pontificum et Imperatorum, regumque, tempore interregni, cum primis Friderici II et Rudolphi Habsburgii attingat, neque tamen auctoritati Pontificum inferre uim scribendo uoluisse uideatur. Pauca in eo reperias, quae non ab aliis itidem sint pluribus perscripta. Auctoritate Vossii inducti alii eum ad seculum XIV retulerunt. Ille etenim ex libro manuscripto, qui in bibliotheca Gallensi fuisset, affirmat, perrexisse usque ad annum CIↃ CCC XLVIII *z*). Sed celeber. Leibnitius, qui primus Duranum edidit in Accessionibus Hist., re explorata, nihil superesse, accepit, ut testatur in prooemio ad Access. Quare in edendo eo exemplum secutus est Melch. Goldasti, ab cl. Bremensium Theologo Gerardo Meiero suppeditatum. Ac definit istud in anno CIↃCC LXXVII Vixisse eum post tempora Friderici II ex ipso auctore discimus, quando de

 Inno-

z) de Hist. Lat. lib. III c. IX Pag. XXI fit anni CIↃCCC XL eiusque *praesentis* mentio, ut uel hinc emergat suspicio, ad seculum subsequens pertinere, nisi in editione Leibnitiana irrepserit mendum, et potius legendum sit CIↃ CC XL Nam si priora illa conferes cum eis, quae uidisse se ait tempore Rudolphi, pugnant sane, et statuendum foret, uel duos esse auctores, et istud ab alio, qui post uixit, additum, uel, quod magis credibile mihi, ob plures causas, uidetur, Rudolphi aetate uixisse, adeoque operarum incuria forte centum annorum tempus adiectum.

Innocentio III et Friderico II a quibus orditur, ita ſcribit, *non longe mea meorumque progenitorum tempora anteceſſerunt* a). Rudolphi Habſburgii aetate ſuperſtitem ſe prodit in primis b). Maiori ſane apparatu aggreditur rem, quam ſubſidiis ſcribendi fuerit inſtructus.

XIX

Monachus Prufeningenſis duobus libris expoſuit uitam et miracula S. Erminoldi, nobilis Sueui, monachi Hirſaugienſis, tum abbatis Lorſacenſis, denique primi eiuſdem dignitatis S. Gregorii in coenobio Prufeningenſi, quod iuxta Ratiſponam S. Otto, Babenbergenſis antiſtes extruxit. Suaſore abbatis ſui Vlrici, edidit, quod ipſe commemorat, ad an. CIↃ CC LXXXI Mutatam illam uitam edidit Surius tomo VII Vt meliori fide referret poſtea H. Caniſius tom. II Lect. Antiq. c).

XX

HENRICVS a KLINGENBERG, nobili genere ortus, anno CIↃCCXCIX antiſtes Conſtantienſis conſtitutus eſt. Scripſit *hiſtoriam comitum Habſburgicorum*, ab Eiſingrino laudatam, ſed iniuria temporum amiſſam d).

XXI.

a) p. IV

b) quod patet p. XXVI

c) Voſſius de Hiſt. Lat. L. II c. LX quo in loco et Brocardum, ſiue Burcardum, Argentoratenſem, qui terrae ſanctae deſcriptionem dedit, ab Caniſio, at mutile editam agit.

d) Voſſius de Hiſt. Lat. L. II c. LXII Reimannus d. l. p. CCCXCII

XXI

Ad hoc etiam feculum refero FRAGMENTVM HISTORICVM auctoris incerti, quanquam fere, feculo fubfequente uixifle eum, putem. Eius meae opinionis caufam ex ipfo auctore expromo eam, quod in Rudolpho Habfburgio fubfiftit quidem ille, attamen, *in fequenti opufculo*, ut loquitur ad extremum, plura de eo pollicetur. Atque hinc, opinor, fufpicati quidam funt, auctorem eius fragmenti effe Albertum Argentoratenfem, qui ab Rudolpho, in quo definit fragmentum, orditur. Accedit, quod, ut infcriptio fragmenti ipfius eft, *Alberti Argentinenfis Chronico in manufcriptis codicibus praefixum* apparet. Et Alberti Chronicum ipfum *integrum* uocatur, forte, ut ab altero illo, quod exiguum eft, diftinguatur. Nec fcribendi ratio plane diffimilis eft. Sed mitto plures fufpicandi caufas, et unum iftud obferuo, auctorem annos potius, quam res, ex fuperioribus feculis, (incipit enim ab anno ɪↄcxxxɪ definitque cɪↄccʟxvɪɪɪ) collegiffe, uel faltem, tanta fcriptorum, quos confidenter eft imitatus, copia noluiffe, maiorem quodammodo accurationem aetatis, cui proximus fuit, fectatum. Edidit Vrftifius Tom. II rerum Germ. *e*).

XXII

Auctor CHRONICI VETERIS DV-

e) p. LXXIV - XCIV

CVM BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM, quod breuiſſimum eſt, hoc tempore ſcripſiſſe uidetur. Loquitur enim de Eadvvardo I rege Angliae, ſuo tempore regnante *f*). Eduardus autem regni faſces accepit An. cIↃ CC LXXII aut anno poſt, ex uita diſceſſit cIↃ CCC VII uel cIↃ CCC VIII ut calculum adiecit Leibnitius illuſtris. Hinc, *Medio*, inquit, *tempore auctorem noſtrum ſcripſiſſe, conſequens eſt.* Sed tamen non opus integrum, uel partem ſaltem compoſuiſſe, poſt annum cIↃ CC LXXXIII hinc colligit, quod Anno cIↃ CC LXXXII obiit Ericus, rex Daniae, cuius quippe ſibi aequalis aetate, et regnantis, meminit eodem loco. Et, quaedam addita ſerius, pariter ſuſpicatur. Vtcunque ſit, et licet erroribus non plane careat, tamen in familiis Ducum Brunſuic. et Luneburg. non inutile eſt, et neceſſitudines, inter hos, et Britannorum reges, quodammodo declarat. Additum olim fuit Theodorici Engelhuſii Chronico, ab Madero, beneficio H. Conringii, edito an. cIↃ IↃ C LXI et repetito cIↃ IↃ C LXXVIII Ab erroribus, qui in Maderiano exemplo perſeuerauerant, liberaturus nouum, quod ex codice renouauit, ſerius expedire propoſitum potuit Leibnitius, quia minus accurate, ipſo abſente, emendauerunt. Quare in prooemio id praeſtitit, et, quae

f) p. XVII Tomi II Leibnit.

quae irrepserant, menda correxit *g*). Eiusdem est seculi *fragmentum*, quod ibidem addit Leibnitius, *Genealogiae Ducum eorundem*, desinitque in anno CIↃ CC XLI

XXIII

Denique addimus HENRICVM STERONEM, monachum Altaichii inferioris, atque, ut ipse ad an. CIↃ CC LXXII testis est, *capellanus* Hermanni abbatis, qui annales condidit ab an. CIↃ CC LXVI usque ad An. CIↃ CCC a Marquardo Frehero editos, quos repetiit, at auctiores usque ad an. CIↃ CCC Henricus Canisius T. II Lect. Antiq. Appendicem addiderunt postea usque ad annum CIↃ CCCXXV Vlricus et Conradus VVellingi, fratres, et monachi Augustani, quam pariter iam tum edidit cum Steronis opere Freherus, atque distinxit ab Sterone *h*), *Huc usque* (CIↃ CCC) *perducta est pars Chronicae ab Henrico Sterone* etc. *i*).

XXIV

At, quia Steronis aequalis fuit EBERARDVS ALTAHENSIS, *Archidiaconus* Ratisbonensis, qui Annales de Ducibus Austriae, Bauariae, et Sueuiae ab an. CIↃ CC LXXIII usque ad an. CIↃ CCCV scripsit, et uterque in plerisque conueniunt accuratius, suspi-

Hh 5 can-

g) p. IV in Introd. T. II n. II quo Chronicon etiam continetur.

h) p. CCCC IV

i) Ger. Io. Vossius de Hist. Lat. Lib. II c. LXII p. IↃII et Sagittarius Introd. in Hist. Eccles. cap. X §. IV

cantur eruditi, alterutrum ex altero annales ſuos locupletaſſe. Voſſius tamen, Eberhardum ex Sterone, quia aliquanto fuit recentior, ſua ſurripuiſſe, putat *k*). Edidit eos ex codice manuſcripto coenobii S. Afrae et Vdalrici, quod eſt Auguſtae Vindelicum, Caniſius T. I Lect. Antiq.

XXV

Tum denique BENDICTVS LASPO, ſacerdos quidam coenobii Reinhuſani, ditionis Brunſuicenſis, de quo ſupra dictum eſt, in hiſtoria multam adhibuit diligentiam, et *Chronicon* aliquod confecit, de coenobio ſuo, ab anno CIↃCCLXVIII uſque ad annum CIↃCCC quo uitam cum morte commutauit. Sed, ut Io. Georg. Leucfeldius docet, temporis iniquitate interiit *l*).

CAPVT VI

I

Lingua Germanica hoc ſeculo plures habuit cultores, exiſtimatoreſque, quam, antehac habuiſſe, recordari poſſim. Neminem enim inuenire potui, qui memoriam rerum geſtarum patria lingua adornauerit. Hoc ſeculo tres, atque eos quidam Saxonas, celebrant, duos, qui ſermone numeris aſtricto, et unum, qui ſoluto, id praeſtiterunt. Poe-

k) l. c. p. IↃIII Sagittarius ad ſeculum XIV quia in eo ſcribere deſiit, refert, ſimiliter atque Steronem.

l) in Antiquit. Burſfeldenſibus c. III p. CXXIX

Poetam primum, qui in eo uires ingenii probauit omnibus, conseruauit ex memoria temporum illorum Io. Georg. Leucfeldius *m*). Ex eodem, opinor, manuscripto codice biennio post repetitum inseruit Tom. III Script. Brunsuic. *n*). Is uero, ut uterque tradit, est EVERHARDVS, sacerdos coenobii Gandersheimensis, qui Historiam *de Fundatione Gandersem Ecclesiae e Latino in Teutonicum* transtulit an. CIↃ CC XVI et rhythmis complexus est *o*). Interdum quoque interseruit rhythmos Latinos. Sic, exempli causa, ita, praeter cetera, scribit cap. X

Alse an sunte Iacops Boke gescreuen steit
VVer de vvil, de mach et vvol vinden alda:
Fides sine operibus est mortua.
Dat sprickt: sunder VVerk is der Lovve doet,
nu help uns uan des evvighen Dodes Noet.

Sic cap. XVIII

De vve ok hebben ghescreuen also
Tesaurizate uobis Thezauros in coelo,
Von

m) in Antiquitatibus Gandersheimensibus cap. XXIX p. CCCLIII

n) u. p. CXLIX idem Introd. in Tomum III p. IV ubi obseruauit, Bodonem in simili instituto se ex eodem profecisse, confessum.

o) Idem ipsum indicat auctor poeta in *prologo* uersu LXXXIII

Von Latine mag men alsüs dueden dat:
An den Himmele schulle gy sammen iu-
vven Schat.

Reliqua ibi extant. Vt primordia merito referamus ad hoc seculum, non ad seculum XIV quo reuocauerunt cl. Reimannus, et Iac. Burcardus adducti potissimum monumento, quod Friderico strenuo, Landgrauio Turingiae, positum, repetit *p)*. Quanquam, quod addo, praeter unum Euerhardum, neminem ex hoc seculo animaduerti, adeoque certum, sequenti seculo magis usitatum hunc morem. Ipsum poema capitibus XLI quae tamen sunt perbreuia, distinxit auctor. Vt nihil magis dolendum sit, quam lacunas, quae occurrunt, maxime in fine, restitui non potuisse.

II

Alter poeta, cuius nomen latet, praecipuus est, et *Chronicon Principum Brunsuicensium rhythmicum*, suasu, ut ex eo ipso v. XLVII coniicit Leibnitius, ipsius Alberti M., Ducis Brunsuicens., confecit, cuius obitum, ad an. CIↃ CCLXXIX carmine ad extremum lugubri grauius deplorat, in eoque desinit. Chronicon uero ipsum a primis Ducibus, ut in prooemio indicat,

p) Introd. in Hist. liter. Lib. II p. CLVI Burcard. de Fat. Lat. Ling. c. III p. XCVI Afferunt idem Io. Seb. Mullerus Annal. Sax. p. XIV et, quod nonnihil differt, Schlegelius de Vet. Cella p. XLVIII Aliud eiusmodi extat apud Schlegel. p. XCVI

cat, orditur, atque passim ad alios auctores, ex quibus in eis, quae multis retro seculis sunt gesta, fidem sibi conciliat, prouocat, ne tam poetae, quam Historici officio functus uideatur. Auctores tamen plerique, quos secutus est, interciderunt. Ad ineptias, seculo isto permittendas, recidit interdum, et fabulas recipit, luditque, exempli causa, quando *Alberti* nomen reddit *Allvveg recht q)*. Neque tamen sua laude destituitur, praesertim, cum a proposito non facile deflectat, saepe in historia Saxonica, sigillatim Brunsuicensi ab Henr. Meibomio, auo, laudatus. Exempli, quo usus Leibnitius est, copiam facere non potuerunt heredes. Itaque codicem, qui in bibliotheca Guelferbytana imperfectus fuit, collatum cum Iustini Gobleri, qui primus poetam illum Francofurti An. CIϽ IϽ LXVI at dialecto antiqua et Saxonica ea, per alium mutata, edidit, una edidit, Goblerique e regione posuit, ut planum esset, ubi alter alterum explicare posset, uel supplere. Saepius tamen Goblerianus supplet Leibnitianum, maxime in fine, ubi desinit in cap. LXII Goblerianus uero totus est, et capitibus LXXV absoluitur, adeoque XIII accedunt. Extat uero Tom. III Leibnit. Vt antiquissimum hoc monumentum, praeter cetera, quibus reliquis Germanis antecellunt, Guelfis merito gratulemur *r)*. III

q) cap. LXXV
r) illustr. Leibnitius Introd. in Tomum III p. II

III

Tertius, cuius nomen pariter ignoratur, Halberſtadenſis fuit, qui *Chronicon Halberſtadenſe Germanicum* reliquiſſe exiſtimatur. Coniecturam capit ex VVinnigenſtadio Reimannus, qui eius meminerit in uita Friderici XXII Antiſtitis. Ex uerbis tamen, quae Reimannus adduxit, colligas, utroque ſermone, Latino iuxta, ac Germanico, extitiſſe, utrum uero eundem auctorem agnoſcat utrumque, an ab alio, quem hic laudat, in linguam Germanicam conuerſus fuerit, ex eis non item liquet *ſ*).

IV

Ad hoc etiamnum ſeculum remittit Leibnitius auctorem *Chronici breuis, Principum R., qui Goſlariae, aut in uicinia egere et eccleſias priuilegiis donauerunt, dialecto Saxonica ſcripti.* Incipit ille a Conrado I finitque in Adolphi, Rom. regis, anno tertio. Atque, eundem, putat, eſſe auctorem *Catalogi Reliquiarum eccleſiae collegiatae Goſlarienſis.* Saltem ſcribendi forma conſentire uidetur *t*). Inſpicienti aliquanto poſt *Excerpta ex Chronico MS. Eccleſiae Goſlarienſis*, quae illuſtris Vir numero XL dedit, ſuſpicio ſe offerebat, auctorem illorum alterum hunc, de quo nunc exponendi occaſio data eſt, penitus ſecutum. Suſpicione animum at liberabat inſpectio, et Viri ſummi

ſ) Reimannus l. c. p. CCCLXXXVIII

t) Extant T. III p. CCCCXXVI - CCCCXXX

summi excusatio, qui, dum res a diuersis curaretur, eorum deinde summam dedit, quae antea, plenius imprimenda ex manuscripto codice, dederat, quod eo facilius uiro illustri condonandum, quo maioribus reip. negotiis occupatus est, et, aliorum cura fretus, serius deinde tamen animaduertit. Itemque *leges Municipales ciuitatis Brunsuicensis*, quas ibidem edidit *u*), ab Ottone, uulgo puero, latas, atque a Friderico II imp., confirmatas CIƆ CC XXXII. uti quidam recentioris aetatis addidit. Atque ex his legibus linguam Saxoniae ueteris intelligi, et declarari permultum posse, obseruat Leibnitius, et quia Grammatica multum quoque differat ab ea, quae sequenti seculo usitata fuit, difficiliores intellectu, testatur, quam uersus Chronici Gandershemensis, aut Chronici rhythmici Principum Brunsuicensium, atque satis commode monet, in legibus ueteres formulas loquendi diutius esse retentas, quam in aliis scriptis *x*). Quod de latinae linguae ratione simili causa constat, qua leges complures antiquis formulis abundant.

V

Ex quibus perspicuum est et manifestum, linguam Germanicam citius ab eruditis et priuatis hominibus ascitam, quam in curia et regum aula. Fridericus quidem II instituta

u) p. CCCC XXXIV - CCCC XLVI
x) Leibnit. Introd. in Tom. III p. XIV XV

ftituta reip. Germanicae, antiqua, pariter atque noua, lingua patria, membrana conseruari, ftatuit, adeoque hoc ipso uoluit, remota paulisper Romana, Germanicam approbari, in Comitiis Moguntiae An. cIↃ CC XXXV uel cIↃ CC XXXVI ut Lehmannus et Hachenbergius scribunt. Godofridi monachi Coloniensis uerba, quibus decretum Friderici II continetur, ita habent ad an. cIↃ CC XXXVI *Curia celeberrima in assumptione B. Mariae apud Moguntiam indicitur, ubi fere omnibus Principibus regni Teutonici conuenientibus, pax iuratur, uetera iura stabiliuntur, noua statuuntur, et Teutonico sermone in membrana scripta omnibus publicantur.* Sed, ut probe meminit Christoph. Lehmannus antiquum obtinebant, et tabulas iterum lingua Latina edebant. Causam eius rei, nec sine causa, tribuit sacerdotibus, et religiosis in scholis doctoribus, qui, probato antiquo more, perficiebant, ut, si quid publice statueretur, ipsi, eius linguae periti, in consilium adhiberentur soli, ac Principum arcana consilia moderarentur. Vnde instrumentorum auctores et testes praecipuos eos animaduertas. Ei malo mederi, uoluisse Rudolphum Habsburgium, atque edicto decreuisse aiunt Io. Auentinus, Chr. Lehmannus, Martinus Crusius, et, qui horum uerba recitat, Paulus Hachenbergius *y*), ut in curia diplomata omnia, et instrumenta publica, Germa-

y) Differt. VII de lingua Germ. §. X

Germanice ederentur. Quam in rem affert Lehmannus ipsum Rudolphi senatusconsultum, quod in Comitiis Vurzburgicis, lingua Germanica edidisset z). Sed, utrum ista constitutio uera sit, et eo sermone proposita, aliis probandum relinquo. Ego nec dum edictum aliquod uidi, ab Rudolpho ita editum, atque ab scriptore eiusdem temporis allatum. Ex epistola quodam Schurzfleischii, quam eius rei caussa ad Illustrissimum Henr. Frisium edidit an. CIↃ IↃ C LXXI a), repeto hic uerba ipsius. De eis, quae ex Godefrido, monacho, supra docuimus, non dubitat, sed, se uidisse etiam, probat. De Rudolphi Habsburgii autem constitutione ita scribit, *Id mihi facile risum excitat, quod quidam existimant, Rudolphum Habsburgium, qui et Rufus cognominatur, cuius uirtute ac diligentia multa recte atque utiliter constituta sunt, edicto sanxisse, ut in conficiendis imperii tabulis, et formulis publicis, tantum linguae Germanicae usus esset, quod praeter uerum asseritur, et nullo sufficienti testimonio comprobatur, licet ita uideatur Viris ingenio ac doctrina exquisita Io. Auentino, Martino Crusio, Christophoro Lehmanno, Cyr. Spangenbergio, demum Goldasto ipsimet b). Nullus sane scriptor est Rudolpho aequalis, qui tale quid prodidit, nec diploma*

z) Lib. V cap. CVII CVIII

a) Parte I Epist. XXIII

b) Addo Villichium et Hachenbergium, de studiis Germ. differt. VI §. II et de lingua Germ. differt. VII §. X

superest fide dignum, neque curiae Rudolphi congruens. Limnaeus ita timide loquitur, ut non immerito de eius ueritate dubitasse uideatur. Vt propterea talis lex aut nunquam edita fuerit, aut fatendum sit, deperditam fuisse.

CAPVT VII

Fuit quaedam hoc etiamnum seculo in comparandis libris industria, at in describendis eis imprudentia et ignorantia talis, quae a uiris eruditis passim est demonstrata. Huc potissimum respicit praecipuum illud Academiae Lipsiensis seculi XVI decus et ornamentum, Petrus Mosellanus, qui ab Abbate Veteris Cellae in Misnia, Martino de Lochau, ut Claudiani Mamerti, Episcopi Vienensis, *de statu animae* Libros III ederet, rogatus, *Quo magis*, respondebat, *deploranda est maiorum nostrorum, qui trecentos ab hinc annos linguarum praesidio caruerunt, infelicitas, qua factum est, ut ueterum libri omnes deprauati adeo sint, ut plus pene negotii habeamus in eis restituendis, quam in ipsis condendis, olim habuere scriptores.* Etenim paullo ante eadem epistola, queritur, uetustum quidem, at adeo deprauatum bibliothecae Cellensis exemplar, imprudentia librarii, fuisse, ut restitui auctoris uerba sine difficili opera haud possint *c*). Nihilominus bibliothecas mediocri cura custodiebant,

c) Schlegelius de Cella ueteri, p. CXII seq.

bant, atque libris uarii generis, maxime ſcholaſticorum uoluminibus replebant. Conradum de Lichtenau, monaſterium ſuum egregia ornaſſe bibliotheca, refert Ger. Io. Voſſius, quo uero auctore, omittit *d*). In annalibus Corbeienſibus, quorum auctores acceſſiones librorum diligentius animaduerterunt, praeter *Floriani* commentarios ſacros, commemoratur *Manuale S. Anſcharii*, de quo ſupra docuimus, in bibliothecam per Balthaſ. Rummerum illatum, in quo libello omnes ſacri labores diui Antiſtitis, quos ſuſcepit in ſeptentrionis finibus, annorum dierumque ſerie breuiter conſignati fuerunt. Sed, Romam poſtea dimiſiſſe Tymonem, abbatem eiuſdem monaſterii, addunt ad annum CIↃCCXV *e*), adde de aliis ad annos CIↃCCXXXVIII XLI L LVII

LIBER XIII
DE
SACRORVM CONVERSIONE.

CAPVT I

Nouum aucupium, quo caperent homines, inueniebant Pontifices R., Ii 2 nomi-

d) de Hiſt. Latinis L. II cap. LVII p. CCCCLXI
e) Paulin. Sync. p. CCCC

nominatim Bonifacius VIII, qui, instituto suo auspicio huius seculi *Iubilaeo* primo facta ueniae admissorum copia, magnam hominum multitudinem Romam aduocabat, statuebatque, ut, exacto quouis seculo, solenne et seculare istud tempus eadem celebritate coleretur. *Res prius inaudita et noua, ut, pro huiusmodi indulgentiis, priori anno per uniuersum orbem denunciatis, tanta populi multitudo ex omni Germania Romam proficisceretur, ut infinita penitus innumerabilisque uideretur*, ut loquitur Trithemius Chron. Hirsaug. ad an. cIↃ CCC *f*). *Ante eum* (Bonifacium) *nunquam aliquis attentauit*, ut testatur M. Albertus Argentinensis *g*). Clemens uero VI ad quinquagesimum quemuis annum sacrum Iubilaei tempus reducebat anno cIↃ CCC L haud dubie magna pecuniae summa, quam alter ex nundinis istis conquisierat, adductus. Quamuis, unam hominis aetatem non attingere, integrum seculi tempus, obuerteret, et, nescio quam, cultus sacri caussam praeferret pontifex, auaritiae crimine inter suos maxime postulatus *h*) Henricus Rebdorfius tantam multitudinem uidit ipse, ut in templo D. Petri multi fuerint oppressi *i*). Genius, nescio quis, per Benedictum XII praedixerat, curiam R. quam

f) p. CCV
g) p. III Vrstis.
h) u. Albertus Argent. ad an. cIↃ CCCL p. CLV Trithemius ad eundem annum l. c. p. CCXXVI
i) ad an. cIↃ CCCL Annal.

quam cum immundiſſimo ſtabulo comparat, *ab auaritiis et Simoniacis ſtercoribus expurgandam k*). Inter tria illa ſigna, quae edidit Vrbanus VI Pontifex, principe loco numerat Gobelinus Perſona edictum, quo iuſſit ille ac conſtituit iubilaeum, quod Clemens VI ad quinquageſimum reduxerat, trigeſimo tertio quouis exacto anno, celebrari, eiuſque feſti ac ſolennis temporis initium an. cIɔcccxc. fieri, imperauit *l*). Ac, Bonifacium IX ratam habuiſſe illam Vrbani conſtitutionem, paullo poſt refert Gobelinus idem, attamen trigeſimum duntaxat annum, non autem tertium et trigeſimum, ut ſupra memorat, expreſſit *m*). Ipſa etiam conſtitutio Vrbani VI turbas dedit principio ſeculi XV cum quidem alii Vrbani tempus obſeruarent, alii, in his Galli maxime, Clementis VI quem defendebant acrius, Romam confluerent, gratiamque inepte flagitarent. Hinc Bonifacius ille peropportunum ſibi tempus animaduertebat, et, dimiſſis per Germaniam ueniarum, uel, ut ipſi loquebantur, *indulgentiarum* praeconibus, nundinas inſtituebat Auguſtae Vbiorum, Magdeburgi, Pragae, Miſniae, et alias, ut nundinae ſacrae illae, quos interuertebat ſeculo XVI Lutherus, ſeculo

k) teſte Alberto Arg. p. CXXV

l) Gobelinus in Coſmodrom. Aet. VI c. LXXXI p. CCCXI T. I Meib.

m) l. c. cap. LXXXIV p. CCCXVI

XV celebriores in Germania etiam instituerentur. Perspicua sunt, et, quae dixi, pluribus probant, quae hanc in rem memoriae prodidit Gobelinus Persona *n*). Idem Bonifacius IX ut Gobelinus testis maxime probatus est, *non solum contra Apostolum, sed etiam contra Euangelium dispensauit*, auri cupiditate inductus, et propterea omnibus hominibus infestus *o*).

CAPVT II

Ordo *Templariorum* uicissitudines subiit grauissimas, impulsu Philippi Pulcri, Galliarum regis, cui fortunarum accessio insignis, quam habebat ordo iste, suspecta uidebatur. Henricus Rebdorfius in Annalibus suis palam scribit, in Gallia *bonis quamplurimis abundasse*, atque hinc regem opibus illorum

n) Verba Gobelini Personae addimus, *Hic Dn. Bonifacius Papa tandem tam prodigus indulgentiarum factus est, ut nemini eas petenti negaret, sed absque pecunia super eis literas expedire, uel eas consequi, impossibile, uel difficillimum uisum est. Vnde quidam concessiones huiusmodi magis deceptiones, quam indulgentiarum concessiones, interpretantes, cum, eas intuitu lucri temporalis fieri, indicabant, dicere non timebant, anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.* Aet. VI, c. LXXXVI p. CCCXIX, XX

o) Aet. VI c. LXXXVII p. CCCXXIII ubi et funestum auari Pontificis casum, quem commemorare uerecundia prohibet, commemorauit.

rum insidias parasse, ad annum cIↃ CCC V Vt reliquae causae, quas afferunt, causam regis Philippi tegant tantummodo, non defendant. Facilis et promptus erat Clemens V Pontifex, et, conuersionem illam sibi minus nocituram, perspiciebat. Vno impetu in fortunas eorum inuadebant XI KL. April. an. cIↃ CCC XI *Hic ordo*, inquit Henricus Stero Annal. Altahensibus ad annum hunc XI *CLXXXIV annos circiter militauerat, diues, et multum priuilegiatus fuerat.* Philippus et Clemens quisque templariorum in finibus suis fortunas hostiliter occupabant. In Germania quodammodo moderatius agebant. Multos commutatio ista profligabat. In his Supplinburgii praesidem, Ottonem, Alberti M. Brunsuicensis, fil. de quo plura Henr. Meibomius exposuit in Historia de Supplinburgo *p*).

CAPVT III

Quanquam imperii principes, penes quos erat potestas eligendi regis Germanici superioris seculi calamitate, quam dissidia quoque Principum contraxerant, didicerant, quantum incommodi ex interregno patria ceperat, tamen nihilominus, noua dissen-

p) p. LV seq. quam edidit nouissime cl. Io. Fabricius cum Io. Lezneri historia de coenobio Lotharii regio, anno cIↃ IↃ CCXV

dissensione, Pontificibus R. occasionem concupiscendi maiora iterum subministrabant. Etenim, mortuo, uel ueneno extincto q) Henrico VII Lucelburgico, diffidentes inter sese, alii Ludouicum Bauarum, alii Fridericum Austriacum, Germaniae regem nominabant,

q) M. Albertus Argent. ad An. cIↄ CCC XIII uenenum accepisse, a *Praedicatore* quodam in sacra coena, diserte testatur, p. CXVIII T. II Vrstis. ubi eundem nominat *columnam magnanimitatis et iustitiae*, *ac florem germinis Germanorum.* Trithemius uero liberum ab ista suspicione Bernardum (sic enim uocat hominem) pronunciat, magno testimoniorum cumulo, quae habuerit ille, sustentatum. Atque hinc cum odio indignum cupit, similiter, atque ordinem Praedicatorum omnem, qui eius rei causa grauius afflictus desertusque habitus fuisset in Chron. Hirsaug. ad An. cIↄ CCC XIII p. CCX dysenteria decessisse unus ille prodidit memoriae. Cum Alberto Argent. consentit Beneuentus Imolensis, eiusdem seculi scriptor. u. Conr. Vecerius pereleganti de Rebus gestis Henrici VII libello, T. II Vrstis. p. LXXIII Hermannus Lerbeccius, Chronico Comitum Schauenburgicorum, febri ardente correptum, scribit, p. Iↄ XV Tom. I Meibom. testesque omnes adducit, qui morituro affuissent, et, febri, non ueneno, obiisse, uno omnes ore enunciauissent. Quanquam suspicionem hausti ueneni non praetermittit Lerbeccius. Atque, eos, coniicias, non praeter rem, fuisse testes, ab Trithemio omissos. Ceterum bene ad Lerbeccium, meminit H. Meibomius sen., Henricum de Herfordia et Lerbeccium ideo parricidam operose excusare, quod, ad ordinem suum pertinere labem, quam contraxerat Bernardus iste, intellexissent, in Notis ad Lerbec. p. Iↄ XLII

nabant, nouasque hoc ipso calamitates patriae concitabant, anno cIↄ ccc xiv sicuti plenius ea retulit Albertus Arg., miseriamque Germaniae una deplorauit. Ex quo tempore armis inter utrumque Regem disceptatum est, et annos nouem, ancipiti utrinque fortuna, pugnatum, ad annum usque cIↄ ccc xxiii quo Fridericus, proelio in Bauaria, ipso Michaelis sacro die, acriter commisso, captus est, nec ante dimissus, quam regia dignitate se abdicaret *r*).

CAPVT IV

A Philippo, Galliarum rege, tum uero etiam ab Leopoldo Austriaco, qui, fratrem Fridericum ab dignitatis, quam acquisierat, fortunaeque, gradu deiectum, indignius ferebat, incitatus potissimum Ioannes XXII Pontifex R., miscere sacris profana coepit, et Ludouicum, uel eius rei causa, quod remp. administraret, nondum auctoritate Pontificis maximi confirmatus, Auionem, quam sedem sibi delegerat, aduocabat, et, cum, uenire eo, recusaret, societate sacrorum exclusum praecipiti consilio significabat *ſ*). Ludouicus

Ii 5

r) Albertus Argent. p CXIX, CXXI, CXXII, CXXIV Trithemius Chron. Hirsaug. p. CCII seq.

ſ) Aliam afferunt causam ex Chronico Andreas Ratisp. atque Io. Trithemius, scripsisse uidelicet nomine domini sui Vlricum, Hangenor, *Cancellarium* Ludouici, Imp., audacius ad Ioannem

douicus uero, posthabita Ioannis indignatione, susceptoque in Italiam itinere, a Ioanne, Antistite Mediolanensi, coronatus, atque ab Senatu Populoque R., qui, inuito licet Pontifice, ad se pertinere potestatem Imperatoris consecrandi, aiebant, maximo omnium plausu et gratulatione, solenniter Augustus est appellatus *t*). Defendendum contra Ioannem Pontif. suscipiebat imperatorem Guil. Occamus, Anglus natione, societate *minorum Fratrum*, qui idoneis, ex scriptura S., et iure Pontificum, rationibus, non eam Pontificum esse potentiam, quam sumerent sibi, demonstrabat, conuiciis hinc calumniisque aulae R. asseclarum exceptus *u*). Benignior uidebatur Benedictus XII nec tantopere uelificari Philippo, Gallo, ut antecessor, cupiebat, quin potius Ludouicum contra Philippum,

Pontif. eumque uocasse *bestiam de mari ascendentem.* Atque hoc facilius potuisse Vlricum, hinc etiam probare Andreas Ratisp. uidetur, quod Ludouicus imp. Latinae linguae expers fuisset. Qua ignominia Ioannis inflammatus Ludouicum odio prosequi coepisset, confessum fuisse id crimen Vlricum multo post tempore, moriturum, ac grauius doluisse, uterque testantur. Sed Albertus Argentoratensis, eiusdem seculi testis probatus, eam non attulit causam. u. Albertus Ratisp. Chron. Bau p. XXXIV, XXXV et Trithem. Chron. Hirsaug. p. CCXIX

t) Albertus Argent. p. CXXIV

u) Lehman. Chron. Spir. L. VII c. XVI, XVII ante hunc Trithemius Chron. Hirsaug. p CCXIX in primis de Scriptoribus Eccles. p. CCCXII seq.

pum, Gallum et Robertum, Siculum, defendendum suscipiebat, et, cum acrius premerent eum, *Imo nos*, inquiebat, *fecimus contra eum. Ipse enim* (Ludouicus, imp.) *cum baculo uenisset ad pedes praedecessoris nostri, si uoluisset, sed ipse noluit eum recipere, et, quicquid ille fecit, quasi prouocatus fecit.* Sed, obnitentibus aduersariis Ludouici, nihil efficiebat, praesertim, cum Ioannes, rex Boiemiae, eiusque gener, Henricus, dux Boioariae *x)* plures, qui, facta in Ludouicum conspiratione, propositum interuertebant *y)*. Clara sunt et perspicua, quae paullo post refert Albertus, *Cum Papa Benedictus nuncios recepisset benigne, in aurem nunciis flens quasi conquerebatur, quod ad Principem esset inclinatus, et, quod rex Franciae sibi scripserit certis literis, si Bauarum sine eius uoluntate absolueret, peiora sibi fierent, quam Papae Bonifacio a suis praedecessoribus essent facta z)*. Ex quibus patet et manifestum est, Benedictum, tametsi uoluisset, non potuisse liberum pronunciare Imperatorem, Philippo, Galliarum rege, atrocia quaeuis minante. Ex quibus omnibus istud iterum patet, pontifices, quod

x) Henricus tamen Anno CIↃCCCXXXVIII e uita discessit, relicto quidem filio puero, sed, eo mox etiam rebus humanis erepto, Ludouico, Imp. Bauaria inferior omnis ringente etiam inuidia, cessit, praesertim cum et Henrici uidua paullo post expiraret. Albertus p. CXXIX

y) Albertus p. CXXV seq.

z) pag. CXXVII

quod alii contra imperatores animo premebant, audacius plerunque perfecisse, ut, siquidem aperte dicere debeam, inuidi consilia fingerent, pontifices, quasi maiori licentia muniti, rem pronunciarent, et, si secus cecidisset conatus, culpam deinde eo liberius etiam ferrent, quod Christi locum tuerentur, ab opinione nequitiae per hanc caussam liberi et immunes. Ludouicus demum, melius sibi consulturus, temere neglecto, quod cum Eduardo, Anglo, contra Gallos inierat, foedere, pacem cum Philippo perpetuam, ut putabat ille quidem, faciebat, Philippus contra, se Ludouicum apud Pontificem R, cum quo in gratiam necdum redierat, conciliaturum se, iureiurando pollicebatur. Sed, *Francus*, ait Albertus, *quod noluisset, simulauit, se uelle, Benedictus uero, quod uoluisset, simulauit se nolle a)*. Itaque Ludouicus, imp. quicquid faceret, perficere nunquam poterat, nec tot aduersariorum insidiis se expedire. Quo pacto honoris ac gloriae aemulos conciliabat, amicorum, quos habebat, gratiam intempestiuo paciscendi studio, effundere uidebatur. Sententiam hinc mutare uidebatur Gallus, mutabat Pontifex, mutabant Germani. Hi etenim, habito in oppido, iuxta Confluentiam, *Rens* concilio, consentiebant omnes, Pontifices potestatem in imperatorem habere nullam. Missusque est ipse Albertus Argent.,

a) pag. CXXVIII et CXXXIII

gent., ex quo haec referimus, ad Pontificem cum Senatusconsulto, quod Francofurti ad Moenum fecerant, quo Pontif. Ioannem maiora, quam licuisset, conatum, *et Papam non posse contra imperatorem talia attentare, cum iurisdictiones sint distinctae*, significabant *b*). Quin, iterum, per Henrici, antistitis Moguntini, delectos, rogatus, ut uinculis his liberaret Ludouicum, Pontifex idem, integrum sibi non esse, *prae timore regis Franciae*, ingenue fatebatur *c*). Itaque Benedictus ille utriusque amicitiam, sine offensione, conseruare sibi elaborabat. Quanquam, quod ex Alberto colligas, et tabulis Principum, succensere nonnihil propterea uidebatur Ludouico, quod non ab ipso Pontifice R. solenniter Imperator Augustus pronunciatus fuerat, sed tamen dissimulabat, nec eo furore ac impetu, quo Ioannes, antecessor, consueuerat, prosequebatur. Tabulas imperii Principum, quibus se legitimos *Electores* nominant, Henrici Moguntini, Balduini, Treuirensis, Valrami, Coloniensis, antistitum summorum, Valdemari, Marchionis Brandenburgici, Rudolphi Palatini, Rudolphi, Saxonis, inseruit Annalibus Henrici Rebdorfii Freherus. His ipsis Ioannis XXII iniustum, in reiiciendo Ludouico Bauaro impetum arguunt, et, communi omnium suffragio decretum, annun-

b) p. CXXIX ad an. cIↄ CCCXXXVIII
c) p. CXXXII

annunciant, *Quod, uacante R. imperio is, qui eligitur concorditer, uel a maiori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus est habendus. Et quod nec nominatione, approbatione, confirmatione, consensu, uel Auctoritate sedis Apostolicae, super amministratione bonorum, et iurium imperii indiget, siue titulo regio assumendo, quodque iura et bona imperii amministrare, et gubernare poterit, et de iure et consuetudine nulla sedis Apostolicae super hoc licentia habita uel obtenta d).* Diserte et palam pronunciabant, non egere imperatorem et Regem Pontificis R. consensu, ab imperii proceribus legitime electum. *Statim ex sola electione est rex uerus et imperator Romanorum censendus, et nominandus, et eidem debet ab omnibus, imperio subiectis, obedsiri, et administrandi iura imperii, et cetera faciendi, quae ad imperatorem uerum pertinent, plenariam habet potestatem, nec Papae, siue sedis Apostolicae, aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget uel consensu e).* Antiquum obtinebat Clemens VI homo ambitiosus, libidinosus, et luxuriosus, qui, quicquid faceret, Gallo Patrono ut placeret, faciebat. Eius item et Galli gratiam quaerebat, nunciis dimissis Ludouicus. Sed surdis narrabatur fabula. Ludouicus, ut palam esset, quid Pontifex fieri cuperet, data, de

d) p. CCCCXXVIII T. I Freheri.

e) dicto ante loco p. CCCCXXVII ex schedis Freherus.

de industria, legatis, quaecunque statuendi decernendique potestate, haec accepit. *Dabatur in eo potestas Humberto Delphino, auunculo principis, item Augustensis et Babenbergensis ecclesiarum praepositis, item M. Vlrico, Cancellario suo, in solidum confitendi, omnes errores et haereses. item resignandi imperium, nec resumendi, nisi hoc fieret de gratia Papae, et se ac filios suos, ac bona, ac statum suum in manus, et uoluntatem Papae ponendi, et multa insolita faciendi f*). Ex his, et item, quae sequuntur, uerbis uideas, Pontificem maiorum suorum uestigiis institisse acrius, et imperii curam, ex sua, Pontificis, libidine dominandi, suscepisse. Ea re per imperatorem ad imperii optimates delata, cognitum est, *illos articulos in perniciem et destructionem imperii esse conceptos*, atque neminem imperatorum, qui reip., non Pontifici, se obstringerent, haec re ipsa praestare, per conscientiam, posse, et ualere. Quare Clemens ille, per literas ab eis monitus, ut eo conatu desisteret, tandem intelligebat, se ab Ludouico circumductum. Ex quo acrius premebat Ludouicum, atque, ut dignitate regia priuaret, consilia audacius capiebat, remotis, qui ei fauere perseuerauerant, in his Henrico de Virnenberg, Antistite Moguntino, repetebat sententiam, quam dissimulauerat animo, et Ioannis proscriptionem ratam firmamque habebat, ac diris deuouebat, mo-

f) Albertus p. CXXXIII

monebatque *Principes Electores, ut regem eligerent idoneum, in Imperatorem, promouendum, infra certum tempus expressum, ne ecclesia diu aduocato careat. alioquin circa hoc sedes Apostolica cogitaret g).*

CAPVT V

Nemo erat, qui Clementi, haec talia insolentius conanti, resisteret, ea contentione, qua antea resistebant. Alii uel occasionem, qua iniuriam ulciscerentur, commodiorem praestolabantur et Ludouico, uel propter nobilitatem animi, irasci uidebantur, cum, rupto foedere, quod iureiurando inierat, auctoritatem ipse suam infirmauisset. Alii occasionem, quam satis diu circumspexerant, hunc demum sibi oportunam peruidebant, Ludouici, quem iam pridem lacessierant, penitus remouendi. Philippus enim, Gallus, Ioannes rex Boiemiae, et Carolus, Ioannis fil., Marchio Morauiae necessitudinibus coniuncti, plures, fortunae Ludouici iam pridem, quod ex eis, quae supra docuimus, patebit, insidiabantur. Ab nutu et uoluntate Galli pendebat Clemens VI Pontifex, nec diffitebatur hic cliens. Ab Clementis pen-

g) Albert. ad An. cIↃCCC XLVI p. CXXXV confirmat Io. Trithemius Chron. Sponheimensi ad eundem annum p. CCCXIX Atque eodem hoc anno Carolus IV rex et imperator Augustus constituebatur.

pendebat Gerlacus Nassouius, qui nouissime in Antistitis Moguntini, Henrici, locum ab illo surrogatus fuerat, atque, patrono gratias relaturus, ad eligendum nouum Germaniae Regem, ex decreto Clementis, Pontificis maximi, collegas, Principes regni, conuocabat. Qui necessitudinibus, uel officiis, studiisque, deuincti non erant, pecuniis et largitionibus plerique deuinciebantur. Quae consilia, pluribus ab hinc annis inita, aperiebat euentus. Suspectos sese reddebant iam tum Ioannes, Boiemiae rex, et Carolus, fil., cum in concilio Renensi Pontificis arrogantiae remittendus esset nuncius, cui, ne aegre facerent Clementi, fortunae Caroli Amplificatori, interesse recusabant *b*). Ludouico tamen fidem seruabant multae liberae imperii ciuitates Sueuiae, Franconiae, et complures ad Rhenum. Speciatim Basileenses palam confessi sunt, se nunquam credituros, Ludouicum esse *haereticum. Quemcunque etiam,* respondebant Antistiti Bambergensi, *nobis dederint Principem Electores, uel maior pars ex eis pro Romanorum rege, uel imperatore, illum pro tali habebimus, etiamsi nunquam Papam requireret i*).

 CAPVT

b) Albertus p. CXXXIV seq. ex eoque Christoph. Lehmannus Chron. Spir. L. VII cap. XVI XVII XVIII

i) Albertus Arg. Chron. p. CXXXIX CXLIII Quamuis Ludouicus dissentiendi causas praebuisse interdum uidebatur. Quod probat Henri-

CAPVT VI

Post Ludouici obitum Clemens VI Pontifex, proposita, quam reciperent Ludouici propugnatores, formula, pollicebatur, se in gratiam recepturum omnes. Debebant enim credere, non spectare ad Imperatorem *Papam deponere, et alium creare, sed hoc haeresin esse damnatam, et nullum pro imperatore habere, nisi per sedem Apostolicam probatum* etc. k) Contra, qui Carolum regem nolebant, Ludouicus Brandenburgicus, Rupertus, Dux Palatinus rheni, Ericus, Dux Saxon., et Henricus, Antistes Moguntinus, ab Calixto sacrorum communione exclusus, Eduardum, tum Fridericum, Marchionem Misnicum, post Güntherum, Comitem Schvvarzburgicum, Germaniae reges nominabant. Sic nouae dissen-sionés

cus Rebdorfius, qui ad an. cIↃ CCC XLVII cum de obitu Ludouici Bau. exponit, *In expeditionibus suis*, scribit, *permisit terram et pauperes excoriari, in hospitiis, ecclesiis, monasteriis, secularibus et religiosis praelatis, ipse et filii sui grauissimi fuerunt. Clerum secularem odio cordis habuit, immo expresse pluries dixit, Quodsi thesaurizaret thesaurum de luto, collegia secularia non fundaret.* p. CCCC XXXVII T. I Freheri.

k) Albertus Arg. p. CXXIV consentit, et eandem iurandi formulam recitat Henricus Rebdorfius ad annum cIↃ CCC XLVII p. CCCC XXXVII T. I Freheri.

ſiones *l)* nouis belli motibus cauſam dabant, ex quibus tamen Carolus ſe largitionibus, quantumlibet maximis, expedire enitebatur. *m)*

CAPVT VII

Laudantur Pontifices plerique, et commendantur, quod aulae Romanae opes et fortunas locupletauerint, aliis clamitantibus, luxuria et libidine diffluxiſſe eos, atque omnes, qui manu ad largiendum minus prompti acceſſiſſent, rebus infectis, dimiſiſſe. Hinc graues iterum de *Simonia* querelae, maxime Ioannem et Clementem VI labem curiae Pontificum contraxiſſe, teſtantur. Atque artes illas, *quas, pro confirmatione Praelatorum, pro impetratione beneficiorum, pro cauſis litium et contentionum, - - pro diſpenſationibus quoque, pro indulgentiis conſequendis, et gratiis, et uariis priuilegiis abſolutionibuſque* inuenerant, Germaniam penitus prope exhauſiſſe, maximopere queritur Trithemius, et, Germaniam Romanorum Pontificum eſſe factam aurifodinam, dolet ingenue, Caeſareſque, et quoſcunque Germaniae Principes ſummos, monet, finem auaritiae Pontificum, auctoritate, qua poſſent, ſtatuant, Germaniamque

 ſibi

l) Albertus Arg., *Ex quo*, inquit, *in Germania turbatio magna eſt ſuborta*, p. CLXIV

m) Albertus Argent., Lehmannus L. VII c. XXXIV

ſibi uindicent Germani, libertatis ſtudioſi ac retinentes *n*). Auaritiae etiam accuſat Bonifacium IX qui Vrbano VI ſucceſſit, Gobelinus Perſona, et *Epiſcopatus*, maxime in Germania, plurimos hominibus ineptis et indoctis eiſque potiſſimum, qui maiorem pecuniae copiam, Pontifici Summo obtuliſſent, collatos ab eo, refert *o*). Atque idem ille Pontifex, Gobelino pariter teſte, ſtatuit, ut quicunque *Mendicantium* ordinem cum *Nonmendicantium* commutare cuperet, *Camerae Apoſtolicae centum florenos auri ſoluere teneretur. Sed mirum*, inquit Gobelinus, *uidetur*, *unde Papa uoluit, illum aliquid ſoluere, qui nihil habuit, uel ſaltem nihil debeat habere.* Huius Bonifacii auſpiciis ad Germanos commeauerunt quaeſtores ſacri illi, qui in Miſnia, Turingia, finitimiſque regionibus, magnam pecuniae ſummam, *per illas auaras et confictas indulgentias a ſimplicibus exhauſerunt*, ut ſcribit itidem teſtis Germanus ille, et in aula R. uerſatus, Theod. Niemius *p*). Quae cum facerent Pontifices maximi, mirum non erat, compoſuiſſe ſe ad exempla illorum reliquos Antiſtites et Sacerdotes. In ſcholis turbas dabant Scholaſticorum commenta, qui nouis ineptiarum incrementis ſuperbiebant, uel luxu-

n) u. Hachenberg. Diſſert. VIII de Relig. Chriſt. Veter. Germ. § XXVIII ſeq.

o) Aet. VI c. LXXXV p. CCCXVII T. I Meib.

p) in Vita Ioannis XXXIII Pontificis R. p. VIII T. I Meib.

luxuria, libidine, otio, abundabant. Petrus VVisselbeccius, scriptor huius seculi ingenuus profecto, et pro aetatis consuetudine eruditus, atque industrius, non satis deplorare potest miseriam temporum, uicemque scholarum dolere. *Putant* inquit, *homines nostri, tonsuram et habitum formare monachum, et Praelati opinantur, se patrasse grandia, modo in otio, luxu et libidine sua consenescant, et Prior negligenti, aut uesano Magistro tot animarum curam relinquat. Olim non erat ita. Amabantur et docebantur tunc sub rigore disciplinae a patribus fratribusque bonae artes, linguae, et sacrum Scripturae studium. Praedicabant Antistites ipsi uerbum Domini, ibant ad gentes, salutis earum cupidi. Omnis cura, intentio, et amor lucrum animarum. Nunc uero infra dignitatem et eminentiam suam reputant Abbas, Praepositus, Decanus, et Prior, qui tamen uilissimi rustici et opilionis aliquando degeneres filii sunt, et quo uiliores, eo peiores in sacra cathedra stare, et populo uerbum Dei explicare, aut similia pietatis officia facere. Imo licet uelint, ob ruditatem tamen plerique non ualent. Quis iam currit in aquilonaria loca? Sufficit, Ansgarium, Rembertum, Hogerum, Stephanum, et alios simpliciores monachos, id fecisse. Nos de meliori luto sumus, et magis seria domi tractamus. O ordinem nostrum inuersum, et minime BENEDICTVM!* Et eodem in Chronico, *Vtinam in nostris coenobiis scholae floruissent semper, nosque secundum regulam uixissemus monastice,* non phan-

taſtice, *nec* Franciſcani, *nec* Dominicani, aut Bernhardini *orti eſſent! At ſocordia, luxus, et uita noſtra inordinata omnes iſtos fratres ſuperinduxit q)*. Atque, hoc ſeculo, refert, ex tabulis ciuitatis Spirenſis, Lehmannus, ſacerdotes ius ciuitatis, quemadmodum alii ciues, acquiſiuiſſe, ita, ut libertate quacunque cum illis mercandi, uendendi, fruerentur, cetera ab oneribus ciuium publicis immunes *r)*.

CAPVT VIII

Quibus ex rebus maximum detrimentum res ſacra iuxta ac literaria capiebat, et contemtus eruditionis cõnſequebatur. Vnius, exempli cauſa, illiterati ſacerdotis meminiſſe iuuat, cui nomen Clementi ex Ordine Minorum erat. Candidatus ille ab Antiſtite interrogatus, *cur lapſi eſſent angeli?* reſpondebat. *Quia non ſeruabant ieiunium.* item, an Pontifex mentiri poſſet, cum omnes homines mentiri queant, *Haec quaeſtio*, aiebat, *eſt Metaphyſica*, tum, cur Pontifex uocaret ſe ſeruum ſeruorum Dei? *Quia ab omnibus*, reponebat, *in mundo profitum ſuum habet.* Taceo reliqua, quae extant in Chronico coenobii Virginum Otbergenſi *ſ)*. Simile huiuſmodi ex-

q) in Chronico Huxarienſi, p. XLV ſeq. Syntagm. Paulini. idem LXXI

r) L. VII cap. LXVI

ſ) ad an. cIↄ CCC XCVI §. LXVI p. CC XXVII Syntagm. Paulin.

di extat apud eundem *t*); ubi candidatus eiusmodi in examine probatus, diserte respondebat, *Presbyter non oportet disputare, sed credere, praedicare et sacrificare.*

CAPVT IX

Vt mirari non subeat, fuisse, qui ipsorummet sacerdotum mores et doctrinam reprehenderent grauius quidem, attamen, cum arguerent eos, in contrarias saepe sententias prolaberentur. Non raro etiam errorum accusabantur, cum errores Pontificiorum liberius accusarent ipsi, et exprobrarent. Erant in Boiemia et Austria, qui *Missas*, quas uocant, cultum, quem coelitibus sacrum esse uolebant Romani, *ieiunia* intempestiua, et plura improbarent, haereseos uel ideo etiam damnati. *Ex hac fece*, Trithemius ait, *Bohemia tunc infecta, usque in praesentem diem eisdem erroribus et turpitudinibus scatet u*). De quibus infra pluribus se expositurum, pollicetur in Vita Blasii, sed eo usque non progressus est. Facile est intellectu, petere eum Hussum et eius uindices. Vt non facile credere cuiuis aetatis huius scriptori liceat, si in haereticos referunt, cum saepe sint, qui eo crimine innocentes lacessantur, quando quidem illi

t) In Chron. Monasterii S. Petri ad An. cIɔ CCC LXII p. CCC VII

u) Chron. Hirsaug. p. CCXII.

Pontificiorum errores liberius refellere conabantur.

CAPVT X

Scholasticorum sordes et quaestiones perplexas eludere uidebantur, moresque deprauatos liberius, quam ferre poterant, coercere putabantur doctores nonnulli, in his maxime Ioannes duo, pietate insignes, *Taulerus* et *Rusbrockius*, qui uitae morumque sanctitatem uoce et scriptis defendebant, sed tamen ex impuris saepe riuulis sapere etiam uidebantur. Maxime enim illi *Theologiam Mysticam* inter Germanos tum mirabantur, multosque, ut idem subsecutis deinde temporibus facerent, auctoritate sua alliciebant. Illud accepimus, effecisse adeo, ut multi quidem aliter sentirent, alii auctores lacesserent, in his monachi, quorum uitam alios postulare mores, ingenue demonstrabant *x)*. Io. Trit-

x) Memoriam Io. Tauleri edidit Vitembergae, disputatione An. cIↃ IↃC LXXXVIII M. Georg. Frider. Heupelius, Historiamque eiusdem edidit Io. Georg. Lipperus anno post Luneburgi. Plura eam in rem referunt Godefr. Arnoldus de Orig. Theol. Myst. insignis eius cultor et propugnator, qui cap. XXI de Mysticis Script. Sec. XIV utriusque scripta pluribus recensuit, et elogia cumulate collegit. Contra eum, post alios plures legenda est Summereu. D. G. VVernsdorfii disputatio elegans de Theologia Mystica, An. cIↃ IↃCCXIV Cetera uid. Reimannus P. II Introd. in Hist. lit. Germ. p. CCXIV seqq.

Trithemius, Io. Rusbroccium uirum deuotum quidem, at *parum literatum*, uocat, atque, multa in eius scriptis iam tum *erronea* obseruata ab eruditis, refert *y*). Eiusdemque scripta quaedam potissimum, *de ornatu nuptiarum spiritualium*, caute legenda, monuit iam tum Io. Gerson, eodem teste *z*).

CAPVT XI

Sanctioris etiam uitae opinionem ostentabat societas *Flagellantium*, ut se uocabant, qui ex Italia *a*) egressi in Germania, utriusque sexus, et aetatis homines sibi adiungebant numero plurimos, sacerdotes etiam et eruditos, nobiles et ignobiles, pueros et aetate prouectos, ab genio, nescio quo, per literas in templo Hierosolymorum Petrino

Kk 5 moni-

y) De Script. Ecclef. p. CCC XXXII

z) De Script. Illustribus, p. CXLVIII

a) Ex Vngaria deducit Trithemius Chron. Sponheim. ad An. cIↃCCC XLIX p. CCC XXI ex Italia Chronicon Augustense ad an. cIↃCCLX p. CCC LXXXI T. I Freher. ex quo supra uerba adduximus, Alb. Cranzius, Metrop. Lib. IX cap. XLIV *Omnes*, ut testis locuples est Albertus, *gestabant cruces ante, et retro, in ueste et pileo, habentes flagella, uestibus appensa, nec in una parochia ultra unam noctem manserunt*, Chron. p. CL Henricus Rebdorfius Annal. ad an. cIↃCCC XLVII p. CCCC XXXIX Cum Cranzio consentit Carol. Sigonius de regno Italiae Historia, ex quo Christianus Schoetgenius de Secta Flagellantium Commentatione, c. IV p. LVII

moniti, exprobrabant religionis sociis sacrorum festorumque dierum contemptum, et alia huiusmodi, quibus Seruator Christus grauiter offensus quidem, attamen, ab Maria, S. Virgine, et diuis coelitibus rogatus, edicto proposito, uoluisset, quemlibet quatuor et triginta dies, patria exulem, uirgis praeacutis, quibus caederetur, gratiam sibi conciliare. Bini semper incedebant, singulari habitu, et in terram ubicunque essent, in crucis formam prostrati, nudi, se uirgis illis inter cantus insigniter, ut sanguis proflueret, percutiebant, Deum pro admissis quoruncunque, etiam in *igne*, quem uocant, *purgatorio* precibus placaturi. Socii huiusmodi turbas maximas dederunt in Austria, Sueuia, Heluetia, Franconia, sigillatim Vormatiae, Moguntiae, Basileae, Argentorati, maxime uero Spirae Nemetum, in quam ciuitatem ingressi sunt ducenti An. CIↃ CCC XLIX allectisque in sodalitatem fere trecentis, maiora ausi fuissent, nisi Carolus IV imp., et Clemens VI finem audaciae religiosae mox statuissent *b*).

CAPVT

b) Albertus Argentorat. p. CXLIX CL CLV Io. Trithemius Chron. Sponheim. ad An. CIↃ CCCCXLIX p. CCC XXI Alb. Cranzius Metrop. L. IX c. XLIIII Lehmannus Chron Spirensi, L. VII c. XLV pluribus ex instituto Cl. Schoetgenius dicto loco, ubi et doctrinam eorundem ex Herm. Hardtio pluribus repetit. Conr. Botho magistrum cohortis, sub initium semper cecinisse, nescio, quo auctore, memorat, rhythmum,

CAPVT XII

Tumultus quoque paſſim excitabantur, annis potiſſimum CIↃ CCC XLVIII et XLIX quibus occaſionem dediſſe uidebatur peſtilentia, quae innumerabilem hominum multitudinem neci immolabat. Eius cauſam tribuebant plebeii homines *Iudaeis*, quippe qui, immiſſo in fontes ueneno, tantam, et tam funeſtam luem effeciſſent. Vnde in multis, maxime ad rhenum, ciuitatibus, nominatim Baſileae, Friburgi, Spirae, Argentorati, VVormatiae, Oppenheimii, Moguntiae, Heidelbergae, Francofurti, facta in Iudaeos conſpiratione, alii igne cremati ſunt, alii aquis ſubmerſi, alii praecipites dati, alii capite multati, alii interfecti, alii per plateas ignominioſe ducti, et omni cruciatus genere uexati, alii, ut ſaeuitiae ſe eriperent, ſibi ſuiſque ipſis uim intulerunt, cum nemo totius biennii tempore eſſet, qui illatam ab plebe defendere ſuſtineret *c*).

CAPVT

Hii holdet upp iuvve hende,
Dat God duſſem Starven vvende,
Strecket ut iuvve arme,
Dat God ſic ouer iu uorbarme.

Chron. Brunſuic. Picturato, T. III Leibnic. p. CCCLXXX Eadem affert Schoetgenius c. III p. XXXIX

c) Albertus Arg. Chron. p. CXLVII ſeqq. et de rebus geſtis Bertoldi, Antiſtitis Argentoratenſis, p. CLXXVII ſeq. Trithemius Chron. Hirſaug. ad an.

CAPVT III

Caput hoc feculo extulerunt *focietates Fratrum*, et multis reditibus, ac priuilegiis Principum et Antiftitum locupletatae, in primis *Calendariorum* illae, quae hoc feculo frequentius, quam fuperiore illo, quo coeperant, conuenerunt in nonnullis locis, officii, quod commune inter fe habebant, cauffa, exclufis tamen, qui, auctoritate publica, ex facrorum communione erant exterminati. Theodoricus, Antiftes Brandenburgicus Seruestanorum Fratrum focietatem firmam ratamque habebat, eo confilio, ut ter quaterue *d*) quotannis conuenirent, *et diuina*

cIↃ CCC XLVIII feq. p. CCXXV Eandem formulam ferebant in Gallia, tefte Henrico Sterone, Annalibus Altahenfibus ad an. cIↃ CCC VI p. CCCCV et ad annum cIↃ CCC XLVIII p. CCCCXLIV T. I Freheri.

d) Idem patet ex inftitutis Fratrum Ofterodenfium, quae feculo XVI edita quidem, attamen multa habent, quae rei lucem afferunt apud Leucfeld. Antiqu. Groening. c. IX p. CIIX Illi tamen certum definierunt numerum, ad XII quibus praeerat *Decanus*, ab cuius arbitrio et nutu pendebant reliqui, conftitutis etiam duobus, qui reditus curarent, redituumque rationem redderent Ordinis praefidi. Finitis facris apud hunc ipfum coenabant omnes, ita, ut, diffluere tamen luxuria, nemini liceret. Ex quibus intelligimus, inftituta haec renouata, eo confilio, ut errores et uitia, quae huc ufque primas tenuerant, exterminarentur, fuufque ordini honos conftaret.

na officia, uigilias, et Missas, quos et quantas ipsis placuerit, solenniter celebrarent *e*). Quod diploma

e) Iis in tabulis mentio fit *altaris* cuiusdam *portatilis*, quod alias quoque *Petra sacra* appellatur, haud dubie, quia ex lapidibus ea altaria, quae secum in itinere portabant, confecta erant, tabulis, e ligno confectis, ut sine motu consisterent, inclusa. Rem illam probant uerba diplomatis, quae repeto, *In tabulis consecratis, in altaribus portatilibus decenter ornatis, fixis et consecratis, si necesse fuerit celebrare* (Missas). Itaque satis erat superstitioni, tabulas lapideas, mensa circumclusas, immobiles seruare, tametsi mensa moueretur. Originem istorum altarium inter Christianos satis certum non habemus, De Romanis, ad superstitiosos deuenisse, dubium non est. Homines religioni profani uaria item altaria habebant, et, si non circumferre, tamen exstruere quouis loco in itinere uel alias solebant. *Altaria sepulcralia*, quibus Diis manibus sacrificabant, nota sunt. Virgilius in funere Polydori, *ingens aggeritur tumulo tellus, stant manibus arae*. Aen. Lib. III u. LXII LXIII iterum in celebritate funeris Anchisae L. V u. LXXV LXXXVI et XCIII Sic expresse *ara sepulcri* Lib. VI u. CLXXVII Quos locos illustrat Seruius. Quanquam postremum illum de *pyra* interpretatur, cum, aram ante sepulturam fieri, moris fuerit Romani. p. cIↄXV De Germanis idem tradit Tacitus Annal. III aras DIs Manibus statuisse. Alia complura de aris sepulcralibus exempla collegit literatissimus Circhmannus de Funeribus Rom. Lib. IV c. II p. CCCLXXI seq. Tum habebant *aras gramineas*, Marti sacras, quibus, cum de bello ageretur, sacrificabant, aris e cespite, uel gramine, quod Marti sacrum erat, constructis. Virg. Aen. XII u. CXIIX CXIX ad eumque locum Seruius et Donatus. Ritus huius similitudinem sacrificandi

diploma ex tabulario protulit Io. Christoph. Becmannus *f*). Similia sunt Dessauiensium, Cosuicensium, Coethenensium, quae ibidem conseruauit, ex quibus intelligas, quae fuerit societatum illarum ratio, quae ueneratio, qui honos et amor cultus diuini dicam, an superstitionis propagandae. Illud ex uno horum, quod an. CIↃ CCC LXXVIII exiit, mihi constat, subtimuisse, ne quando, ut, usu uenisse, nouimus, desineret pietas illa, atque hinc mature de euentu, qui secutus est, sollicitum, quaecunque fieri deinceps uellet, constituisse Ioannem, Principem Anhaltinum. *Ista tamen conditione, seu ordinatione - - statuimus pertinendum g*). Aliud ex hoc seculo attulit Christian. Franciscus Paulinius Chron. Virg. Coenobii Ottbergens. *h*). Leucfeldius literas profert, ex quibus constat, et Groeningenses hoc seculo iam extitisse *i*).

CAPVT XIV

Auctor suasorque erat, praeter ceteros, Germanis etiam Clemens VI ad suscipiendam

in itinere agnoscimus in altaribus portatilibus Romanorum. Cetera Celeb. Io. Andr. Schmidius de eis pluribus egit ex instituto.

f) Chron. Anhalt. P. VI cap. IV §. XI

g) l. c. §. X

h) p. CLXXV idem addatur Chron. Monast. S. Petri ad An. cIↃ CCC LXXVIII p. CCCIIX

i) Antiquit. Groening. cap. IX §. VIII p. CXIV

endam contra Thraces et Saracenos, qui rei Chriſtianae moleſti erant, *expeditionem*, propoſitis, ut facilius moueret, praemiis nouis, et necdum auditis, quae laudat Io. Trithemius, uix digna, quae commemorentur hoc loco, cum inanem peccatorum, quae committerent, remittendorum ſpem faceret, et licentiae feneſtras patefaceret. Eo profectos quidem ex Europa homines utriuſque ſexus, multitudine innumerabiles, memorant, ſed libidinibus uoluptatibuſque illi ſtudebant magis, quam rei Chriſtianae propugnandae, ut, non ſine ingenti clade, redirent ad ſuos, quod diſſimulare Trithemius non poteſt *k*).

LIBER XIV

DE

LITERIS HVMANIORIBVS.

CAPVT I

Ruinam nunc demum penitus minabantur ſcholae, ex quibus pietas, induſtria et diſciplina omnis exterminabantur, contra luxuria, libido, otium, et licentia familiam ducebant. Quare multae extant

k) Chron. Hirſaug. ad An. cIↃ CCC XLIV p. CC XXII ſeq.

extant querelae apud scriptores, quae miseriam rei literariae expromunt, cum nemo amplius literarum dulcedine caperetur, nec quisquam esset, qui memoriam temporum ab obliuione uindicaret. De quibus supra iam tum docuimus quidem, non tamen auctoris, qui ingenuus est, et ex eodem seculo superstes, meminisse haud poenitebit. Is uero iterum est Petr. VVisselbeccius, qui etiam, cum enumerat res, superioribus gestas temporibus, suspiria interserit de suo, quod calamitosum, si cum reliquis conferas, uideatur. *Ex scholis*, inquit ille quidem, *omnis nostra salus, omnis gloria, omnis auctoritas et diuitiae. Nunc uero nullius rei minor habetur cura in coenobiis nostris, quam scholarum. Inde ludibrium populo sumus, et omni genti odium. Apex presbyterii, psalmos deblaterare in templo, aut aliquid mussitare in stallo, seu in angulo missam legere. Immo, si quae uiuida sint ingenia, et, exemplo maiorum accensa, studia serio amplecti uelint, damnantur ad alios labores, plane rusticos et sordidos. Si qui autem de uaccis, caballis, canibus uenaticis, de tritico et brassica bene discurrere ualeant, hi digni sunt ad regendas Praeposituras et familias ampliores. Ita puri Idiotae et homines prorsus agrestes nascuntur in monasteriis l).* Consimiles querimonias excitat alias, et item Trithemius, iacturamque dolet, quam ex ignauia illa et socordia monachorum cepit Historia, quem-

l) In Chron. Huxariensi p. XVII Syntagm. Paulini.

quemadmodum infra patebit. Huc ufque enim in Germania fcholae in coenobiis continebantur, in eifque, multo labore, pueri et adolefcentes ad Grammaticam, Rhetoricam et Arithmeticam erudiebantur quidem, attamen, pluribus fane annis, uix ac ne uix quidem Latine loqui difcebant. Qui in Theologia, iure Pontificio, Medicina, et Philofophia progreffus facere cuperent, excurrere ad exteros, figillatim ad Italos et Gallos, et Bononiae, uel Lutetiae Parifiorum, in Gymnafiis illuftribus, cupiditati difcendi fatiffacere cogebantur *m*).

CAPVT II

Satis diu, magnis impenfis, difficilius quidem, literis difciplinifque operam dederant Germani. Hoc tamen feculo tandem occurrere huic impedimento, cum, confenefcere magis magifque ftudium difcendi, intelligerent, elaborabant reges atque Principes, mufarum Vindices ac Statores fummi, conftitutis, quas eadem animi contentione quidem, non tamen tantis fumptibus inuiferent, fcholis patriae illuftribus, quas etiam *Gymnafia uniuerfalia*, *Vniuerfitates*, et demum *ftudia uniuerfalia itemque generalia*, *uel fcholarum uniuerfitatis ftudia*, poftero tempore uocabant. Guftauus Ferrarius, uel quifquis au-

 ctor

m) V. Lehmann. Chron. Spir. L. VII c. XXXIIX

ctor fuerit, qui hoc argumentum eruere conatus eſt, in Bibliotheca Halenſi *n*) *Academiae* titulum ſocietati cuidam literatae a Beſſarione, Purpurato, Romae, Seculo XV datum, ex Platina probat. Sed, quo tempore Gymnaſia illuſtria, ut primum uocabantur, ſiue *Vniuerſitates* illae ceperint Academiae appellari, nec dum penitus exploratum, fatetur. Non ſine cauſa tamen coniicit, ab ſtatoribus literarum elegantiorum duobus illis Phil. Melanchthone et Er. Roterodamo *Academiae* nomen profectum. Fateor ego, me ſimilia animaduertiſſe, et recordor, ante ſeculum XVI Academiae nomen uix auditum. Sec. XV Th. Engelhuſius Chron. ad an. CIↃ CCC XLIIX *o*), Carolum IV ſcribit, *fundaſſe ſtudium Pragenſe*, itemque anno CIↃ CCCC VIII nominat *ſtudium Lipſienſe p*). Ludouicus in tabulis Academiae Ingoſtadienſis, *Vniuerſitas et ſtudium generale*, anno CIↃ CCCC LXXII Leon. Paulholzius in Supplemento Chron. Bau. Andr. Ratiſponenſis *q*) Theodoricus Niemius in Vita Ioannis XXIII *Studium Bononienſe r*). *Vniuerſitatem ſtudii et Vniuerſitatem Pragenſem.* Ita Gobelinus; *ſtudium Pragenſe ſ*). Erdvvinus Erdmannus *ſtudium priuilegiatum*, uocat

n) P. XLV p. CCC LXIII ſeq.
o) p. cIↄ CC XXVIII T. II Leibn.
p) p. cIↄ C XXXVIII
q) p. LXVI
r) p. VI T. I Meib. itemque p. XLVIII
ſ) Coſmodr. aet. VI c. XCV p. CCC XLII T. I Meib.

uocat *t*). Ac Seculo XVI adhuc *ſtudium Vniuerſale* uocatur, quod ex tabulis Ioannis, Antiſtitis Miſnenſis, an. CIↃ IↃ XVII prid. KL. Aug. Stolpenae editis, eiſque manu ſcriptis mihi conſtat, in quibus Academiam ita uocat. Fridericus Saxo uocatur *fundator ſtudii* Vitembergenſis in formula iuriſiurandi, et Martinus Pollichius, primus *huius ſtudii Rector*, Goſvvinus de Orloy, primus *huius ſtudii Cancellarius*, apud Godefr. Sueuum in Academia Vitembergenſi. *Studium generale, ſiue Vniuerſitas, aut Gymnaſium*, plus ſemel dicitur in priuilegio Maximiliani, Imp., Academiae Vitemb. dato. *Studium uniuerſale, ſtudium Vniuerſitatis* in diplomate Iulii, Pontif. R. Bis Academia dicitur in commemoratione inaugurationis an. CIↃ IↃ II factae. *Introniſata* eſt, inquit auctor illius, *Academia Albiorena* et Goſvvinus de Orloy *Academiae Cancellarius*. Ex ſcriptoribus tamen et diplomatibus aeui medii obſeruaui, nomen *Vniuerſitatis*, coenobiorum ſodalibus, iuxta ac ciuitatibus imponi conſueſſe *u*). Conſentio interea cum G. Ferrario, et exiſtimo, a Melanthone Academiae titulum ac nomen renouatum, eo potiſſimum argumento, quod Lutherus ipſe in epiſtolis ante, quam Melanthon Vitembergam uenerat, Vitebergenſem illam *Vniuerſitatem* appellat, poſt uero *Academiae* nomen,

 haud

t) Chron. Oſnabrug. p. CXCVI T. II Meib.
u) Chron. Hüxar. p. XVIII p. XXVI Syntagm. Paulini.

haud dubie Philippum secutus, usurpauit. Quod ex Parte I Epistolarum eius lectori manifestum erit, ubi usque ad annum CIↃIↃXVIII semper et ubique *Vniuersitatem*, uel *Gymnasium*, post etiam Academiam nominauit. Ac Ioachimus Camerarius, cum de Vitembergensi illa a Friderico, Saxone, condita, scribit, *Sic*, ait, *usitatum est, nominari congregationes profitentium doctrinam, et studium optimarum disciplinarum, atque artium, Academias*, de quibus ibi agit in Vita Philippi *x*).

CAPVT III

Sed ad *Vniuersitates* Germaniae primas redeamus, quarum prima erat Heidelbergensis, ab Ruperto Palatino CIↃCCCXLVI instituta. Io. Trithemius, *Rupertus*, ait, *gymnasium uniuersale Heidelbergense primus fundauit y*). Post hunc Carolus IV *Pragensem* illam instituit *Vniuersitatem*, quae celebritate ciuium et doctorum reliquas in Germania mox superabat. Praeterea antistitem Pragensem, ut Moguntino Henrico, ad cuius dioecesin huc usque pertinuerat, aegre faceret, summum nominabat *z*). *Erectum est item studium generale seu Vniuersitatis in ciuitate Coloniensi,*

x) p. XXIII
y) Chron. Hirsaug. p. CCXXI
z) Albertus Argent. Chron. ad An. CIↃCCCXLVI p. CXXXV qui mutationem ecclesiae Pragensis commemorat.

ensi, ut loquitur Trithemius in Chron. Sponheimensi *a*) tum *Erfordiensis* in Turingia coepit *b*).

CAPVT IV

Quamuis scholae illustriores in Germanis aperirentur, tamen ne sic quidem barbariam profligare poterant, musasque ab exilio reuocare. Complures quidem, attamen ad unum omnes eodem *eloquentiae* elogio claros, ut assolet, celebrat Io. Trithemius in his sigillatim *Io. Hildesheimensem*, quem *Theologum*, *Rhetorem*, *Philosophum*, *poetamque celeberrimum* uocat, laudatque eius *Opus metricum*, *de monstris in Ecclesia*, *Chronicon* et plura, quae, industrium quidem, attamen non eis praesidiis ornatum, quae requiras, produnt, tum *Petrum et Conradum*, Saxones *Conradum de Altzeya*, eisdem fere laudibus insignes, *Henricum de Kalkar*, sed, quae fuerit elegantia dicendi, uel ex conditione temporum iudicare licet *c*). Viri sane eiusmodi sunt, quos

 inter

a) p. CCC XXXVI Anno clↃ CCC XCII

b) ibidem p. CCC XXXVIII Chron. Osnabrugense p. CC XXI T. II Meib. Gudenus Lib. II Hist. Erfurt. p. CXXI ad annum seculi XIV undenonagesimum, Serrarius contra in annum duodenonagesimum natalem Academiae Erfurtensis incidisse, contendunt. V. Io. Christ. Paulini Annal. Isenacens., p. CIV Syntagm. Germ.

c) de Viris illustr. p. CXLII CXLVI sqq. de Script. Eccles. p. CCC XXVII seq.

inter *illustres* retulit ille, qui ne inter uulgus quidem doctorum numerari mereantur. Vnius, eiusdemque *accurati Graeci*, *Osvvaldi Stottermanni* meminit, eiusque in Hesiodum, poetam, commentarium laudat Petr. VVisselbeccius ad an. CIƆ CCCXLI *d*).

CAPVT V

I

Easdem querelas uideas de Historiae contemptu moueri ab scriptoribus eiusdem aetatis, cum primis iterum ab diligente P. VVisselbeccio, qui, laudata Marcvvardi, Vicboldi et Theodorici Daluichii, Abbatum Corbeiensium, in colligendis conseruandisque antiquitatis remotae monumentis, *Ita sane rectius*, ait, *consulerent monasteriis suis* (Praelati) *At plerique*, *idiotae usum historiarum et annalium non intelligunt*, *nec aestimant* Chron. Huxar. *e*). Consimilis querimonia extat in *actis et factis Praesulum Nuenburgensium. Pudeat Episcopos nostros*, *ut non quisque suae dioecesi ordinet doctum* historicum, *qui totius ecclesiae acta et facta ordine colligat et conscribat fideliter ad perpetuam rei memoriam*, *et posteritatis tam* delectationem, *quam* informationem, *cum tamen uide-*

d) p. LXXXIII Chron. Huxariensis Syntagm. Paulini.

e) p. LXXXIII ad an. CIƆCCCXL Theod. Daluichii literas, quibus historiae studium suis commendauit optime, recitauimus in prooemio.

uidemus, quod aliquando ob leue dissidium, et minutam liticulam, multi oriantur motus. In quolibet capitulo historicus *esse debebat, qui sane ut* utilis, *sic* necessarius *esset. Sed, quamdiu colamus* culices, *tamdiu deglutiuntur* cameli *f)*. Nec semel deplorat miseriam coenobiorum, et monachos ignauiae accusat Io. Trithemius, praecipue in uita Vighardi, Abbatis Hirsaug., in qua rerum, quae, superstite eo, fuerint gestae, inopiam excusaturus, *Erat*, inquit, *tempus illud nebulosum, et ignorantiae tenebris plenum, quando periit non solum in hoc monasterio Hirsaugiensi, sed in omnibus quoque monasteriis nostri ordinis, pene in tota Germania, obseruantia regularis, et monachi, carnis uoluptatibus dediti, studium literarum, quod maiores nostros quondam fecit gloriosos, penitus abiicientes, nihil minus, quam suorum gesta conscribere Praelatorum cogitabant. Hinc factum est huius quoque insignis coenobii actuum memorandorum turpe silentium, quia nullus fuit a tempore Euerbardi abbatis, usque ad Fridericum, eius nominis secundum, per annos ferme septuaginta supra ducentos, qui gesta et successiones Abbatum clare, ut alii fecerant olim, describeret g)*. Easdem de hoc itidem, et suo etiam seculo repetit, Vignandi, qui Vighardo II successit, uitam expositurus, annalium opera destitutus. *Postea quam*, ait, *amor et studium literarum a monachis deficere coepit una cum*

 disci-

f) p. CXLIII Syntagm. Paulini.
g) Chron. Hirsaug. ad an. cIↄCCCLIV p. CCXXVII

disciplina obseruantiae regularis, mirandum non est, si nec monasteriorum suorum conditiones pro tempore saepius uariatas nec successiones, actaque suorum literis mandauerint abbatum, cum ex his, qui hodie uiuunt sub reformationis Burssfeldinae titulo, nec unum quidem inuenire potuerimus de omnibus, qui, ueterum exemplo animatus, uel scribere nouam, uel continuare diu incboatam proprii sui monasterii Chronicam, ad informationem posteritatis, aut uelit, aut possit. Proh pudor! dicere de multis abbatibus, qui sanctam obseruantiam regularis uitae cum suis monachis profitentur, qui historiae utilitatem ignorant, quid nobis opponant, compellor. Aiunt enim, Quid nobis scire conducere potest fundationis monasteriorum nostrorum antiquitas? Quid, Abbatum uel successiones, uel gesta reducere ad memoriam, confert, qui in puluere mortis dormiunt, nec ullis laudibus demulcentur? O iam sepulti, ignaui homines uiui, quorum peribit memoria cum sonitu, quam sitis asinini ac rudis ingenii, palam ostenditis, qui bonum contemnitis historiarum, quod assequi non potestis. Historia uiuis, tam praesentibus, quam futuris conscribitur, non mortuis. Vos ergo, si uiueretis intellectu, historias utique amaretis. Valeant ergo uiui homines, ignorantia sepulti, et sibi uiuant solis ignauia sua contenti, nulli utiles, nullique in bonis actionibus uel studiis imitabiles h). Copiosa quidem haec sunt, attamen uel ideo memoria digna, quod ex domestico teste tam plana

h) p. CCXXX

plana ſunt et perſpicua, ut clarius audire teſtimonium non poſſis, tum etiam rationem, in monaſteriis olim, et conſuetudinem laudabilem, expromit hoc ipſo hiſtoricus, quando uidelicet in quouis coenobio fuerunt omni tempore, qui res, in patria, et finitimis regionibus, geſtas, induſtrie ac diligenter annotauerunt. Clarius hoc patet ex Theodorici Abbatis Corbeienſis, qui, laudabili anteceſſorum exemplo, Marquardi et Vicboldi inductus, literas emiſit, quibus omnibus coenobiorum dioeceſeos ſuae ſociis propoſitum indicauit, atque, ut felicius ſuccederet, uoluit, ut, quod quiſque de ſuo monaſterio, literis iam tum conſignatum, haberet, diligentius conſeruaret, atque, obſeruato annorum ordine, perſequeretur. Si uero nihil extaret, aliquis *idoneus et fidelis uir* conſcriberet. Ipſe uero, quaecunque lucem rei ac memoriae temporum afferre poſſent, ex tabulario et bibliotheca ſe ſubminiſtraturum, liberaliter promiſit *i*).

II

Non deerant attamen uiri pii et eruditi, qui, pro uirili, temporum ſuorum res conſeruabant. Libri eorum partim ad poſteros peruenerunt, partim in bibliothecis latent, partim uero interierunt. Laudat hoc quidem ſeculo plures VViſſelbeccius, attamen,

 uti

i) An. cIↄ CCC XXXVII p. LXXXI ſeq. Chron. Hüxar. apud Petr. VViſſelbeccium.

uti colligere ex ipso auctore licet, ex superiori seculo superstites. In his est *Crato de Hardenberg*, primarius coenobii Corbeiensis monachus, *de miraculis Corbeiensibus*, *Fridericus de Seldenstede*, *qui omnium Abbatum Vitas usque ad Robertum*, *carmine* descripsit, *Henning. Strudeler*, qui *Chronicon Braclense*, *Ieremias Karck*, qui *Siluam Sollingensem*, itidem carmine, *Caspar de Marbolt*, qui *idolum Rugianensium Suanteuit*, *Ernestus de Rheden*, qui *de Abbatiola Meppensi* libellum reliquit, de familia *Amelunxiana* neruosum chronicon *Fridericus* de Amelunxen edidit, multis memorabilibus rebus refertum. Sed num hi, et item plures, qui in bibliotheca Corbeiensi seruati fuerant, ab interitu conseruati sint, dicere non licet *k*). *Herboldus Vesthemius de rebus Eresburgensibus* uolumen, at, quod ex VVisselbeccio manifestum est, reliquit imperfectum, et obliuione interceptum *l*). *Vichardus a Polheim*, Austrius, et antistes Salisburgensis an. CIↃ CCC XII constitutus, qui *chronicon*, ad eum usque annum condidit, et res Austriae enarrauit, ac Vindobonae superesse dicitur, laudauitque Vrstisius in prooemio Script. Germ. obiit Vichardus an. CIↃ CCC XV *m*). Praeter hos huc pertinent *Volcomarus*, Abbas Furstenfeldensis, et Ludouico Ludouici, imp., parenti

a con-

k) VVisselbeccius p. LXXXI

l) p LXXXIII

m) Vossius de Hist. Lat. L. III c. IX

a consiliis in Baioaria, qui Annales Boiorum ab an. Chr. ıɔ VIII usque ad an. CIↃ CCC XIV scripsisse dicitur ab Augustino *n*). *Iac. Guisius*, Montensis, Hannonius, Ordinis D. Francisci sodalis, et doctor Theologus sui temporis non contemnendus, qui, rebus in tabulariis et bibliothecis diligenter perlustratis, *Chronicon* confecit, quod tribus uoluminibus in membrana exaratis Montibus Hannoniae in bibliotheca Ordinis D. Francisci diligenter conseruatur, ab Auberto Miraeo lectum et probatum, qui optauit etiam, emitti quidem, attamen eis, quae Pontificis ad palatum non essent, omissis. Haud dubie causa est, quod in lucem necdum prodierit, tametsi pridem optauerint, et etiamnum optent rerum Germanicarum studiosi et solertes existimatores. Decessit CIↃ CCC XLVIII *o*). *Henricus* de *Herfordia*, quem perperam ab Trithemio *Erfordiensem* uocari monet Henr. Meibomius, senior, in notis ad Northouium *p*), locum uero, ubi fecerit, non addit. Sed in Catalogo Vir. Illustr. itemque de scriptoribus Eccl. semper nominat Henricum de Erfordia, eumque ab Ioanne de Erfordia, Turingo, qui eiusdem seculi fuit, distinguit

n) Lib. VII quem locum affert Reimannus introd. p. CCC XCIX. Ante hunc Ger. Io. Vossius de Hist. Lat. Lib. II c. LXIII p. Iↄ IV

o) Vossius de Hist. Lat. Lib. III c. III p. IↃXL

p) p. CCCC XII T. I

ſtinguit *q*). Ceterum fuit is monachus Saxo natione et Mindenſis *r*), hiſtoriamque eius, de *factis illuſtribus ab Orbe condito, uſque ad An. cIↄ CCC LV ſ*), uſurpauerunt auctor Chronici Belgici magni, et haud dubie Hermannus Lerbeccius, qui *magnum et doctiſſimum uirum Henricum de Heruordia* uocat *t*), laudauitque Trithemius ſub titulo, *Opus inſigne hiſtoriarum de memorabilibus factis.* Huc refert duos, Alberti Argent. aequales Chriſt. Vrſtiſius, *Frider. Cloſnerum*, qui pariter hiſtoriam a Rudolfo Habſburgio uſque ad annum cIↄ CCC LXII perduxerit, itemque *Iac. Kongelſhoſium*, qui res Argentoratenſes, uſque ad principium ſeculi XIV collegerit, in prooemio ad Albertum *u*), ſententiam tantum exauctorationis Venceſlai, Germ. regis anno cIↄ CCCC latam ex Kongelſhouii Chronico addidit Vrſtiſius Alberto Argentoratenſi, ſed utrum

q) p. CXLV et CCCXXIV Niſi Heruordiam potius, quam Erfordiam malle uideatur. Herfordiam expreſſit Ludouicus Germanicus in tabulis, ab Schurzfleiſchio in diſp. de Herfordia allatis.

r) Obiit Henricus de Erfordia A. cIↄ CCC LXX quem adduxit Auctor Chron. Mindenſ., Henricumque laude ſua dignum habuit p. Iↄ LXIX T. I Meib.

ſ) Non cIↄ CCCC LV ut perperam ab operis in Reimanni Introd. l. c. impreſſum eſt.

t) Chron. Comitum Schauenburg. p. Iↄ XV T. I Meib. cetera uide Chron. Mindenſe ad h. an. p. XXXVI Syntagm. Paulin. cuius auctor eum uocat *laborioſum et doctum hominem, ſcriptis etiam famoſum.* Voſſium de Hiſt. Lat. L. III p. Iↄ XXIX

u) T. II p. XCVI adde Voſſ. L. III p. Iↄ XLIV

utrum reliqui aetatem tulerint, dicere nunc non licet. Forte Alberti noſtri Hiſtoriam Friderico illi Cloſnero tribuerunt nonnulli, cum Chronicon Alberti aliquandiu ſine certo auctoris nomine latuerit, quod Vrſtiſius de ſuo codice teſtatur. *Io. Hildeſheimenſem*, qui de *trium regum corporibus Coloniam tranſlatis*, itemque *Chronicon* ab Trithemio confeciſſe dicitur de Viris illuſtribus, ubi plura eiuſmodi commenta Ioannis illius recenſet *x*). Breuiter addimus hic Egilvvardum, qui ſupereſt, monachum coenobii S. Burcardi apud Würceburgenſes, qui patroni huius tutelaris uitam deſcripſit. Atque ediderunt uitam S. Burcardi Surius et Caniſius. Sed incertum, quaenam ſit ab Egilvvardo profecta. Baronium ſequitur Voſſius, et Surii illam, quae copioſior eſt, Egilvardo tribuendam arbitratur *y*).

III

Superſtes etiamnum eſt, at non plenus et integer quoque, SIFFRIDVS, uel potius *Sigfridus*, *Preſbyter Miſnenſis*, qui Chronicon ab O. C. uſque ad An. CIↃ CCC VII edidit, hiſtoricus temporum illorum non indiligens, in temporibus ſuperioribus, non ea accuratione, ut ceteri aeui huius uiri, commendatur. Quae cauſa etiam Georg. Fabricium mouit, ut, *epitomen* potius, quam integrum opus

x) p. CXLVI adde Voſſium L. III p. IↃXXXI
y) de Hiſt. Lat. L. II c. LXII

pus eius ederet anno CIↃ IↃ LXIX cum annales Misniae adornaret. Nec eam tamen gratiam ab eruditis iniit Fabricius, quam retulisset, si integrum curasset. Io. Andr. Bosius uel propterea etiam Fabricio succenset, quod, praeterquam, quod Sigfredum in compendium redegit, *non pauca in contextu mutasse uideatur, ut lectoribus foret acceptior presbyter Misnensis z).* Quanquam in epitomen redactum Chronicon istud a Fabricio sit, nihilominus multa inutilia, et, quae fabulas redolent, habet. Quae omiserit Fabricius, in prooemio exposuit, *Post creationem mundi in suo opere ea recenset, quae in libris sacris traduntur, et historias addit ecclesiasticas sanctorum, quae apud scriptores ueteres Graecos, et Latinos, leguntur ornatius et copiosius.* Quae uerba tantum apud me ualent, ut Fabricium, historicum diligentem et antiquitatis peritum, imprudentiae culpa fere liberem, et, ea, quae alias superant accuratius exposita, omisisse duntaxat, credam. Epitomen Fabricianam attulit Parte I script. Germ. Io. Pistorius. Vt nisi ab alio quodam integer restituatur, laudem possessionis prope amisisse existimandus sit *a).*

IV
CHRONICON AVSTRALE ANTIQVVM,

z) In Notitia Script. hist. uniuers. §. XXIV p. CXCIII seq.

a) Vossius de Hist. Lat. L. II c. LXII Sagittarius Introd. in Hist. Eccl. c. X §. III

QVVM, cuius *Excerptum* dedit *Matthaeus Mareſchalcus de Bappenheim*, iuris doct. et *Canonicus* Auguſtanus, incipit Anno ıɔ ccc LII deſinitque anno cıɔ ccc xxvII res affert breuiter ſimpliciterque, et alias iam tum relatas. Quare accedit mox eiuſdem *Auſtralis hiſtoriae pars plenior de geſtis ſub Rudolpho, Adolpho, et Alberto, imperatoribus*, ab A. cıɔ ccLxxvI uſque ad A. cıɔ ccc II qua res Auſtriorum pluribus commemorantur. Edidit parte I Script. Germ. M. Freherus.

V

PHIL. EYSTETENSIS, equeſtris in Alſatis, Rodſamſhuſanorum familia ortus, ſacrarum literarum doctor, atque abbas Pariſienſis ordinis Ciſtercienſ. ac denique antiſtes Eichſtadienſis ab Clemente V pontif. conſecratus an. cıɔ ccc v Obiit an. cıɔ ccc xxII Scripſit uitam *S. VValpurgis*, uirginis, *abbatiſſae* Heidenheimenſis, ab Caniſio editam tomo IV antiq. Lect. *b*).

VI

LVDOLPHVS SAXO, quem male ab nonnullis Landulphum uocari Voſſius animaduertit, ordin. Carthuſ. apud Argentoratenſes, uitam Chriſti deſcripſit, ab Venetis Pariſiisque ſaepius emiſſam. Sed quae elegantia ex hoc ſeculo proficiſci queat, per ſe quiſque iudicabit. Addit denique Voſſius *Vdalricum a Lenzenburch*, antiſtitem Curienſem,

b) Voſſius de Hiſt. Lat. L. II c. LXIV

ſem, qui *Lucii* et *Amiſonis*, pontificum uitas perſcripſit, bello cetera illuſtrior, quam ſcriptis. deceſſit an. CIƆ CCC LV

VII

Pluribus hoc in loco commemoranda, puto de LEVOLDO NORTHOFIO *c*), qui inter praecipuos hiſtoricos numeratur, cum genere, tum uirtute ac dignitate, ab ſcriptoribus, qui in hiſtoria literaria extant, plerunque omiſſus. Fuit is, ut hoc primum conſtet, patria Veſtphalus, equeſtri, in agro Marcano, dignitate natus An. CIƆ CC LXXIIX d. XXI Ian. Rarius uideas ab ſcriptoribus aeui medii uel natalem diem, uel extremum uitae tempus, uiri laudati obſeruari. Leuoldus noſter pleraque ipſe de uita ſua Annalibus inſeruit, quod, niſi feciſſet ipſe, obſcura eius aetas haud dubie, ut aliorum, foret. An. CIƆ CC XCIV Erfurtum abiit in ſcholam, uel, ut ipſe ad hunc annum loquitur, *ad ſtudium in Erfort*. Anno tamen ſeculi XIII ſexto et nonageſimo inde reuocatus, at inuitus, eſt *d*), haud dubie, ut aetatem et ſtudia iuuenum comitum, in his Engelberti, regeret in ſchola Leo-

c) Chriſtianus Cleinſorgius in Chronico Lippienſi manuſcripto, itemque Eberhardi Curtii Codex, *Leonoldum*, probant. Ceterum nomen origine Germanicum eſt, atque, ut reddit Meibomius ſenior in uita, quam pariter, ex ipſo Northofio collectam, praemiſit, *Lieb* et *bold* ſignificat, quod Germani Lippoldum dicunt, p. CCCLXXVI T. I

d) p. CCC XCIII et CCC XCIV

Leodiensi. Id quod ipse iterum narrat in prooemio, quod eidem Engelberto inscriptum est, et boni fidelisque doctoris exemplum dedit, comitesque mature, educatione optima ad rempubl. praeparauit. Eo patriae notitiam historiae conferre plurimum, probauit, in qua iuuenes erudiuit, monuitque, ut in maiorum uitam intueretur saepius, ex eaque suam ornarent *e*). Anno CIƆ CCC VIII Auinionem, literarum cupiditate iuit An. seculi decimo Bopardiensis sacerdos factus, ita uixit, ut gubernatio *Praepositurae* ab Adolpho, Comite Marcano, ei committeretur *f*). Adolphus, Antistes Leodiensis, anno XIII factus, Northofium suum eodem aduocauit, honoribusque amplioribus ornauit an. XIV *g*). An. XXVI cum Engelberto, Comite, Romam profectus, beneficii memor, honores, quos filii eius Engelbertus et Euerhardus prensabant, non sine difficultate acquisiuit. Atque Comitibus illis L annos fidelem operam nauauit. Non postremo habenda loco est, quam in eruendis patriae antiquitatibus praestitit industria et fide singulari, adhibitis, quae in monasterio *Montis ueteris*, *Ordinis Cisterciensis* reliquae erant, schedis. Opus uero ipsum complectitur *Origines Marcanas*, siue, *Chronicon Comitum de Marca et Altera*, definitque Northofius in anno CIƆ CCC LVIII ipse

 iam

e) p. CCC LXXVII seqq.
f) p. CCC XCVII
g) p. CCC XCVIII

iam tum aetate confectus. Annos enim natus LXXX erat, cum finem ſcribendi faceret. Volebat autem, ut liber ille ſuus non alium in locum tranſferretur, ſed arctius conſeruaretur, atque a uiro iuuene, eoque erudito, eadem fide proferretur, additis, quae poſt id tempus gererentur, rebus in patria memorabilibus. Atque accedit ſupplementum ab anno CIↃ CCC LXVIII uſque ad an. ſeculi XCI incertum, Lefoldi, an alterius cuiuſdam opera, confectum. Diu latuit, et a paucis lectum Chronicon, nec ab ullo fere, praeterquam Hermanno Hammelmanno, in hiſtoria patriae cum laude uerſato, qui uidit et uſurpauit, laudatum. Hinc gratam eruditis rem fecit Henr. Meibomius, ſenior, qui notis eruditiſſimis ornatum edidit primus An. CIↃ IↃ CXIII Hanouiae per Vechelios, duobus manuſcriptis codicibus uſus, quorum alterum impetrauit ab Eberhardo Curtio, IC. Veſtphalo, ſed in multis locis deprauatum, alterum a Caſp. Svvarzio, Tremonienſi, ex quo reſtituit, quicquid in illo erat praetermiſſum, uel negligentius expreſſum. Sed, cum exempla illa ſubito uenderentur, ut rara eſſent, denuo emittendum, putabat Henrici Meibomii nepos, inſerebatque parte I Script. Germ. additis aui cl. notis *b*). Atque commodum in manus eius ueniebat alterum Levv. Northofii, quod reliquiſſe dicitur, monu-

b) p. CCCLXXI

numentum, *Catalogus* scilicet *Archi-Episcoporum Coloniensium*, quem ut ipse omnino non collegit, sic cum Chronico, quod supra laudauimus, uix est comparandus. Enimuero, quae ante eum collegerant alii, retinuit penitus, nec quicquam, ut ab initio monet, de industria mutauit. Definit uero in LVI, *Guilielmo de Genepe*, non tamen eius mortem, quae ad annum CIↃ CCC XLIX refertur, addit, temporibus licet illis superstes. Primo eum loco recensuit Henr. Meibomius T. II Script. Germ.

VIII

HENRICVS, monachus, ab coenobio, quod in dioecesi Eichstetensi D. Augustini regulas sequitur, REBDORFIENSIS dictus, Romae Iubilaeo anno CIↃ CCC L interfuit, quod ipse ad annum istum memorat. Eruditione non contemnenda fuit. Annales reliquit, quos ab anno CIↃ CC XCV orditur, et usque ad an. CIↃ CCC LXIII protulit, quibus res tempore Adolphi, Alberti, Friderici II Ludouici Bauari, et Caroli IV enarrauit, magna fide, atque hinc in rebus, maxime sub Ludouico et Carolo gestis, eundem et Albertum Argentoratensem, testes praecipuos perpetuo habet ICtus politissimus Christoph. Lehmannus, in Chronico Spirensi. Tametsi, ut Sagittarius meminit *i*), *Georgius Hervvartus ab Hohenburg*, *Cancellarius* Bauaricus,

 habuit,

i) l. c. §. V p. LXXVIII

habuit, quae in Rebdorfii accuratione desideraret, *in Ludouico IV imp. defenso*, cum Bzouium iniuriae Ludouico illatae accusaret, haud dubie, quia liberius de Ludouico Bauaro sententiam pronunciat Henricus Rebdorfius, et de odio eius in sacrorum ministros exponit. Primus eum edidit Marqu. Freherus T. I Script. Germ.

IX

Hunc pertinet PETRVS DVISBVRGIVS, qui Chronicon Borussiae ab anno CIↃ CC XXVI usque ad CIↃ CCC XXXVI edidit, quod ab alio quodam ad an. CIↃ CCCC XXXV deductum, atque ab Chr. Hartknochio Francofurti an. CIↃ IↃ LXXIX notis obseruationibusque illustratum, exiisse, recenset Iac. Frid. Reimannus *k*), qui addit, spem factam a celeber. Io. Petr. Ludouico, *uersionis Germanicae* per Seidelium emittendae, quam Nic. Ieroschinus eodem hoc seculo, anno speciatim XL confecisset.

X

Inter historicos seculi huius facile princeps est M. ALBERTVS ARGENTORATENSIS, siue *Albertus* de *Argentina*, quippe qui non solum rebus suae aetatis interfuit ipse, sed et, quod praecipuum, eas ipsas, ut gestae sunt, sine amore et odio, perscripsit, imperatorumque innocentiam contra Pontifices R. acriter defendit. Argentorati uixit, Argen-

k) l. c. p. CCCC III

Argentoratenſium ac finitimorum, cum primis Alſatorum ſuorum, Heluetiorum, Sueuorum, Francorum, Baioariorum, res accuratius enarrauit. Fidem ſuam probauit regni proceribus, legationemque obiit induſtrie, quam, auctoritate Principum imperii, ſuſcepit A. CIↃ CCC XXXVIII pro concilianda Ludouico Bauaro gratia Benedicti XII quod ipſe ad hunc annum refert *l*). Habemus uero ab eo *Chronicon* a Rudolpho Habſburgio, eiuſque auſpicio regni, anno ſigillatim CIↃ CC LXX uſque ad Carolum IV in cuius morte, quae in annum CIↃ CCC LXXVIII incidit, deſinit. Ipſum hoc Chronicon primus in lucem protraxit anno CIↃ IↃ XL et LIII *m*) Hiſtoricus Maximiliani, Imp. aeuo CL. Io. Cuſpinianus, ſed tamen ita corruptum, ut confirmaret, neminem tuto inſiſtere ueſtigiis, quae ſecutus fuiſſet ipſe, poſſe, propterea, quod libri manu ſcripti duo, quos nactus fuerat, deprauati admodum eſſent, horumque *alter, prae uetuſtate, uix legi potuiſſet, alter, a priore diuerſus, feneſtratus atque mancus fuiſſet.* Nactus uero Chriſt. Vrſtiſius recentiorem quidem, attamen integrum, codicem cum altero, quem e coenobio Eberſheimenſi, quod in Alſatia eſt, per celeber. Marchionum Badenſium et Hochbergenſium medicum, Io. Piſtorium, peruetuſtum, et in mem-

Mm 3 brana

l) p. CXXIX T. II Vrſtiſ.

m) Sagittarius Introd. in H. Ec. c. X §. VI p. LXXVIII ſeq.

brana ſcriptum, acceperat, collatum edidit T. II rer. Germ. *n*) Similiter, atque alterum illud Alberti monumentum, quod primum emiſit Vrſtiſius *de Rebus geſtis Bertoldi a Buchecke, Epiſcopi Argentoratenſis*, cuius cauſam in aula R. Pontificis, Benedicti XII praeſens tum etiam, cum pro imperatore anniteretur, defendendam ſuſcepit, Pontificiſque animum Antiſtiti ſuo, tametſi imperatori fidem, quam nolebat Pontifex, iure meritoque daret, conſeruauit *o*). Ipſam Bertoldi uitam, et res, ab eo geſtas, accurate explicauit, ſtilo ſimplici, et, ut ferebant tempora illa, minus polito, attamen meliore, quam ceteri, quos ex ſeculo illo ſuperſtites habemus. Non mireris tamen, noua ſubinde ab eo excogitata, e. c. *Zunfftarum Magiſter*, cuiuſmodi plura fingere haec aetas ſolebat *p*).

XI

Dignus pariter memoria eſt PETRVS ille VVISSELBECCIVS, vir certe ſeculi huius eruditione clariſſimus, et cum Alberto Argent. comparandus. Eius ſaepe meminimus ſupra, uitamque conſeruauit potiſſimum Gregorius VVittehemius, qui, facto initio ab eo, quo ſubſtitit VViſſelbeccius, anno, ad ſua pariter tempora perſecutus eſt Anna-

n) p. XCV ſeq.
o) Chr. l. c.
p) Voſſius de Hiſt. Lat. lib. III c. III p. IↄXXXVII Sagittarius, cap X §. VI p. LXXVIII ſeq. Reimannus l. c. p. CCCC III ſeq.

Annales. Natus uero, ut de uita primum dicamus, Viſſelbeccius Huxariae eſt anno CIↃ CCC XXXI, patre Cyriaco, urbis ſenatore, matre uero Anna Dilenburgia q). Literis, quibus aetas puerilis erudiri ſolet, formatus rite, Erfurtum conceſſit, et Philoſophia, ſanctiorique doctrina, animum poliuit. Studio autem uitae tranquillioris Amelungſbornam diſceſſit, ordinique *Ciſtertienſium Fratrum* ſe penitus deuouiſſet, niſi parentum, quam ſuae uoluntati obſequendum magis, putauiſſet. Ii enimuero D. Benedicti ſocietate puerum iam, inepta quorundam conſuetudine, addixerant. Atque in eum ordinem cooptari ſe, paſſus eſt Ereſburgi, antiquiſſimo et imperiali ad Dimolam coenobio, praeſide illius Tilemanno Delvvichio, An. Chr. CIↃ CCC XLVIII. aetatis XVII Pietati operam dedit in primis, eamque probauit Tilemanno Delvvichio, Conrado Plettenbergio, Io. Vtſlachtio, et Godefr. Sodero, uita functus CIↃ CCC XCV Per omne tempus uero in ſociorum mores et uitam animaduertit acrius, et liberius reprehendit, paſſimque etiam perſtringit Praeſidum et Praefectorum luxum et libidinem, egregio, quod reliquit, pietatis monumento, quod ab origine patriae, ſigillatim a temporibus Caroli M., exorſus, ad ſua uſque tempora pertexuit, collegitque res *ex variis regiſtris, manualibus et collectaneis monaſteriorum,*

 alio-

q) p. XCVI ſeq.

aliorumque ciuium compilauit, addens, quae uel a fide dignis acceperat, ſeu audierat, uiderat, et ipſe indagauerat, ut loquitur Gregor. VVittehennius *r)*. Inſcripſit *Chronicon Hüxarienſe*. Integritatis laudem probat, et modeſtiae famam cum primis ſectatur, nec diffitetur, ſe multo labore et induſtria, naturae indigentiae ſubueniſſe *ſ)*. Multa ſane habet uetuſtatis documenta, diplomata, et obſcurorum ſaepe ingeniorum, ex ſeculis barbaris, ſpecimina profert. Illud tamen ingenue de ſcribendi ratione pronuncio, auctorem in multis locis uel a Nic. Erbenio, uel alio quodam, mutatum, quod ipſi cl. Paulinio, ut ſecus exiſtimaret, cauſam dedit. Quod cum primis, ut exemplo conficiam, mihi conſtat, ex epigrammatibus et monimentis ſepulcralibus, quae ſane ex eo ſeculo non ſunt, quod alia, quae mutata non ſunt, ſatis probant. Nemo tamen huc uſque uidit Chronicon, uel legit, aut VViſſelbeccii uſquam meminit. Celeber. Chr. Fr. Paulinio ea contigit felicitas, ut, a blattis muribuſque partim conſumptum, partim ſordibus inquinatum, maximam tamen partem, ab interitu poſtliminio uindicaret. Eripuit etiam hoc ipſo e manibus Pontificiorum, qui, interiiſſe penitus, maluiſſe uidentur *t)*.

XII

r) p. CI

ſ) p. XVII ſq.

t) Extat in ſyntagmate eius Rer. Germ. cum uitis

XII

Auctor HISTORIAE DE ALBERTO II Duce Brunſuic. et Luneburg., Alberti pinguis filio, Antiſtite Halberſtadienſi, eoque ordine XXIX non XIX quod contra Halleruordium demonſtrat Cl. Reimannus. Eiuſdem cum Halleruordio ſententiae fuit Celeberr. Henr. Meibomius, nepos, non uero auus, quemadmodum, non dubito feſtinanter, ſcriptum eſt in Introd. Reimanni *u*). Nam Tomo II eum ex membrana inſeruit, eoque ordine diſtinxit. Auctorem quidem ignorari, putauit Meibomius, atque hinc, monachum, uel ſacerdotem, Halberſtadienſem fuiſſe, ſuſpicatus eſt, Guil. tamen Budaeus, medicus quidem ille, at hiſtoricus etiam, rerum Saxonicarum peritiſſimus, et magni ab omnibus aeſtimatus, tribuere mauult M. THEMONI, qui Alberti *Cancellarius* fuerit, poſtea uero *Decanus*. Hiſtoriam Alberti orſus eſt ab an. CIↃ CCC XXIV deduxitque ad an. XLIX Magni eius fidem habuit Budaeus ille, obſeruationibuſque ornauit in uita Alberti II cuius tamen partem duntaxat primam anno ſeculi ſuperioris XXIV Germanico ſermone emiſit. Totam autem ſe emiſiſſe, putabat Meibomius *Narrationem* illam, ſed Iac. Frid. Reimannus, plenius elegantiuſque exemplum, quam fuit Meibonianum, nactus, pol-

VViſſelbeccii, VVittehennii et Erbenii, notis illuſtratum CIↃ IↃ CXVIII

u) p. CCCCI

licetur operam in restituendo eo, at restituit illustris Godofr. Guil. Leibnitius, beneficio Reimanni, quod laudat Leibnitius *x*). Ex uerbis, quae apud hunc ipsum extrema sunt, uideas, Themonem, uel, quisquis auctor fuerit, Alberto non superstitem omnino fuisse, quia, quae deinceps usu uentura sint, ab alio, optat, in commentarios et tabulas referri.

XIII

Denique addimus hic OTTONEM KVLZINGIVM, patria Vllessensem, dioecefeos Verdensis, coenobiique Hilgentalensis, quod CIↃ CCC XIV condi coeptum est, anno autem seculi LXXXIII Luneburgum translatum, *Praepositum*, qui, quae diximus breuiter, ipse de se refert in *Fundatione et translatione monasterii sui in Lüneborch*, quam, prolatis etiam tabulis, descriptam reliquit, et, quia ipse superstes, et rebus illis interfuit, fidem tuetur. Edidit omnium primus Illustr. God. Guil. Leibnitius *y*).

XIV

Accedit IO. de POLDA, Hamelensis ecclesiae *Canonicus*, qui, *Chronicon* ecclesiae, in qua usque ad extremos Senectutis annos uixit, perscripturus, facto ab A. IↃ CC XII initio, maiora ausus est, quam potuit. Deducit

x) Introduct. in Tom. II num. XV XVI atque eo in Tomo p. CXLVIII - CLII

y) T. I Script. Brunsuic., p. CCCLXXXIII seq. V. idem introduct. in hunc Tomum p. XXXIII

cit quidem usque ad an. CIↃCCCLXXXIIII, sed rebus memorabilibus tenuem habemus librum, ut ne indicis quidem copiam contineat. Ad annum uero, quem dixi, ita de se, *Ego Ioannes de Polda, Canonicus huius ecclesiae de Hamelen, aetate et gradu senior, collegi hanc Chronicam Hamelensem de Legenda et uita S. Bonifacii, pro parte prima, partem secundam collegi ex decem priuilegiis de uenditione ecclesiae et opidi Hamelen, per Fuldenses facta et conscripta z)*. Ex quibus patet, uersus, qui additi sunt, ab alio recentiore profectos. Edidit Meibomius Tomo II Script. Germ. *a*). Quia uero Meibomius manu scriptum habuit codicem minus accuratum, sed multis in locis corruptum, prelo nouo committendum, putauit Leibnitius Tomo II Script. Brunsuic. *b*).

CAPVT VI

Insignia hoc seculo incrementa cepit lingua Germanica, et in compluribus Germaniae aulis recepta est, et scriptoribus, in conficiendis rerum gestarum commentariis, usitata. Affert Petrus VVisselbeccius Iusti Lenzenmayeri, ludi magistri in VVisara, opus, at imperfectum, *de Ecclesia S. Aegidii*, rhythmis lingua patria susceptum, sed tamen praeter dili-

z) p. IↃ XVI

a) p. IↃ XIII usque IↃ XVII

b) num. XLI p. IↃ VIII usque IↃ XVI

diligentiam, cum singularia non habuerit, laudare nihil potest, Chron. Hüxar. ad An. CIↃ CCCXXXIX *c*). Multa occurrunt diplomata, lingua hac edita, etiam ab imperatoribus, cuiusmodi plura protulit, ab Ludouico inprimis et Carolo IV proposita, Christoph. Lehmannus, itemque Leucfeldius Antiquit. Poeldens. *d*). Idem Leucfeldius ex *Fratrum Calendariorum* Societate tabulam quandam affert Antiquit. Groeningensibus *e*). Consimile extat apud Becmannum Hist. Anhalt. *f*). Neque tamen lingua Romana edere tabulas desinebant, sed utraque lingua conficiebant, et suppetunt ex Germanicis numero plurima, etiam ab sacerdotibus, Antistitibusque promulgata, quae munditiem sermonis produnt, usu iam conformatam. Quod patet ex tabulis Germanicis Ludouici Bauari et Caroli IV Chronico Mindensi *g*). Ex quibus patere, existimo, consuetudine, in aulis, non decreto Rudolphi Habsburgii, cuius nullum extat uestigium, contigisse, ut tabulae et formulae lingua Germanica emitterentur,

c) p. LXXXII

d) Chron. Spir. L. VII c. XXX Leucfeld. in appendice, p. CCLIX seq. Caroli IV plura. tum Cl. Paulinius in Annal. Isenac. p. LXXIII LXXXIV LXXXVI LXXXIX XCII XCIV CIV

e) C. IX p. CXIV

f) L. VI c. IV §. IX

g) T. III Pistor. p. IↃ CCXLIX IↃ CCLIII et alias apud Leibnit. T. I Script. Brunsuic. p. CCCXCVI seq.

rentur, quia et hoc etiamnum, et, quod ſecutum eſt, ſeculo, utraque lingua extant. Tum uero hoc ſeculo Principes nonnulli (imperatores et reges breuiores etiamnum ſeruabunt) formulas titulorum ampliores aſciuerunt, quod ex compluribus patet, ex quibus ad unum Kulzingium, exempli cauſa, prouoco *de Monaſt. Hilgenthal.* apud Leibn. *b*).

CAPVT VII

Ex bibliothecis Germaniae aliae locupletiores liberalitate quorundam ſunt redditae, aliae, luxuria monachorum, quin et ipſorummet Antiſtitum, diſſipatae, et ad paucos libros redactae. Laudat auctor Chronici monaſterii Lemgouienſis, Brochuſios, qui bibliothecam ornauerint, et *libros groſſos, ſummam Gaufredi Bibliam in duobus uoluminibus, inſtituta cum gloſſa, textum codicis, Summam Monaldi, et Sermones Pariſienſes* anno CIↃ CCC IV donauerit *i*). Numero facile aequabat ceteras Corbeienſis illa, in qua conſeruabantur rei antiquariae documenta, cuiuſmodi Theodoricus, ſi quis patriae memoriam conſeruare, ac propagare ad poſteros cuperet, liberali opera offerebat, horumque aliquot, de

b) T. I p. CCCXCII Trithemius Chron. Hirſaug. ad An. cIↃ CCC XLV p. CC XXIII Cum primis Albertus Argent. de Leopoldo Auſtrio, p. CXXIII T. II Vrſtiſ.

i) T. I p. IↃ XXXI T. II Meibom.

de quibus supra docuimus, enumerat Petr. Visselbeccius Chron. Hüxar. *k*). Ac liberalitatem quidem, qua auxissent bibliothecam istam Guil. Ammons, et Sabina Mondeschz, laudant Annales Corbeienses *l*). itemque Ioachimus de Bramburg, qui uarios, bello Vngarico interceptos, Arabicos pariter, atque Ebraeos, libros eidem bibliothecae dedit A. CIↃ CCC LXXIX et Comites Schaumburgius, Homburgius, Pyrmontensis, Euersteinensis et Svvalenbergensis, utilem quisque librum, habito in eodem monasterio colloquio, reliquerunt an. CIↃ CCC LXXXVI *m*). In monasterio Sanpetrino, quod est in Monte Crucis ad VVerram, an. CIↃ CCC LXV Iodocus, sacerdos pius et eruditus, ad aedem D. Nicolai, ut Io. Craemerus in Chronico auctor est *n*), bibliothecam instituebat, multorumque finitimorum coenobiorum, et nobilium familiarum operam auxiliumque flagitabat. *Et sane*, ut loquitur Craemerus ille, *facto laudabili initio boni coepti, multi docti et indocti in honorem Nicolai sponte sua contribuebant, ut numerus librorum auctus sit. Nostrum* (coenobium) *memoriali teste, in antiquo registro, dedit decem florenos.* Quanquam incendio funesto, ut mox addit, iacturam eius operae fecerunt. Bibliothecae

k) ad An. CIↃ CCC XXXVI

l) CIↃ CCC IV p. CCCC VI Syntagm. Paul. et apud Leibn. T. II Script. Brunsu. p. CCC XIII

m) l. c. p. CIV XII apud Leibn. l. c. p. CCC XV

n) p. CCCVII syntagm. Paulini.

cae in *Valle Dei* Virginum *Cistertiensis* coenobii tres *Theologicos* magni pretii libros donauit an. ƆIↃ CCC III Bartramus, *Abbas* Amelunxfbornensis, teste Henrico Suartio, apud Paulinium Chron. coenobii Virginum Ottbergensium *o*). Optimus apud Riddagshusanos librarius fuit Ioannes Oldendorpius, et multa descripsit, uir et literis, et scribendi peritia, maximopere commendatus *p*) Contra, hoc seculo bibliothecam coenobii Sponheimensis dispersam, conqueritur Io. Trithemius *q*). *Bibliothecam*, inquiens, *a principio fundationis monasterii satis locupletem, uariisque uoluminibus refertam, turpiter destruxerunt, uendentes pretiosa uolumina pro uili pretio, ut suis comessationibus et uoluptatibus satisfacere possent.* Similem illi mouet querimoniam ad an. ƆIↃ CCC LXXIV in uita Craftonis II et, monachos uendidisse libros complures, et bibliothecam distraxisse, testatum reliquit *r*).

LIBER

o) §. XXXVII p. CCIV tum Leucfeldius Chronologia abbatum Amelunxſborn. in Bartramo, p. XXXV

p) Henr. Berndtenius Chron. Mariaerodensi, c. IX p. CCCC XLII T. II Leibnit. Script. Brunsuic.

q) Ad An. ƆIↃ CCC XXXVII in Vita Henrici Sponheim. p. CCC XIV

r) p. CCC XXIII

LIBER XV
DE
RELIGIONIS CORRVPTELIS
EIVSDEMQVE
EMENDATIONE INANI.

CAPVT I

Diuinitus accidiſſe, putes, ut nunc demum Pontificum R. arrogantia, quae per tot ſecula turbas in eccleſia maximas dederat, et rem publicam turpiter afflixerat, profligaretur, et ipſis aulae R. Purpuratis intolerabilis diutius uideretur. Vt uere de curia Romana M. Albertus Engelſtadius, Doctor theologus ille Pragenſis, ſub initium ſeculi huius pronunciaſſe exiſtimandus ſit, *eam eſſe totam in ſtatu damnationis*, in libro, quem, *Aureum Speculum*, inſcripſit, inſtituto inter Petrum et Paulum, diuos, colloquio, horumque altero ſententiam, quam recitauimus, pronunciante *f*). Igitur Purpurati iure iurando ſe obſtringebant omnes, ut, qui inter

f) Th. Engelhuſius Chron. p. cIↄ C XXXIX T. II Leibnit.

inter sese Pontifex eligeretur, operam daret, ut dissidia, quae superiore iam tum seculo coeperant, soluerentur, pristinaque dignitas sacerdotum, suscepta morum emendatione, restitueretur. Atque, hoc facturum se recepit Innocentius VII sed, praematura morte impeditus, Gregorio XII quem Purpurati eadem lege atque conditione Pontificem constituerant, perficiendum hoc maxime arduum negotium relinquebat. Gregorius uero, de principatu acriter cum Benedicto XIII aduersario, contendens, et multa praeterea insolentius faciens, fidem, quam dederat, non implebat. Quare Purpurati inter se, et, qui Benedictum, et qui Gregorium antea, facto dissensionis globo, elegerant, conueniebant, atque, utrumque et officio indignum, publico Pisis concilio, enunciabant, Alexandro V in eorundem locum surrogato quidem, at non ita multo post rebus humanis erepto. Quem excipiebat Ioannes XXIII qui uita moribusque, ut testis optimus est Theodoricus Niemius, nihilo erat melior, et turpitudine omnium animos innocentes offendebat. Vitam eius perscripturus Niemius, *Mala multa ualde*, inquit, *sed admodum pauca uirtuosa potero recitare.* Itaque tres uno tempore Pontifices, Ioannes, Gregorius, et Benedictus, maximo dissidio, auctoritatem pontificiae dignitatis labefactabant, non quieturi, quam de gradu et dignitate, regia Si-

gismundi auctoritate, publico, eoque solenni, concilio, deiicerentur. Gregorius ille per contemptum *Errorius*, Benedictus uero *Maledictus*, appellatur. Causas dissidii patefecerunt, et omnium exauctorationem, allatis in lucem tabulis sententiisque Concilii Constantiensis, pluribus persecuti sunt, testes duo Germani, et in aulis Pontificum tum temporis uersati, alter Theodoricus Niemius in uita Ioannis XXIII quam, ut debuit, exposuit *t*), alter Gobelinus Persona *u*). Quo facto eligebatur Martinus V in concilio Constantiensi CIↃ CCCC XVII eoque ipso Pontificum auctoritas labefactata, Germaniae contra, reliquarumque Europae gentium, nationumque, Regum, Principumque angusta dignitas auspicato instaurata.

CAPVT II

Mira hinc contentio erat hoc seculo de Conciliorum auctoritate, cui se Pontifices R. submittere detrectabant, alii contra, Pontifices concilio *generali*, ut uocant, subesse, disputabant, atque hinc causae defensionem, etiam contra illos, ad concilium deferebant. Accommodate eam in sententiam Nie-

t) p. LXXXII seq. apud Meibom. T. I Script. Germ.

u) Cosmodrom. Aet. VI c. LXXXVIII LXXXIX XC XCI XCIII XCIV XCV XCVI p. CCC XXIII et seq. eodem Tomo Meib.

Niemius, Purpuratis Ioannis, Pontif., propter huius absentiam concilium dissolutum iri, decertantibus, ab concilii uiris principibus responsum, *Papam*, scribit, *non esse supra concilium, sed esse sub concilio. Et facta illic*, pergit Niemius, *contentio magna hinc inde.* Decretumque est, a nemine, nisi ab concilii sociis patribusque Pontificem constituendum, cuius decreti sententiam conseruauit Historicus idem, qui tempore Sigismundi, imp., uixit, et Concilio ipse interfuit *x*). Quare Eugenius IV concilium Basileense, quod coeptum est CIϽ CCCC XXXI uel dissoluere, uel Ferrariam transferre, laborabat in primis, constitutaque poena, nisi Basilea discederent, terrere omnes annitebatur. Sed concilii patres, neglecta Eugenii indignatione, cum Sigismundi, qui, citius opinione, expirauerat, non possent, aliorum Principum praesidio salui, anno post, quam Pontifex decretum ediderat, XXXVIII Eugenio remoto, Amadaeum, quem Felicem V uocabant, constituebant, et communi omnium suffragio pronunciabant, *Generale Concilium supra Papam esse, id nec dissolui, nec transferri, nec propagari posse a Pontifice, quin esse haereticum, qui ista attentaret y*).

 CAPVT

x) In Ioannis XXIII uita p. XXVIII XXXII XXXVII seq.

y) Andr. Ratisponensis Chron. Bauar. ad An. CIϽ CCCC XXXI et XXXVIII p. LIII LX et LXI T. Schilt. Erdvvinus Erdmannus Chron. Osna-

CAPVT III

Praeter ceteras controuersias, memorabilis illa est, qua Christi Seruatoris matrem *Mariam*, uirginem sanctissimam, *peccato originis* obnoxiam, alii differebant, alii negabant. Agitata haec ipsa, maxima animorum dissensione, est, adeo, ut apud Parisios, *Ioannes Veri*, quod, purgatam eam *ab originali macula, non praeseruatam*, docuerat, publice, ut retractaret sententiam, compelleretur; immo senatusconsulto decernebatur: *Quod nemo deinceps praefatae Vniuersitati adscribatur, nisi se huius determinationis, quod uidelicet beatissima Dei genetrix et uirgo Maria semper ab originali macula fuerit immunis et praeseruata, assertorem, strenuumque propugnatorem pro uiribus futurum, confirmet iuramento.* Quod decretum in Germania ratum probatumque habebant Augustae Vbiorum ciuitatis, et Moguntinorum Academiae, quae hoc tempore etiamnum *Vniuersitates* uocabantur, eumque, qui ab hac sententia recederet, societate sua exterminandum, statuebant z). Inutiles potius, quam

brug. p. CCLX T. II Meib. Trithemius Chron. Sponheimensi, ad An. Seculi XXXI p. CCCLIII Hic, *multa*, ait, *hinc secuta in Ecclesia mala et scandala, necdum in tota sopita, aliis, Papam supra Concilium, praedicantibus, aliis dicentibus, oppositum.* adde Hachenberg. de Relig. Christ. uet. Germ. §. XXXV

z) Trithemius, acerrimus sententiae illius propu-

quam feueras, et falutares, proponebant alii quaeftiones, faepiufque ad Ariftotelem, huiufque interpretes, qui Philofophiam cum fanctiore doctrina peffime confundebant, *Scholafticos* illos, Petrum Lombardum, Albertum M., Thomam Aquinatem, Rucelinum, Scotum, reliquos, delegabant auditores, quam ad uiros, diuinitus ad fcribendum excitatos, ipfamque *Scripturam S.*, et, nefcio quibus, nominibus titulifque ineptiebant *a*). Ac *Quodlibetarii* illi et fententiarum doctores, cum in fpinis tricifque perfifterent, tantum efficiebant, ut contentiones quidem effent, facrarum uero literarum ftudium negligeretur, dum effent, qui, per totum quinquennium, et amplius, quod literis diuinioribus operam in fcholis nauarent, fe nomen *Chrifti Iefu* ne audiuiffe quidem, grauiter quererentur *b*).

CAPVT IV

Quo pacto, mirum non eft, Cimmeriis his tenebris barbariem irrepfiffe, et, literis in

gnator ipfe, in Chron. Hirfaug. An. cIↄ CCCCXCVI et XCIX p. CCCC IX feq. cIↄ Iↄ I p. CCCCXIII

a) V. Io. Auentinus Annal. Boi. L. VI p. IↄCXXIV edit. Ingolft. Mathefius in Vita Luth. Conc. I

b) V. Hachenberg. l. c. §. XXXIII Lutherus in epiftolis paffim.

in exilium pulsis, literatis, si qui essent, nullum, uel exiguum, sane praemium stetisse, cum et Antistites ipsi, et, qui coenobiis praefecti erant, rudes et eruditionis omnino omnis expertes passim, deprehenderentur. In scholis illustribus, quas, profligandae barbariei causa instituerunt nuper Reges ac Principes, remedium illi opponi, optabant, sed in his nihilomelius consulebant literis, quin immo controuersias inutiles plane excitabant ipsi, honores indignis hominibus liberaliter conferebant. Io. Buschius, emendationi religiosorum Ordinum praefectus, ut alia complura, ita de Lipsiensi illa, quae paullo ante coeperat, Academia refert, interfuisse se Academiae ipsius solemnibus, quibus Ordinis Theologorum aliquis candidato cuidam, Doctoris insignia capessenti, obiecisset, *Reuerende Domine Doctor*, inquiens, *in sententia, seu quaestione, quam proposuistis et probastis, dictionem istam posuistis*, eam nominando, *quae est nomen substantiuum, masculini generis, singularis numeri, nominatiui casus, simplicis figurae. Cui uerbum adiunxistis actiuum primae coniugationis, tertiae personae, singularis numeri, et est uerbum uehementissimae transitionis, quod talem regit casum a parte ante, et talem a parte post.* Subiicit Buschius, *Vnde non parum miratus fui, quod in tam solenni disputatione omnium doctorum et bacalauriorum diuersarum Facultatum talia scholarium*

larium initia proposuerunt c). Conuenit huc iudicium Ph. Melanthonis, in encomio eloquentiae, *Theologia*, inquientis, *stultis et impiis quaestionibus prorsus obruta est d)*. Eadem erat conditio coenobiorum, in quibus doctrinae, morumque moderatores ipsi indocti homines erant et insulsi. De Theodorico, Abbate Hildesheimensi, refert auctor Chronici Monast. S. Michaelis apud Hildesheimenses, indoctus ipse quidem, interfuisse eum, cum *Capellano* suo, concilio Basileensi An. CIↃ CCCC XXXIV et, cum habuisset corporis dignitatem, commendationemque staturae, electum esse, qui *Missam de S. Spiritu* celebraret. Purpuratorum aliquis, uocis elegantia deceptus, suspicans, Theodoricum, audaculum illum, esse Doctorem Theologum, blandis eum uerbis compellabat. Abbas uero ille, Latini sermonis expers prorsus, obstupefactus, quid responderet, ex *Capellano* suo sciscitabatur. Cui hic ipse, lepidus homo, suadebat, aliquot uillarum, ad Hildesheimensium dioecesin pertinentium, nomina recitaret. Quo facto, Purpuratus existimaret, Abbatem esse Graecum. Abbas celeriter pronuncians, *Sturvvolt*, *Hase*, *Gisen*, *Voersche*, *Vauenstede*, *Drispenstede*, *Itzem*. Mox Purpuratus, conuersus ad *Capellanum* inter-

c) de Reformatione Monaster. c. XXIII p. IↃ CCC XXVIII T. II Leibn.

d) T. I Declamat. p. CCCC XVII

rogauit, *Estne Graecus?* Cappellanus hic dubium, ut aiunt, purpuratum confirmabat. Idem Theodoricus etiam ex capellano illo suo, quid, interrogatus in concilio, responderet, quaerens, uerba, quae sequuntur, pronunciare iussus, *Ego sto cum istis, quicquid ipsis uidetur, placet et mihi*, eadem subito oblitus, dixit, *Sto cum hic*, risumque in consessu publico homo ineptus dedit *e*). Sigismundus, qui tempore *reformationis* uixit Augustae Vindelicum, maiori profecto audacia, quam fide, inclinationem disciplinae, et uitae corruptelas tribuit imperatoribus, quippe qui constitutionem Antistitum defendissent acrius, reuera autem pretio sacerdotia et Episcopatus uendidissent. Ex quo factum fuisset, ut omnium malorum in ecclesia origo illa libidinibus, pigritiae, ambitioni, luxui, et ignorantiae, barbariaeque aditum aperuisset. Verba, nisi breuitati consulerem, repeterem, quae perspicua sunt, et manifesta *f*). Sed ipse historiae antiquioris consensus scribendi confidentiam refellit *g*).

CAPVT

e) Vid. Chron. S. Michaelis Hildesheim. T. II Meibom. p. IↃXXIII

f) Extant in Chronico Augustano, C. IV p. IↃCVII Tomo Pistor. III

g) Nihilo saniores fuisse ICtos, accepimus, qui, de inutilibus multis iisdemque ex *Quodlibetariorum* quoque commentis decerptis, exempli caussa, de Lazari, in uitam per Christum reuocati, testamento, ualueritne an minus, disputarunt. Phil. Melanthon, recitato de asino, qui ob cymbam,

CAPVT V

Hinc maior uitae pars ſacerdotum, Antiſtitumque animus in uenationibus, quas tamen decere eos, olim Carolus ille magnus negauerat, edictoque prohibuerat, itemque in armis, in luxuria, libidine, et auaritia, et tantum non omnium uitiorum genere conſiſtebat, ut plebi etiam intolerabiles uiderentur. Haec ipſa enim, ut exemplo ſententiam confirmem, de Gebhardo, Antiſtite Halberſtadienſi XXXVIII rhythmis ita ceciniſſe dicitur,

Biſkop Gebhard uan der Bode,
Sin Ros beſchritt er node
Sin Stab iſt kurt und ſchlicht
Zum Biſkops Amt toegt er nit.

qua uectus fuerat, naufragio fractam, a molitore in ius fuerat uocatus, commento, *Ingenia*, ait, *in ſtultis formulariorum literis obbrutuerunt, haſque in ſcholis et foro, non aliter, atque ſuas epodas Magi, non intellectas recenſent*, de Legibus T. I Declam. p. CCXXI ſeq. p. CCXXIII de Leiuleiis, *Ait, aiunt, negat, negant. Capita ſunt ſine linguis, ius ipſi et uim aequitatis ignorant. Leiuleius ille naribus omnes, tanquam bubulos, trahit. In tanto iudicum ueterno, irrepunt in forum et uaniſſimi rabulae, cauſas acturi: qui, quando is quaeſtus eſt uberrimus, ex litibus lites ſerunt, clientes deglubant, reſpubl. depeculantur, indoctum iudicem nouis ſubinde technis ludificantur.* Plura, quae ibi addit, breuitatis cauſa hic omitto, aliis, qui de iureconſultorum ineptiis exponunt, relicturus.

Quanquam G. Bucelinus, et alii aliter de eo pronuncient *b*). Continentiae testes sunt aliquot meretricum millia, quae, quia rem cum eis religiosi, et sancti illi, homines habuerant, in Concilio Constantiensi, eius rei causa, comparere non dubitabant, ut memorat Io. Seb. Mullerus *i*). Libere enim admittebant sexum sequiorem, et familiarius feminis utebantur. Quam consuetudinem coenobii Sponheimensis Abbas, Bernardus, aegre ferebat, succisisque in horto arboribus, sub quibus frequentius conuenerant, omnium odium indignationemque concitabat, nec reuocare ad officia, quoad uixit, poterat, quod palam est ex Io. Trithemio *k*). Easdem querelas de coenobio Corbeiensi, olim florentissimo, affert Gregorius VVittehennius, seculi huius testis aequalis, et religiosae pietatis uindex acerrimus, eiusdemque coenobii monachos, sine lege et regula uagari, per oppida, per agros, atque hinc ope et prouidentia Numinis diuini desertos, aperte testatur *l*). Colligere plura scriptorum testimonia, res quidem non multi laboris esset, at nullius necessitatis, cum ipsi emendationem uitae, doctrinae non item, agnoscerent sacerdotes nonnulli, qui disciplinam

b) obseruante Chr. Fr. Paulinio, Chron. Badesle-biensi p. CC LXV Syntagm. rerum Germ.

i) Annal. Sax. An. cIↄ CCCC XIV p. IIX

k) Chron. Sponheim. p. CCC XLV CCC LIII

l) p. CXXXIII Syntagm. Paulini.

plinam reddi, uitaeque sanctimoniam reuocari ab exilio, optarent.

CAPVT VI

Quo grauius committebant errores religionis officio sancti, eo audacius ueniam errorum exponebant, hominibusque, inuitis etiam, imperabant, ipsi Pontifices, qui, dimissis propterea in remotissimas Christiani orbis regiones, maxime in Germaniam, nunciis, maximam pecuniae uim colligebant, auctoritatem uero suam omnibus deridendam relinquebant. Ioannem XXIII uel propterea etiam dignitate pontificia priuatum, accepimus, quod *indulgentias*, quas ita uocant, parata pecunia uendidit, coetuique diuiniori labem ignominiamque temere contraxit *m)*. Stultam Germanorum quidem pietatem Trithemius nominat, qui Romanis illis uulturibus cibum pararent, filiis suis inedia laborantibus, uel etiam hos magnis sumptibus Romam mitterent, ut mores curiae, fraudes, superbiam, luxum, et libidinem intuerentur propius, uitiorumque latebras et recessus maximo suo Germaniaeque incommodo scrutarentur *n)*. Quin iidem illi, qui sacrorum emendationem seuerius in Germania instituebant, sua praeconum uoce nundinas

m) Gobelinus Persona Cosmodr. Aet. VI c. XCIV p. CCCXL T. I Meib.

n) Hachenberg. l. c.

dinas iſtas paſſim commendabant, ſuamque et Pontificium, a quibus dimittebantur, rem egregie curabant. Magna erat nominis celebritas inter Germanos *Nicolai*, *Cuſani*, patria Moſellani, et aulae Romanae Purpurati, cuius, in emendandis Germaniae coenobiis, merita annalium auctores eximie laudant, ardoremque religionis, quam declarauit omnibus et probauit, memorabili pietate, uel potius ſuperſtitione, uenerantur. Hunc ipſum Trithemius praedicat a Nicolao V an. cIↄcccc LI in Germaniam, *cum indulgentiis Iubilaei et auctoritate magna* miſſum, multa cum per ſe, tum per alios quos delegabat, perfeciſſe *o*). Atque hoc etiam anno in Guelforum dioeceſi, nominatim Brunſuici, Nicolaus ille admiſſorum ueniam ad certum tempus edidit, gratiamque profuſius quaeſtui deditus, patefecit, ut auctor ex illo ſeculo Chronici S. Aegidii, quod apud Brunſuicenſes floruit, in annalibus memorat *p*). Nolo commemorare plura, ſed, ſatis eſſe, puto, ad confirmanda ea, quae alias pluribus relata extant, unum et nundinarum ſacrarum defenſorem omnium principem, et praecipuum coenobiorum, ut uocabant, *reformatorem*, quod poſt conſtabit, nominaſſe contentus. Ex quibus intelligas, quae emendatio fuerit, quaeque praecipua eius ſuſcipiendae per Ponti-

o) In Chron. Sponheim. p. CCCLXVII

p) T. III Leibnit. p. IↄXCVI

Pontifices caufae. Quae cum faceret legatus Pontificius, idemque repurgandae morum doctrinae praefectus, nemini in mentem ueniat mirari, maiori audacia, et auaritiae libidine reliquos merces expofuiffe fuas.

CAPVT VII

Societates *Calendariorum*, de quibus fupra docuimus, inclinare hoc potiffimum feculo etiam coeperunt, et, cum antea emergere licentia in eis coepiffet, nunc demum erupit illa, ut uoluptatibus, comeffationibufque publicis, iifque facris, quae habebant, aedificiis indulgerent iufto liberius fratres illi, et reditus facros ad corporis recreationem omnino conferrent. Vt feueriori edicto coercendi effent, et publica Antiftitum cenfura, qui licentia illa deteriores facti fuerant, compefcendi. Quotquot autem focietatis facrae communione exclufi erant, uel deprauatis moribus, rixa, libidine, luxuria, labem focietatibus afpergerent, penitus arcendos putabant. Quam in rem conferri merentur Friderici, Antiftitis Magdeburgici, tabulae, quibus Deffauienfium, in Anhaltinis fodalitatem ea lege approbauit, ut in illa effent, *Prefbyteri et Clerici, ac Laici etiam coniuncti, nulla autem fufpecta ad illam admitteretur perfona, nullus reciperetur ad eos excommunicatus, fi quis excommunicatus in ea ultra annum fic perfiti-*

terit,

terit, esset perpetue ab ipsa Fraternitate seclusus, itemque statuit, ut, post coenam, quam celebrare semper consueuerant, *fratres non uacarent ebrietati, nec rixae, aut illicitis, nec suspectas adducerent personas.* Secus, si facerent, societatem se dissoluturum, minabatur, anno CIↃ CCCC XLVII quod cl. Becmannus protulit Antiquit. Anhalt. *q*) Istud praeterire nolim, timuisse iterum nonnullos, ne quando societates illae desinerent, atque hinc mature deliberato animo, quid fieri de reditibus in posterum uellent, constituisse, haud dubie, cum perspicerent, pessime beneficia collocari. Atque ita factum quoque est. Nam, reddita per D. Lutherum puriore doctrina, reditus illi pietati reseruati quidem sunt, et uel ecclesiae ministris, scholarumque doctoribus, ex iis stipendia quotannis soluta, uel iuuenibus, qui in Academiis literis operam darent, beneficia haec relicta. Patet hoc ipsum ex pluribus Becmanni documentis, et alias obuiis, quibus afferendis nunc supersedemus. Huc pertinent, quae de Mittvveidensibus ex hoc seculo retulit Christianus Hermannus, quibus constat, opifices aluisse sacerdotes, et cum uiris feminisque, generis nobilitate claris, coaluisse *r*). Multiplicati etiam ordines, ut

q) p. VI c. IV §. VII p. XXI quo in loco complura huiusmodi documenta habet, quibus societatum complurium ratio expedita est.

r) in memoria Mittvveidensi L. II c. III p. CLXXX

ut grauissime queritur Cranzius, non eo sane consilio, ut emolumenti quicquam in ecclesiam, uel rempublicam proficisceretur, sed, ut otiosi homines, qui laborem refugerent, sumptibus quibuscunque alerentur, ac satis esset, dummodo *missas* celebrarent. Nouus huiusmodi ordo coepit apud Hildesheimenses an. CIↃ CCCC LXX per opifices, hominesque simplices et humiles, *Fratrum uoluntarie pauperum* nomine, qui, per plateas quotidie discurrendo, *panem propter Deum* precario colligebant. Superiori quidem seculo iam tum coepisse institui ista *pauperum mendicantium* collegia in Germania, hoc tamen Augustini diui suscepisse regulas, auctor est Io. Buschius *f*). Ipsi socii ut opifices illiterati et rudes erant, ita *exercitia sua*, ut loquitur Buschius ille, *in scriptis non habent, sed unus illa didicerat ab alio, secundus a secundo, et sic ulterius, et tamen singuli eadem habent exercitia, etiam in omnibus pene domibus in Colonia, et in Saxonia.* Scilicet terrae filii per causam religiosae pietatis animum a labore reuocabant ad huiusmodi officia, quibus otium et pigritia nullo negotio defenderetur, praesertim, cum antistites institutum priuilegiis ornarent, sententiamqne iudices probatissimi sanctum haberent.

CAPVT

seq., addatur cl. Paulinius Chron. Ottbergensi, p. CLXXVI Syntagm.

f) de Reformat. c. LVI p. IↃ CCC LVII seq. P. II Leibnit.

CAPVT VIII

F*lagellantes* illi *fratres*, de quibus fupra docuimus, fuperftites hoc etiamnum feculo turbas in Turingia excitabant, figillatim Sangerhufii, ut etiam Fridericus Bellicofus, qui feptemuiri dignitatem, aufpiciis Sigifmundi, imperatoris, primus inter fuos obtinuit, eorum aliquot comprehenfos, Henrico Schoenfeldio, *haereticae prauitatis Inquifitori*, ut uocabantur homines, extirpandis doctrinae aduerfariis conftituti, permitteret, qui, alios, ut retractarent fententiam, erroresque quos nefandos fouebant, reiicerent ipfi, ac condemnarent compellebat, alios, qui perftabant in pertinacia, igni extirpandos, fupplicio huius feculi facro et folenni, pronunciabat. Errorum, quos defendebant, turbulentos, et rei Chriftianae exitiofos, numerum iniit Gobelinus Perfona *t)*, quem fi conferas cum Alberto Argentoratenfi, de quo fupra in hac caufa expofuimus, animaduertes, fratres hos ex fuperiorum numero fuperftites fuiffe *u)*.

CAPVT

t) Cofmodrom. Aet. VI c. XCIII p. CCCXXXVI Tom. I Meibom.

u) uid. Io. Seb. Mullerus Annalibus Saxonicis ad an. cIɔ CCCC XIV p. VIII

CAPVT IX

Erant autem uiri pii, atque eruditi, veritatisque cupidi, qui corruptelas doctrinae ac uitae penitus cognoscerent, emendationemque optarent inprimis. Per hos, diuinitus tamen, ueritatem conseruatam quodammodo, certum est, qui, cum, opprimi ueritatis pietatisque uindices, uiderent, eo studiosius utrique conseruandae operam dabant. Atque mediis illis tenebris sanctior doctrina seruata nihilominus fuit, dum *Symbolum Apostolicum* perstitit integrum, doctrina item de Christi Perpessione sacra proposita hominibus, precandi formulae praescriptae, et ipsa *oratio Dom.* ab Christo Seruatore commendata olim, retenta, *textus*, quos uocant, *dominicales* pro concione sacra recitati, et hymni, quibus uerior de religione et doctrina Christi continebatur sententia, confecti sunt *x*), in monasteriis et Academiis anti-

x) Antiquissimi sane, et tenebris seculi huius crassioribus, diuinitus conseruati, carminis, de Christi in uitam reditu, generi humano salurari uestigium superest apud Io. Buschium de Reformat. Monast. L. III c. XLI p. IↃCCCC XLI Tom. II Leibnit. *Ita enim ille: Cum omnes loti fuissemus, cantauerunt omnes tota curia carmen Paschale in Teutonico, alta uoce,* Christus ist uperstanden uon der Todten hande, Dess sollen vvir alle froh seyn, Gott vvil unser Trost seyn. Kirieeleis. Ac, semel iterumque, ut nostra etiam memoria fit, repetitum, ex uerbis, quae sequuntur, manifestum est.

quiſſimi coetus diuinioris doctores, et uerbi diuini interpretes optimi, ruinae obuii erant. Ex quibus non plane deſiiſſe eccleſiam, hac uiciſſitudine eccleſiae, probat celeberr. Gottlieb. Wernſdorffius, nitida et eleganti *de Perpetuitate Eccleſiae Euangelicae diſputatione y)*. Sed tamen qui ex his riuis, uel ipſa diuiniori ſcriptura corruptelas doctrinae, quae irrepſerant, patefacere ſuſtineret, in deſertorum ac proditorum numero habebatur, ſocietate, qui defendere ueritatem pergeret, excludebatur, et ſupplicio, ut paullo poſt docebimus, omnium exemplo, atrociſſimo affligebatur. Quae, quaeſo, elegantior precandi formula eſſe illa poteſt, quam quotidie Engelbertus, monachus, Abbate Arnoldo II Luccenſis in Saxonia coenobii, repetere conſueuit? *O me miſerum*, precatus ſemper Deum eſt, *quid feci! quid facio, aut quid faciam? qui homo et magnus peccator ſum, et tibi ſoli peccaui. Sed credo, quod tu, mi Domine, o IESV Chriſte, SOLVS es mea iuſtitia et redemtio, et ſicut Abraam credidit Deo, et haec SOLA FIDES ei eſt reputata ad iuſtitiam, ſic et ego credo, quod SOLA FIDES in Chriſtum (non opera legis, uel carnis, neque ordinis, uel ſanctitatis meae) ſufficiat ad ſalutem. Bone Domine, miſerere mei, ſecundum magnam miſericordiam tuam. O benigne IESV, propitius eſto mibi! commendo ſpiritum*

y) §. XXVI p. XXVIII ſeq. habita Vitembergae CIↃ IↃ CC VIII

tum meum in manus tuas, redemisti me, Domine Deus ueritatis, et Redemptor meus SOLVS, qui uiuis et regnas in secula seculorum amen. Offensus, in primis uoce SOLA, monachus uicinus, re ad Abbatem Arnoldum delata, efficiebat, ut pius ille Engelbertus, uel carcere poenam lueret, uel monasterio egrederetur. Egressus hinc uiuebat Hamburgi, et moribundus, easdem preces, repetens, denuo monachorum, qui, opem ab uirgine Maria, Christi seruatoris matre, et reliquis diuis petere, iubebant, indignationem excitabat, qui, audita uoce *sola*, non modo Engelbertum deferebant, uerum etiam ludi magistros, horumque discipulos, quod solatio sustentauerant, defunctique corpus tumulo intulerant, urbe eiiciendos suadebant z). Ita *Schismatici* ignominiam ferebat Sebaldus Crumschyt, quod, *Symbolum Apostolicum*, non ab Apostolis ipsis, confectum, *tolerabile* tamen, dixerat, causis, ex antiquitatis, opinor, praesidio petitis, in hanc sententiam adductus a).

CAPVT X

Quo patriae statu mirum non est, in ipsa Germania plerosque, emendationem sa-

 crorum

z) Leibnit. Tom. III p. IↃCXCVI de Origine et Abbatibus Monasterii Luccensis.

a) Vid. *Ioh. Craemer* in Chronico Monasterii Sanpetrini ad an. cIↃCCCCLXXXVI p. CCCXVIII Synt. Paullini.

crorum et optasse, et, caussis, quas adduximus, incitatos, eam proximam, praenunciasse, cum nulla in regione tanta libidine agerent ueniarum praecones, et homines circumducerent, nulla in prouincia tanta monachorum insania esset, tantus antistitum luxus et ambitio, tantae fraudes sacerdotum, quam in Germania, cuius opibus superbiebant exteri, præsertim Itali, fortunam uero deplorabant ingenui, et calamitatem miserabantur. Praedicebant autem eam seculo hoc, post complures alios, Ioh. Hussus *b*), Hiero-

b) Plerorumque uaticinia collegit G. VVernsdorfius, quem honoris caussa iterum nomino, laudata antea disputatione. Breuiter, quae huc pertinent, repeto. Hussi, quod anserem, lingua Boiemorum, significat, annus, quo natus sit, incertus est, ut solent plerorumque Virorum, qui isto tempore clari extiterunt. Is ueniarum mercatum, in Boiemia institutum, uehementer improbabat, odiumque Io. XXIII Pontif., concitabat, ut in concilio Constantiensi eum grauiter accusaret, accusatus licet ipse, et omni dignitate priuatus. Hussus, ignis supplicio damnatus, quod uaticinium ediderit, inter omnes constat, idque ipsum, iuxta, ac reliqua de eo repetiit ex Aenea Syluio, Io. Dubrauio, Theobaldo, Hageco, Nauclero, Regenuolscio, Stumpfio et Hardtio VVernsdorfius de Emendatae Relig. primordiis, §. I seq. p. XII seq. Mathes. de Vita Luth. Con. I p. IV In dubium nuper uocauit Iac. Lenfaut, et, siquidem uaticinii illius facta fuisset mentio, tribuendum potius Hieronymo, quam Husso fore, arbitratur, quia nullum in scriptoribus aequalibus uestigium superesset. Verum est, nec Niemus, nec Gobelinus,

Hieronymus Pragenſis *c*), Io. VVeſſelus *d*), patria Ganſfortius, in prouincia Groenin-
Oo 3 genſi,

Andreas Ratiſponenſis, qui eodem tempore uixerunt, conciliοque interfuerunt, tum Syluius etiam, Dubrauius, Nauclerus, nec quicquam de eo ipſo habent, obſeruante VVernſdorfio, l. c. p. XIV Quin et in operibus Huſſi, ad quae eius rei cauſa prouocat Regenuolſcius in Hiſt. Eccl. Slauon. L. I p. XLI nihil de eo reperiri, ex ſedula perluſtratione, ſibi conſtare, docet VVernſdorfius, attamen, Hageci ac Theobaldi auctoritate confiſus, non plane in dubium uocandum, putat. Theobaldi ſane fides magna eſt, et ſcriptoribus, qui de rebus Huſſitarum memoriae quicquam prodiderunt, probata. Ab reliquis, qui eiuſdem temporis fuerunt, uel propterea omiſſum iſtud uaticinium, non ſine cauſa, VVernſdorfius ſuſpicatur, quod ad palatum non eſſet.

c) Gentilitium Hieronymo nomen fuit Faulfiſch. Vaticinatum hunc, *Poſt centum annos Deo et mihi reſpondebitis*, contra alios, Huſſo id tribuentes auctori, aſſeuerat Theobaldus Bello Huſſit. P. I c. XXV p. CXXVI cuius, quippe ſcriptoris ueri, et magna induſtria in perſcribendo eo bello uerſati, uerba recitat VVernſdorfius l. c.

d) VVeſſelus natus eſt An. cIↃ CCCC XXIX propter ingenii excellentiam *lux mundi*, et *magiſter contradictionum* eſt uocatus. Is ad Io. Oſtendorpium, eccleſiae Dauentrienſis Canonicum, dixiſſe commemoratur, *ſtudioſe adoleſcens, ad illum uiues diem, qua doctrina recentiorum et contentioſiorum iſtorum Theologorum, Thomae, et Bonauenturae, et aliorum, eiuſdem farinae, ab omnibus fere Chriſtianis hominibus explodetur.* Diſceſſit An. cIↃ CCCC LXXXVII Scriptorum de eo teſtimonia complurium affert VVernſdorfius l. c. p. XVII ſeq. eumque perperam cum Ioanne de Veſalia, ſacer-

gensi, unde et Groeningensis uocatur, Io. Geilerus, Keiserſbergius *e*), Sebaſtianus Brandius *f*), Io. Hiltenus, monachus Iſenacenſis

dote Vormatienſi, qui, ob reiectos improbatosque a ſe Romanae curiae, eccleſiaeque abuſus, Moguntiae An. cIↃCCCCLXXIX eſt combuſtus, confundi, ex Mornaeo et Regenuolſcio, docet. VVeſſelius ille, collata cum Rudolpho Agricola, tum adoleſcente, ſententia, ſaepius deplorauit eccleſiae tenebras, improbauitque, obſcurari Paulum, homines, *ſola fide iuſtos*, identidem pronunciantem, opinionibus hominum et commentis. Ac Lutetia quidem, propter ſuperſtitiones, quas reiecerat, pulſus, Baſileam conceſſit, *Baſilius Groningus* hinc nominatus. V. Georgius Pfluegerus in uita R. Agricolae p. LII Hebraea lingua, cuius gnarus erat in primis, erudiuit Io. Capnionem. V. idem in uita Capn. p. LXI

e) Geilerus natus Schafnuſii eſt An. cIↃCCCCXLVI ab oppido, in quo eſt educatus, *Keiſerſbergius* uocatur. Cl. Iac. Fr. Reimmannus, Keyſerſbergium, a patria, adductis cauſis, probat, dictum. Si a reliquis, quae adeo certae uideri non poſſint, diſceſſeris, Sebaſtiani Brandii, qua *montem Caeſaris* patriam eius in epigrammate, quod ei ſcripſit, uocat, uerior eſſe uideatur. Introd. in Hiſt. Lit. Germ. L. II Sect. III p. VII Ioannem de Keyſerſberg nominat Trithemius de ſcript. Ecclef. p. CCCLXXXVIII Vaticinii, quod cum multis habuit commune, ſententia et ſumma haec eſt, *Veniet quidam diuinitus excitatus, qui religionem inſtaurabit. Et diem uidere geſtiit, quo emendationis initium fieret.*

f) Brandius fuit Doctor Theol. Canonicus, et ſacerdos ad aedem D. Virginis, apud Erfordienſes in Turingia. Praedixit, affore tempus, quo Euangelium ex libris recitaretur. Addidit, Me mortuo, quidam ueſtrum aetate ad illum tempus procedent. l. c.

censis *g)*, Andreas Proles, Lipsiensis *h*), Nicolaus Russus *i*), plures, iique Germani omnes,

g) Hiltenus, monachus Ordinis D. Francisci apud Isenacenses in Turingia, ab sociis propterea, quod abusus monachorum, corruptelasque improbauerat, in carcerem coniectus, praefecto ordinis se purgauit de innocentia, *Alius ueniet*, inquit, *Anno* cIɔ Iɔ XVI *qui destruet eos, et uos, huic uix poteritis resistere.* Mathesius in Vita Lutheri, Conc. I p IV et Conc. XV p. CLXXVII Christianus Francisc. Paulinus Chron. Isenac. ad An. cIɔ CCCCLXXXII p. CXXII Syntagm., quo in loco et reliqua eiusdem uaticinia addit, cuiusmodi sunt, *An.* cIɔ Iɔ XVI *erit reformatio Cleri, postea annis XXX erit regnum Christi.* item, *Breui futura est mutatio religionis, in qua prior abrogabitur.* Saepius, dixisse, aiunt, *sub Leone exorietur Eremita, qui reformabit sedem R.* Pluribus Reimannus L. II Sect. III p. IV seq.

h) Proles Theol. Doctor et Augustinianorum Prouincialis. In docendo saepius uerba haec dixit, *O fratres, res christiana opus habet forti et magna emendatione, quam quidem iam prope instare uideo.* Ipse, ut susciperet eam, monitus, respondisse fertur, *Ego iam aetate affecta sum, nec tantum habeo roboris ac praesidii, quantum tanti momenti opus postulat. Alium Deus excitabit heroem, quem ad omnia summum et excellens ingenium ornabit. Hic emendationem aggredietur, et feliciter absoluet.* Decessit cIɔ Iɔ XIII

i) N. Russus, sacerdos Rostochiensis, qui ex Boiemorum scriptis, et Valdensium consuetudine confirmatus, superstitiones Pontificias publice reprehendit, monachorum, et in primis institorum, quos perstrinxerat, insidiis succubuisset, nisi fuga sibi consuluisset. Satis manifeste reiecit, uoce et scriptis errores, quos recenset post Flacium Petrus Lindenbergius Chronico Rosto-

omnes, quorum uaticinia collegerunt, et caussas, quibus commoti emendationem praenunciauerunt, retulerunt Philippus Mornaeus, et Gottlieb VVernsdorffius, alter in Mysterio iniquitatis, alter singulari de primordiis emendatae religionis disputatione.

CAPVT XI

Omnes illi Vates, quo propius attingunt diuinatione iuxta, ac aetate tempus repurgatae per D. Lutherum religionis, eo clarius loquuntur, et, proximam illam, magno consensu testantur. Agnoscebant omnes, opus esse emendatione *tam in capite* (Pontifice R.) *quam membris* (Purpuratis, Antistitibus, et coenobiorum praefectis, sacerdotibus atque monachis) eamque, cum Martinus V constitueretur Pontifex, suscipiendam subito, instabant omnes. Rationem uero, cur non

chiensi L. III c. XVII p. CIX seq. Decessit denique in Liuonia seculo XVI ineunte. Plures ueritatis testes adduximus olim de Tezelio, hos potissimum repetere placuit, et uaticinia commemorare, pluribus de eis tradidit VVernsdorfius, et iudicia, quae fecerunt de his ipsis praeconibus emendationis alii, cumulauit, uaticiniorumque caussas et rationes sub examen reuocauit. Vnius duntaxat meminisse liceat, quem, pro concione, Mornaeus testatur, dixisse, *Vos iam Paulum sub scamnum abiecistis, ueniet aliquando tempus, cum ipse inde prorepens uicissim uos sub scamnum protrudet.* in Myst. iniqu. p. IↃLV adde p. IↃLI et IↃLXVI

non ſecuta exacte illa fuerit, aperit Gobelinus Perſona, qui mores ipſorummet Pontificum et Purpuratorum alias acriter perſtringit. *Sed*, inquit, *quia non omnes aeque ardenter inſtabant, Cardinalibus in hoc etiam torpentibus*, (emendationem doctrinae iuxta, ac morum tacite declinantibus, quippe qui, male ſibi conſcii, peruidebant, ad ſe idem, dictum de aliis, pertinere) *parum profecerunt.* Quam ſerio autem Gobelinus uoluerit, emendationem ſacrorum ſuſcipi, uerbis, quae mox addit, quibuſque Vatis fere perſonam ipſe ſuſcepit, prodit, *Ego quidem iam annis multis ſtatum pertractans eccleſiae, per quem modum ad uniuerſalis eccleſiae reformationem, ſcandalis ſublatis omnibus, perueniri poſſet, curioſa mente reuolui. Quem quidem modum Dominus fortaſſe oſtendet, cum in ſpiritu uehementi conteret naues Thraſis k).*

CAPVT XII

Scilicet id commodi ex concilio Conſtantienſi, quod uel eius rei cauſa etiam inſtituebatur, ut diſciplina priſtina redderetur, pollicetur Gobelinus, quod alii ſperauerant, adeo, ut Henricus Svvartius, qui anno ſeculi huius XXIII adeoque non multo poſt id concilium, obiit, cum de ordinis Benedicti-

 ni

k) Coſmodrom. Aet. VI capite extremo, p. CCCXLIV T. I Meib.

ni emendatione ad An. cIↃ CCCC XVII memorat, fubdubitans de confilii progreffu, ingemifceret, *Vtinam Conftantia tandem afferret conftantiam! l*) Etenim per caufam emendationis, quam *reformationem* uocant, inftituebant Concilia duo, alterum Conftantiae, alterum Bafileae, utrumque in Germania, inuitis, et maxime repugnantibus Pontificibus. Ac Conftantienfe quidem illud coepit, aufpiciis potiffimum Sigifmundi, qui diffidiis finem imperare nitebatur, Anno cIↃ CCCC XIV cui quidem intererant Antiftites numero CCC XLVI Abbates et Doctores IↃ LXIV exclufis duntaxat eis, cum primis aulae R. affeclis, inter quos diffidia glifcebant, cum perpetuo obiiceretur, opus effe emendatione *in capite et in membris*. Vt loquuntur fcriptores huius feculi, inprimis Theod. Niemius et Gobelinus Perfona *m*). Nimirum, quod fupra docuimus, Pontifices, quorum tres una erant, et Purpurati etiam uehementius decertabant de principatu, non acquieturi, nifi per Concilium, quod quatuor nationes, de quibus Gobelinus multa exponit, Italorum, Germanorum, Gallorum, Britannorumque, conftituebant, difiecto diffenfionis globo, omnes coercerentur *n*). Atque, orta ipfos inter

l) Paulinius Chron. Virg. Otterbergenf. p. CCXXXII Syntagmat.

m) u. etiam Io. Seb. Mullerus Annal. Saxon. ad An. cIↃ CCCC XIV p. VIII

n) Cofmodrom. Aet. VI c. XCIV p. CCCXXXIX

inter concilii praesides ac moderatores dissensione, disputatum de emendatione sacrorum est, quam Rex Sigismundus, et Germani, haud dubie, quod usu uenit deinceps, prospicientes, ante, quam nouus constitueretur Pontifex, suscipiendam, sapienti consilio, suadebant, qui uero ex reliquis nationibus praefecti erant concilio, creandum Pontificem, per quem sacrorum cura perficeretur, contendebant. Erant, qui, monachos ordinis regulas, et instituta neglexisse, quererentur. Sed fuisse irrita omnia, ex Gobelino pluribus constat *o)*. Ac suscepta quidem est doctrinae conuersio, uocatis eo IO. HVSSO, et HIERONYMO PRAGENSI, qui errores in doctrina, et uita, seuerius reprehenderant, Pontificumque luxuriam, libidinem, auaritiam, rabiem et insidias, publice reiecerant, atque hoc ipso emendationi uiam patefecerant, tanto quidem consensu piorum et applausu, ut VVenceslaus ipse et Sigismundus, quia non profligare, ex sententia Antistitum, et prosternere hos ueritatis testes ac praecones uno impetu uellent, suspecti ipsis Italis uiderentur. Maxime Sigismundus, quem Pontifex Augustum pronunciare propterea negabat, quod Hussi propugnatores in Boiemia extirpare non penitus elaborasset, ut eam in sententiam

o) Act. VI c. XCVI p. CCCXLIV seq.

tiam teſtis eſt Andreas Ratiſponenſis *p*). Quanquam non omnino culpa uacat Sigiſmundus, tamen, abſente eo, ut Philippus Melanchthon teſtatur poſt alios, duumuiri illi, et religionis uerae defenſores pii, condemnati ſunt, et ſuppliciis affecti. Certum namque eſt, *Cancellarium* imperatoris, Caſparem Slikium, uirum ingenio excellenti et uirtute eximia, cum quidem ſententiae, contra fidem publicam, crudelius pronunciarentur, ſurrexiſſe, et palam repugnaſſe, nihil ſibi cum ſuffragiis huiuſmodi, quae iniuſta eſſent, commune eſſe, atque ſic demum ex conſeſſu omnium abiiſſe *q*). Eo temeritatis quin immo progreditur Gobelinus Perſona, ut, Venceſlaum, ſcribat, errores eorum *tyrannice* defendiſſe *r*). Ac Gobelinus ille capita eodem in loco recenſet, quibus, ſe offendiſſe eccleſiam, uel, ſi rectius pronuncies, animos Pontificum et Antiſtitum, publice enunciauiſſet. Sed Huſſus, perſeuerans in propoſito, mox, pronunciata ſententia, ſine fide publica, quam acceperat, igne cremabatur, Hieronymus, initio metu periculi perculſus, retractabat, at, nuntio timori remiſſo, eandem cum Huſſo doctrinam propugnans, idem cum eo ſupplicium malebat ſubire,

p) Chron. Bauariae ad an. cIↃ CCCC XXXI p. LIII

q) Declamat. in uita Sigiſmundi Imperat. p. CCCXLIII

r) Aet. VI c. XCV p. CCC XLII ad Theod. Engelhuſ. Chron. p. cIↃ CXXXIII T. II Leibnit.

ire, cum Antiſtitibus luxum et ambitionem, grauius et pleno conſeſſu, exprobraſſet. Quod diffiteri non poteſt, qui concilio ipſe interfuit, Theodoricus Niemius *ſ*), ſed uocat Hieronymum *magnum*, *craſſum*, *ſatis eloquentem*, *ſed imprudentem*, *inſignem*, *et pertinacem haereticum*. Ad ſupplicium ignis ductus Hieronymus, clara uoce, praeter cetera, quae Gobelinus commemorat, recitauit *Symbolum Apoſtolicum*, atque ita, uel eius rei cauſa etiam, dicitur a Niemio obſtinato animo in erroribus *in uita*, *et in morte*, *praeſumptione Diabolica et damnabili perſeueraſſe t*). Complures ignis ſupplicio ſcripta ſua, periculo uitae, uel ſubiecerunt, uel ſuccubuerunt ipſi. De Io. de Vaſalia, ſacerdote Vormatienſi, qui coarguerat eccleſiae ſtatum, exponit P. Hachenbergius, ſcripta ſua in foro publice comburenda dediſſe *u*). Roſtochii femina publice perſtrinxit rationes et cauſas, quas in religione tuebantur, ſine diuinioris ſcripturae teſtimonio, et *purgatorium*, *indulgentias*, *ſanctorum inuocationem*, *confeſſionem nugacem* impugnabat, ac, monachis contendentibus, ignis ſupplicio conſtantiam probabat, ſimiliter atque Sundii, Viſmariae, et alias, alii, religionis ardore excitati uiri, et Petr. Lindenbergius refert *x*). CAPVT

ſ) in uita Io. XXIII Pontif. p. XXXI et XLVII
t) l. c. p. XLIX adde Gobelinum l. c. p. CCC XLIII
u) Diſſert. VIII §. XXXIII p. CCXXVII
x) Chron. Roſtoch. L. II c. XV p. LXIX ſeq.

CAPVT XIII

Erat haec *Reformatio* solennis illa, quae Boiemiam, Baioariam, Franconiam, Saxoniam, et plures regiones, in his templa et aedificia, quin totas urbes deuastabat, cum quidem Hussitae, ut uocabantur, proeliis excursionibusque felices, terrorem iniicerent finitimis, compellerentque, ut de restituenda pace cogitarent. Atque Andreas Ratisponensis, fuisse, testatur, qui dixissent, *plagam*, quam in obsidione oppidi Aussigii accipiebant anno seculi XXVI *Catholici, iusto Dei iudicio permissam y*). Succenset Trithemius primum uictoribus suis, qui, auro et praedae citius inhiantes, uictoriae fructum hostibus Hussitis reliquissent, magna clade affecti. Magnam praeterea pecuniae summam fuisse per Germaniam coactam, eo consilio, ut citius extinguerentur, at, infelici iterum, queritur, successu *z*). Itaque ferro flammaque

y) Chron. Bauar. p. XLIV addatur idem ad an. cIↃ CCCCXXVII p. XLV ad an. cIↃCCCCXXX p. XLVIII idem ad an. XXXI p. XLIX seq. Theod. Niemius p. XXXII Lehmannus Chron. Spir. L. VII c. LXXX Io. Seb. Müllerus Annal. Saxon. ad An. sec. XXXI p. XVI ad An. XXXVII p. XX. An. LV p. XXX Trithemius Chron. Sponheim. ad an. XXXII p. CCCXLVII

z) ad An. cIↃ CCCC XVIII p. CCC XLIX easdem querelas repetit ad An. cIↃ CCCC XXXI p. CCC LIII

que extinguendi erant *haeretici*, non uero uoce et ſcriptis, uel pace utrinque facta. Indigne tuliſſe Martinum V Pontificem, diſerte teſtatur Andreas Ratiſponenſis, cum quidem Fridericus, Marchio Brandenburgicus, abſente, et in Vngaria Sigiſmundo occupato, Norinbergae Principum conuentu, An. CIↃ CCCC XXX inſtituenda inter Romanos et Huſſitas diſputatione, conciliare animos tentaret. Nequaquam enim cum haereticis illis diſputationem admittere uolebat *a*). Ex quibus palam eſt, Pontificem et aſſeclas, male ſibi conſcios, congreſſus quoſuis, ſi quibus de doctrina conciliatio, uel diſputatio, inſtitueretur, callide declinauiſſe, qui, conſcientia facinoris inſtigati, peruidebant, ſeſe, ſtatores quippe tutoreſque ſuperſtitionis, quae extirpanda erat, primos utique fore, a quibus emendationis primordia caperentur. Quapropter, ut ſolent temerarii, malitiae culpam, cuius rei erant, in alios, eoſque innocentes, coniiciebant, ex ſuſpicione ſeſe liberaturi. Ipſi Concilio finem indixit Martinus Pontifex An. CIↃ CCCC XVIII *b*).

CAPVT XIV

Interea, dum Huſſi uindices bello acriter cum aduerſariis decertarent, indicebatur con-

a) Chron. Bauar. ad hunc an. p. XLVIII
b) Andr. Ratiſp. p. XLII

concilium Basileense, per Eugenium IV An. CIↃ CCCC XXXI qui tamen, cum idem illud interuertere uellet, eandem, ut supra demonstrauimus, fortunam expertus, quam Ioannes XXIII est, quum uterque, neglecta temere conciliorum, a sese probatorum, auctoritate, loco et dignitate mouebantur *c*). Ad id concilium uocati Boiemi (non enim amplius Hussitae haeretici uocari uolebant, teste Andr. Ratisponensi) perstabant in sententia, atque in capite *de communione sub utraque specie*, quam, in concilio Constantiensi, contra diuinioris scripturae testimonium, negabant, propterea concedendam, quod institutis ecclesiae aduersaretur, sibi publicum concilii suffragium requirebant. Ac Io. Rokizana, Boiemorum delectus, cum ducerent eum, et socios, Basileenses illi iudices, plane aperteque dicebat, *Vos legati Concilii* (conuenerant enim Basileensis concilii legati cum Boiemis Ratisponae, de pacis conciliatione tractaturi) *dicitis, quod non uelimus constare in concordatis, sed nos uolumus dicere, et scribere in uniuersum orbem, quod uos non uultis stare in concordatis*, quod testatur Andreas Ratisponensis, qui huic colloquio interfuit *d*). Quanquam forte et hoc silentio, ut de aliis ait, praeterire maluit, quod Boiemos mitigare Sigismundus ante non potuit, quam consentiret,

c) Andr. Ratisponensis ad hunc an. p. LIII
d) p. LV

tiret, ut *S. coenam ſub utraque* reſeruarent, tamen ex aliis, et fide dignis, ſcriptoribus manifeſtum eſt, Sigiſmundum pronunciari, iuſſiſſe, Boiemos, qui ſacro epulo integro, et, ut uocant, *ſub utraque*, uterentur, ueros, et primos eccleſiae Chriſti filios eſſe *e*). Belli huius, ſicuti et concilii Conſtantienſis hiſtoriam ex actis conſeruarunt Zacharias Theobaldus, Ioannes Stumpfius, H. Hardtius, nouiſſime Iacobus Lenfant, apud Berolinenſes *f*).

CAPVT XV

Quanquam ſuperioribus temporibus monaſteriorum emendationes ſuſcipiebantur, tamen hoc ſeculo, ut plures erant, qui monachos, Abbates, Antiſtites, quin ipſos Pontifices, luxuriae ac libidinis reos faciebant, ipſoſque in conciliis omnium uitiorum accuſabant, ita emendationem illorum acrius urgebant, et, dimiſſis per Germaniam omnem legatis, ſuſcipiebant. Ac coeptas quidem in principio huius ſeculi in Baioaria et Sueuia, memorat Trithemius, ſed, ipſo-

 rum-

e) Chriſt. Lehmannus Chron. Spir. L. VII c. LXXX ad An. cIↃ CCCC XXXVI et ſequentem conf. Andreas Ratiſp. ad An. ſeculi XXXVI p. LV et LVII

f) Vtriuſque Huſſi et Hieronymi monumenta anno cIↃ IↃ CC XV Norimbergae denuo prodierunt. De Concilio Baſil. Aen. Syluius libros III edidit.

rummet Abbatum uiuendi licentia desiisse, testatur *g*). Nec tam solennes erant, quam, quae auctoritate concilii utriusque instituebatur. Etenim complures, uirtute et sapientia praediti, in Germania uiri, speciatim Abbates dioeceseos Moguntinae et Bambergensis, re ad Constantiensis concilii praesides et auctores delata, ordinis D. Benedicti commutationem, quae maximum rei sacrae incommodum attulisset, proponebant, ex eaque insignem reipublicae conuersionem, nisi regulis statoris pristina auctoritas redderetur, praesagiebant. Quicquid igitur, pro emendatione monasteriorum constituebant illi, id probabant concilii patres et rectores *h*). Omnium maxime illustris est, et sempiternae, inter Pontificiae religionis socios, memoriae *Burffeldensis* illa, quae sic uocatur, *Vnio*, cuius primordia si spectes, auctores uideas clarissimos illos *Ioannes* duos, alterum *Rhodium*, coenobii D. Matthiae, quod apud Treuiros florebat, alterum *de Minda*, patria, sic dictum, Burffeldensis, *Abbates*. Ioannes enim Rhodius, uir pius et eruditus, in Treuirorum augusta urbe natus, in gymnasio

g) Chron. Sponheimensi ad An. cIↄ CCCC IV p. CCCXLI seq.

h) Theod. Engelhusius Chron. p. cIↄ C XL Tom. II Leibnit., pluribus allatis, qui fidem merentur, testibus illorum temporum rem omnem enarrauit Cl. Io. Georg. Leucfeldius Antiq. Burffeldens. c. II p. XXXV seq.

ſio Heidelbergenſi literis eruditus, poſt ecclesiae Metenſis *Canonicus*, et D. Simonis, apud Treuiros, *Decanus*, curiaeque Treuirenſis, ut uocant, *Officialis*, poſthabita dignitate iſta, in monaſterium, quod Abbatis titulo ornauit deinceps, ingreſſus *i*), mox, auctoritate Ottonis, Antiſtitis ſummi, omnia ditionis Treuirenſis monaſteria emendabat, monachis, horumque praefectis, primariis quoque, ad priſtinum cultum reuocatis. Cuius rei fama Otto, Dux Brunſuicenſis, excitatus, uiros ex Rhodii diſciplina per Ioannem, Abbatem Burſſeldenſem, qui eo commeauerat, monachorumque mores emendatos penitus cognouerat, accerſendos curabat. Horum ope Ioannes Mindenſis, Abbas Burſſeldenſis, monaſterium, quod ad paucos redactum, uitio temporum, fuerat, ab ruina uindicabat, eadem ſane felicitate, qua Cluſanum, cuius antiquam, repugnantibus licet monachis, quibuſdam etiam diffugientibus, dignitatem et famam antea reſtituerat, eadem nominis dignitate et famae celebritate praefectus *k*).

i) Trithemius Catal. Vir. illuſtr., An. cIↄ CCCC XXXIX mortuum, teſtatur; eiuſque auſpiciis *reformationem Burſſeldenſem* Ordinis ſui, plane aperteque ſcribit, coepiſſe, p. CLVII

k) Monachus quippe olim coenobii, quod Reinhuſii prope Gottingam D. Chriſtophoro ſacrum erat, ab Abbate ſuo ad concilium Conſtantienſe delegatus, ardore ſacerdotum primariorum dioeceſis Moguntinae, pro reſtituendo priſtino coenobiorum cultu, cognito, fideique, quam ipſe dede-

Hoc rebus humanis exempto, eadem diligentia monasterii eiusdem rationem habuit, uir, studio pietatis et religionis defendendae ardore clarus *Ioannes Hagen*, siue, ut alias uocant, *Io. de Indagine*, successor Ioannis Mindensis, multorumque, ut Ioannes Buschius testis eiusdem cum eo aetatis est, coenobiorum per Saxoniam, Turingiam, Misniam, Frisiam, Vestphaliam, itemque ad Rhenum, et alias instaurator *l*).

CAPVT

rat, memor et reuersus ad suos, Abbati ac sodalibus, moribus corruptis, emendationem collaudabat, sed, odio illorum exceptus, consilium aperiebat, suamque fortunam, quae, inuidiae cedere cogeretur, commendabat Agnetae, ducis Brunsuicensis, Ottonis, coniugi, cuius commendatione, excluso tunc per censuram Ortvvini, Abbatis monasterii D. Petri Erfurt., sacrorum per dioecesin Moguntinam iudicis constituti, Detleuio, monasterii Clusani ad Gandesheimium Abbas constituebatur An. cIↃ CCCC XXX eiusque famam, sua praefecti cura, recuperabat. Trithemius Chron. Sponh. ad an. cIↃ CCCC XXIX p. CCCL. Meibomius Chron. Bergensi, p. CCCVIII T. III Rer. Germ. Leucfeldius Antiquit. Gandesheim. c. XX p. CLXVIII seq. CLXXXII seq. itemque Bursfeldensibus cap. II p. XLI seq., qui, cIↃ CCCC XXXIX mortuum Io. de Minda, docet.

l) De Reformat. c. XLIV p. IↃ CCC XLIII Tom. II Leibnit., itemque apud Leucfeld. Antiq. Bursfeld. c. V p. CLXXIX Obiit Io. Hagen an. cIↃ-CCCC LXIX teste Trith. Chron. Sponh. p. CCC-LI Trithemius idem auctori Io. Rhodio emendationem sui ordinis, quae nomine *Reformatio-*

CAPVT XVI

Ex quo tempore coenobium Burſfeldenſe reliqua, famae celebritate, ſuperabat, ex eoque Principes, ſacrorumque Antiſtites, numero plurimi, formam rationemque petebant emendandorum alias coenobiorum, initoque cum eo ipſo ueluti foedere, perpetuae ſocietatis memoriam conſeruabant. Suo quidem tempore Trithemius numerabat iam tum LXXV quae, amicitia et ſocietate cum Burſfeldenſi coniuncta, in Germania, quotannis memoriam, inſtituto conuentu, quem ſeculo ſuo, barbaro quidem, attamen uſitato nomine, *Capitulum* uocat, ſanctam habebant, et, de emendatione monaſterii quiſque ſui deliberaturi, conueniebant. Enumerauit ordine omnia Germaniae coenobia illa, quae Burſfeldenſem illam ſocietatem probauerunt *m*), repetiitque, attamen etiam, qua potuit diligentia, ex antiquitate, allatis plerorumque rebus memorabilibus, illuſtrauit Io. Georg. Leucfeldius, magnamque ea re laudem meritus eſt *n*). Ipſum inſtitutum,

 ut,

nis et *Vnionis Burſfeldenſis* illuſtris eſt, tribuit ipſe, et magnam laudem ei defert, Catalogo Vir. illuſt. p. CLVII

m) Chron. Sponheimenſi p. CCC LI

n) in Antiquitatibus Burſfeldenſibus c. III p. XLIX ſeqq. conf. Meibomius Chron. Bergenſi T. III p. CCC VIII ſeq.

ut, rei ſacrae peraptum et ſalutare, perſpiciebant, ita, auctoritate Antiſtitum, ac Pontificum, firmum eſſe, cupiebant omnes, quotquot ardore conſeruandae ſanctioris uitae tenebantur. Eius rei cauſa adibant concilium, quod tum ſolenne erat, Baſileenſe, conſenſumque flagitabant. Suffragio ſuo probabant, priuilegiiſque ornabant, et confirmationis tabulis, ut contra inuidos, perſiſteret, diutiuſque floreret, augebant, Ludouicus, Purpuratus S. Coeciliae an. CIↃ CCCC XL Theodoricus, Antiſtes Moguntinus, ad cuius ditionem pertinebat, an. ſeculi XLIX Nicolaus de Cuſa, Purpuratus idem, et multorum in Germania coenobiorum inſtaurator, an. LI denique Pius II qui et Aeneas Syluius, an. LVIII in primiſque LXI *o*).

CAPVT XVII

Cum primis Nicolaus de Cuſa, Purpuratus, ab Nicolao V Pontifice Romano, in Germaniam miſſus, atque eam in rem conſtitutus, ut monaſteriorum regulas, quae obliteratae erant, renouaret, ex praeſcripto *Reformationis*

o) V. Trithemius Chron. Sponh. ad An. cIↃ CCCC XXIX p. CCCLI Meibomius l. c. p. CCC IX Leucfeld. l. c. p. XLIII ſeqq. Tabulae, qua emendationem Ordinis Benedictini in Germania probauit concilium Baſileenſe, meminit Trithemius ad An. cIↃ CCCC XXXIX p. CCC LIX Chron. Sponheim.

mationis Burſfeldenſis emendari, iubebat, formam etiam modumque ipſe eis, quos in emendationis ſocietatem cooptauerat, praeſcribebat *p*). Is, ope et auxilio Io. Buſchii, et D. Pauli, alterius quidem tum *Praepoſiti* Noui Operis, alterius S. Mauritii apud Hallenſes, quos ſibi collegas, negotiique adiutores delegerat, per Saxoniam, Turingiam, Miſniam, Marchiam Brandenburgicam, Holſatiam, et alias Germaniae regiones, coenobiorum emendationem ſolicite curabat. Nicolaus uero ille, uocatis Magdeburgum, qui ad metropolin illam pertinebant, Antiſtitibus, inſtitutum legationis ſuae proponebat, *Nicolaus, Papa V* inquiens, *ad Alamanniam totam et ad iſtam me miſit prouinciam, pro Cleri et religioſorum omnium reformatione, et eorum ab erroribus inuentis ad uerum ſtatum Chriſtianae religionis plenaria reductione.* In praeſentia omnium in laboris ſocietatem acciuit Io. Buſchium, et D. Paulum, datiſque ad coenobiorum D. Auguſtini, in dioeceſibus Magdeburgenſi et Moguntina, Saxonia et Turingia, ordinis praefectos utriuſque ſexus literis, conſtituit ac iuſſit, ut, ex inſtituto *Capituli* Vindeſemenſis, quod Martinus V approbauerat, emendationem ſacrorum per duumuiros iſtos admitterent, eamque *in capite et membris*, ut alias loqui conſueuerunt huius ſeculi ſcriptores,

p) Trithemius Chron. Sponheim. ad An. cIↃ CCCCLI p. CCCLXVI et CCCLXVII

ptores, formula in curia ſacra ſolenni, ſuſciperent, et ſine partium ſtudio perficerent *q*). Fines, in quibus Ioannes et Paulus monaſteriorum ſacra inſtaurarent, iiſdem deſignat, in his praecipue dioeceſes *Magdeburgenſem, Martiſburgenſem, Miſnenſem, Naumburgenſem, Brandenburgenſem, Hauelbergenſem, Halberſtadienſem, Hildeſienſem, Verdenſem, Saxoniam ac Turingiam r*). Formulam, qua uitae emendationem promiſerunt religioſi illi homines, ſaepius repetit Io. Buſchius, paucis pro loci circumſtantia, mutatis. Vnius meminiſſe hic, non incommodum eſt, atque eam quidem, quam, in dioeceſi Martiſburgenſi, recitandam, dederunt, his uerbis, *Ego frater N. promitto praeſentibus in manus reuerendi in Chriſto Patris Domini mei, Domini Ioannis Merſpurgenſis Epiſcopi, nec non Dominum Ioannis et Pauli, noui operis et S. Mauritii in et extra Halas Praepoſitorum, auctoritate Apoſtolica Viſitatorum, et Reformatorum, per Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem, Dominum Nicolaum, Cardinalem tituli S. Petri ad Vincula, per prouincias Moguntinenſem et Magdeburgenſem, Ordinis Canonicorum regularium, utriuſque ſexus monaſteriorum, Deputatorum, quod uelim obſeruantiam regularem, et ſanctam Reformationem iuxta mandatum Domini Cardinalis, mihi propoſitum, abhinc ſucceſſiue in omni forma, realiter*

q) Lib. IV c. I et II apud Buſchium, p. Iͻ CCCC-LVI T. II Leibn.

r) Lib. IV c. II p. Iͻ CCCC LVIII

realiter et cum effectu ſuſcipere et firmiter tenere, et roquetum R. ſiue ſubtile in die Natalis Domini (alii alio tempore praeſcripto) *induere ac deinceps ſemper deferre ſub poenis in mandato dicti domini Reuerendiſſimi Patris contentis*, etc. *ſ*). Decreuit etiam Nicolaus Cuſanus, ut intra annuum tempus reuocarent uitae ſeuerioris conſuetudinem, et corruptis ſeculi moribus nuncium remitterent. Secus facturi, atque in pertinacia perſeueraturi, priuilegia amitterent, et libertate omnino priuarentur, ipſi Antiſtites quoque, ſiquidem contra decretum facerent, et homines, qui inepti eſſent, reciperent, indignoſque electos tuerentur. *Quod ſi*, enim inquit, *ſecus feceritis aut fecerint, confirmationes eaſdem ſimili auctoritate Apoſtolica, ex nunc, prout ex tunc, et ex tunc, prout ex nunc, decernimus irritas et inanes, nulliuſque exiſtere roboris uel momenti t*). Ac Ioannes Buſchius quidem, ut ipſe memorat, propter experientiam, quam longo emendationis, ſeu, ut uocat, Reformationis, uſu comparauerat ſibi, primas eis locis, ad quae dimiſſus fuit, tenuit, primuſque omnium ſententiam pronunciauit *u*). Idemque, legationis huius ſacrae cauſa, ad cxx ſe urbes adiiſſe, et rem

ſ) p. Iↄ CCCC LXI ſeq.

t) in tabulis, quas edidit An. cIↄ CCCC LI apud Buſchium, L. IV c. X p. Iↄ CCCC LXIII conf. p. Iↄ CCC LVI Iↄ CCCC XLIV Iↄ CCCC LXIV

u) de Reform. c. XXXVIII p. Iↄ CCC XXXVII T. II Leibnit.

ſacram in coenobiis curaſſe, tradit ad annum CIↃ CCCC LXXIII *x*). Conſimilis poteſtas data fuit Vindeſemenſibus, ab concilii Baſileenſis fratribus, in emendandis D. Auguſtini coenobiis, cuius decretum, quod exiit anno iam tum XXXV ſeculi, integrum emiſit Buſchius, ex quo patet et manifeſtum eſt, omnes ſerio ſacrorum emendationem uoluiſſe *y*).

CAPVT XVIII

Quanta ſeueritate coepta perficere laborabant Vindices illi, tanta pertinacia reſiſtebant monachi, monaſteriorumque rectores ac praefecti. Pleni ſunt querelarum libri et annales, et, quae fuerit miſeria hominum, qui corrupti hominum religioſorum mores, quae diſciplinae ſanctioris contemptus, quaeue rerum diuinarum humanarumque inſcitia, ſatis deplorare non queunt. Quibus qui reſiſtere, uel ſuadere etiam uitae ſanctimoniam conabatur, uitam ipſe ſuam odio, inſidiis, et tantum non omni diſcrimini exponebat. Complures, facta conſpiratione, ſubtrahere ſe iudicio inſtauratorum non dubitabant, quin et contra concilii Baſileenſis decretum, cuius auctoritate Vindeſemenſes ſacrorum emendationem ſuſcepiſſe, ſupra docuimus, defendere ſe priuilegio Eugenii

x) Lib. III cap. LIV p. IↃ CCCCLIV
y) de Reform. l. c. p. CCCC LXXXVI ſeq.

Eugenii IV Pontif. R., ſuſtinebant, nullius quippe uitii, cuius arguerentur, rei, Ioannes Scheningenſis, Hamerſlebienſis, Halberſtadienſis, Sultenſis, et Hermanni duo Caltenbornenſis, et Iurgenbergenſis, *Praepoſiti* omnes z). Sexus etiam femineus ſuam ſibi licentiam ſeruare, et antiquum obtinere morem malebat, quam uitae melioris rationem probare. Quare cauſas, quas poterant, expromebant Virgines Veſtales illae, libertatem, quam praeferebant, imminui hac ratione, non paſſurae. Iure iurando, cum Buſchius corrigere mores, et pietate conſulere, ſua ſtatoris ſacri diligentia, anniteretur, ſe fidem inter ſe obligaſſe, non admiſſuras emendationem, nec regulam ſuam obſeruaturas, plane aperteque, attamen ſimpliciter dicebant, petebantque, ne periuras ſe facerent, atque inuitas cogerent, ut facerent, quod per conſcientiam audere non poſſent. Etenim in iudicium uocatae, *manibus ante pectus complicatis, ſtantes, uno ore reſponderunt, NOS omnes pariter concluſimus, et ſimul iurauimus, quod nolumus, nos reformare, nec regulam noſtram obſeruare, rogamus, ut non faciatis nos periuras.* Quae uerba, dato deliberandi ſpatio, ſemel atque iterum repetebant, auctoritate Antiſtitis Mindenſis, cui parebant illae, incitatae, nec, niſi ui et potentia Guilelmi, Ducis Brunſuicenſis, qui, repugnante licet An-

z) Buſchius l. c. p. CCCCLXXXVIII T. II Leibnit.

Antistite Mindensi, petulantiam cohibiturum, uel, siquidem exire e finibus suis nollent, aut deserere uitae liberioris consuetudinem, ipsum se, baculi tantum ope, excessurum, spondebat, coercendae. Cognouerat femineo hoc certamine sexus sequioris mores Guilelmus, et, cum ipso Antistite, uel alio quodam hoste, quam cum Amazonibus eiusmodi sacris se decertare, et armis contendere malle, aiebat. Coactae demum, cum animaduerterent, rem serio agi, et se, nisi animum mutarent, incolumes non fore, iuriiurando, quod sollicite defenderant hucusque, nuncium remittebant, regulas ordinis sui, seueritate maxima, se defensuras, promittentes. Discessurum hinc Buschium praestolabantur in sylua armati duo, qui insidiis uim et iniuriam, Virginibus sacris illatam, uindicare non destituissent, nisi dispersi dispalatique fuissent *a*). Idem subiit periculum, alio quodam sicario, Virginum Derneborgensium, quas itidem in ordinem redegerat, causam suscipiente *b*).

CAPVT XIX

Ex quibus iudicari potest, quantus fuerit labor, quantumque periculum in reuocanda

a) Lib. II c. I II de Reform. p. IↃCCCLIX seqq.

b) uti refert libri huius capitibus XIII et XIV p. IↃCCCLXXV et LXXVI

canda uitae innocentia, quanta constantia et seueritas, in ea conseruanda pariter, atque defendenda. Tametsi nec Principes, atque ipsi etiam reges, in proposito retinerent sacrorum uindices, conciliorumque auctores summi consilio, re, et opera, subuenirent, tamen non omnino omnibus in locis in officio propter luxuriam et libidinem, quae in animis, altius defixae, recessus et latebras habebant, poterant contineri. Diserte eam in rem Io. Trithemius, cum de Ioannis Rhodii, Abbatis D. Matthiae in Treuiris, cura in renouandis coenobiorum sacris docet, *Finaliter tamen*, ait, *parum profecit, quia monachi, prauis moribus assueti, monentis uerba parum curabant, quippe qui in deformitate (ut ita dixerim) nati et enutriti, aliter uiuere, quam didicerant, non uolebant. Nimia enim paupertas et inopia rerum temporalium eos ad spiritualis uitae desperationem perduxerant, quia, se non posse, credebant, quod faciliter potuissent c*). Erat autem, ne hoc praetermittamus, haec emendatio morum, de doctrina prorsus silebant, quam tamen, tot foedis erroribus iuxta, ac superstitionibus, obscuratam penitus, renouari, optabant cum primis religionis iuxta ac pietatis uerae propugnatores omnes. Neque ullum extat de repurganda doctrina mandatum, neque Nicolaus Cusanus, Purpuratus ille, in edictum

c) Chron. Sponheim. ad An. cIↄ CCCC XXXIX p. CCCLIX

ciant aliquid, ex Delphico oraculo, uolunt aras cubicas duplicari, ut ſint anguſtiores, ferunt leges de non alenda barba, de βαττολογίᾳ precum non intellectarum, etc. *f*).

CAPVT XX

Quin immo ipſi conciliorum moderatores ſuperſtitionem probabant adhuc, atque, tabulis, quae paſſim ſuperſunt, confirmabant, eas etiam doctrinae partes, ex quibus, commodum in rem ſacram redundare, intelligebant. Ex quibus omnibus cognoſcimus, non doctrinam ipſam, quae corrupta erat, ſed ceremonias mutare aliquot in animo habuiſſe, et mores prodidiſſe ſuos, quum in moribus aliorum caſtigandis occupati eſſent. Suppetunt mihi literae, in concilio Baſileenſi editae, atque a Fr. Dionyſio, qui induſtrie antiquitates patriae meae collegit, deſcriptae, quas longiores licet, recitabo tamen, quia peregrinationem in monte *Golmis* tum celebrem, exponunt. Ita uero habent. Vniuer-„ſis Sanctae matris Eccleſiae filiis, ad quos „praeſentes literae peruenerint, Nos miſe-„ratione diuina Ludouicus, patriarcha Aqui-„legienſis, Epiſcopus Ioannes Gürcenſis, „Haymo Grotiopolitanus, Gerhardus ſancti „Pontii, Ioannes Sagienſis, Matthaeus Albi-„ganenſis, Nicolaus Tiburtinus, Martialis „Ebro-

f) T. I Declam. p. CLXIII ſeq.

„gdalenae, Catharinae, Annae, Margarethae, „Agathae, undecim millium Virginum, et in „commemoratione omnium Sanctorum et „Sanctarum animarum, insuper et illorum „Sanctorum, quorum reliquiae in dicta Ca- „pella continentur, quaeque in ipsa Capella „in speciali habentur reuerentia, et in De- „dicatione ipsius Capellae, aut per octauas „praedictarum festiuitatum, octauas haben- „tium, ac etiam singulis diebus Dominicis „et Festiuis, Aduentus Domini, Quatuor „temporum, seu Quadragesimae, causa de- „uotionis, peregrinationis uel orationis ac- „cesserint, uel, qui Missis, praedicationibus, „et diuinis officiis interfuerint, aut qui for- „san personis extreme laborantibus, quic- „quid suarum legauerint facultatum, seu, qui „in serotina pulsatione campanae flexis ge- „nibus ter, *Aue Maria*, deuote dixerint, aut „qui corpus Christi, uel oleum sanctum, se- „cuti fuerint, cum portantur infirmis, aut, „qui ibidem, pro animabus omnium fideli- „um defunctorum orationem Dominicam, „cum salutatione Angelica, deuote dixerint, „nec non, qui ad fabricam, luminaria, orna- „menta, et alia dictae Capellae necessaria „manus porrexerint adiutrices, de omnipo- „tentis Dei misericordia, Beatorum, Petri „et Pauli, Apostolorum, et omnium Sancto- „rum, eius meritis et auctoritate confisi, sin- „guli nostrorum singulas dierum Quadrage-

„nas, de iniunctis eis poenitentiis, miseri-
„corditer, in Domino relaxamus, dummo-
„do Dioecesani uoluntas ad id accesserit et
„consensus: In cuius rei testimonium prae-
„sentes literas sigillorum nostrorum appen-
„sione iussimus muniri. Datum Basileae, idi-
„bus Augusti, Anno a Natiuitate MCCCC
„tricesimo septimo, Sacro Sancto Concilio
„uigente.

LIBER XVI DE POLITIORIS HVMANITATIS INSTAVRATIONE.

CAPVT I

Liberum hoc etiamnum seculo, antequam literae ab exilio reuocarentur, erat errare, et peregrinis, in Orationem illatis, formulis uti, ut una saepe oratione, quamuis elegantissima, Italis, Gallis, Germanis, Graecis aliquid in acceptis referre uiderentur. Philippus Melanchthon, cuius auctoritas, quia elegantioris doctrinae uindex praecipuus est, magnum apud omnes pondus habet, *superiori seculo*, testatur, *cum sua quisque sibi uerba cuderet, et peregrina Latinis misce-*

misceruntur, eiusmodi conflata est oratio, quae ne illius quidem aetatis hominibus intelligi potuit. Tantum abest, ut posteritas assequatur h). Ex quibus, quae fuerit eloquentiae fortuna, cognoscas, de poetices non aliter iudicari licet, de qua uestigia suppetunt clarissima, ex quibus planum est et perspicuum, Germanos ab dignitate plane deflexisse. Vnius, uenit, ex epistolis obscurorum uirorum, in mentem recordari *Magistri* Erfordiensis, adeoque, quod dolendum, iterum Germani, *qui fuerunt regentes in Bursis, non permiserunt legere* in poesi et aliis phantasiis, *sed fuerunt diligentes in Aristotele*, et fuerunt moderni *et reales, et sciuerunt fortiter disputare contra antiquos et nouales i)*. Scilicet Philosophorum omnium rex, uel, ut Io. Buschius *k)* loquitur, *uertex*, erat Aristoteles, cuius ueneratio erat tanta, ut, qui contra existimaret, *haereticus* putaretur. Non secus, atque illi, qui, Hebraeae, Graecae, et Latinae, linguae, studiosi, laudem in eis ornamentis capessere anniterentur *l)*. Vt adeo insulsi homines

 isti

h) T. I Declamat. p. CCC XCI

i) conf. Auctor der Nachricht uon den Begebenheiten der Stadt Erfurt, p. CCLXXV

k) in praefat. ad libr. de Reform. Monast. p. Iↄ CCCCLXIV T. II Leibnit.

l) Erasmus Epist. XII ep. X Quae ex Conr. Heresbachio refert Reimannus de monacho, de lingua Graeca, quippe noua, et *Testamento nouo*, iniquius hinc pronunciante, omittimus nunc, et lectorem eo ablegamus L. II p. CXL

isti sua sibi uehementia arguendi innocentes labem ignominiamque aspergerent, et inscitiam proderent, ac Capnioni atque Erasmo, alteri Hebraeae, alteri Graecae, linguae instauratoribus, ac uindicibus eruditissimis, causam praeberent, ut μωρίαν monachorum singulari elogio perstringerent *m*). Quin Capnioni, cum, Iudaeorum libros non omnino igne delendos, contra Hochstratum, enunciauisset, bellum propterea, libro, quem, monitus ab Imperatore, emiserat, Moguntiae conbusto, indictum, legimus, eumque haereseos accusatum. Re ad iudices, ipsumque Pontificem, delata, Capnio quaestorum caussas aperuit, defensusque per Purpuratum Grimanum, Venetum, Graece Latineque doctissimum, Petrum Galatinum, Iac. Questembergium, Vlr. Huttenum, et Erasmum Roterodamum, crabrones irritauit, ut publicis eum, et defensores, Huttenum et Erasmum, concionibus errorum arguerent, et accusarent *n*). Auctor namque Hochstrato Iudaeus quidam, impostor, fuerat, compellaret imperatorem, qui edicto statueret, ut Iudaei libros omnes afferrent in curiam, in suo quisque oppido, ab *inquisitoribus*, praeter *S. Bibliorum* codicem, omnes tanquam religioni

m) Vita Capnionis apud Pfluegerum, p. LXIV seq. Causas μωρίας ab Erasmo confectae, repetiit Dau. Chytraeus in Saxon. L. VI p. CLXXIX

n) u. Vita Capnionis, apud Pfluegerum, p. LXIX seqq. Ioach. Camerarius in Vita Melanchth. p. XVI seq.

ni Christianae perniciosos in ignem coniiciendos. Sententiam rogatus ab imperatore Capnio, dissuadebat, libros Grammaticos et medicos abolere, ueritus, ne, cum omnes delerentur, lingua ecclesiae necessaria penitus extingueretur. Eandem fortunam tulit, propter Graecae linguae cognitionem, inusitatam tum inauditamque, Erasmus, quod, praeter ea, quae ipse refert, constat ex uita eius apud Pfluegerum *o*).

CAPVT II

Ineptas uocum formularumque explanationes, ut literatores uiderentur, et uulgo, se tales esse, persuaderent, fingebant, rixabanturque commentis, ac colorem uenustatis, fuco illitum, comminiscebantur, et suis sibi sordibus placebant, belli homines, culinae, quam scholae, ac coetui sacro, aptiores. *Cum nullas literas tenerent, unde sapere discerent, fatuam illam Sophisticen pepererunt, coeperuntque rixari de commentitiis uerborum compositionibus, ne non rhetoricarentur, quid intersit inter haec*, Papam uidi, et uidi Papam. *Extatque hodie articulus Parisiensis*, Ego currit, male Latine dici, *haereticum esse, quisquis dissenserit*, ut scribit de Parisiorum commentis Philippus, quae Germani, ueluti diuinitus allata, amplectebantur, in Gallorum ueneratione insipientes

o) p. LXXXV

tes *p*). Altius expendit Philippus, quantum Gallis debeant Germani, prodigiosis, ac portentosis, Scholasticorum commentis decepti. Disciplinae reliquae intermortuae ex foedis sane fontibus scatebant, et *Thomae*, *Scoti*, *Durandi*, *Seraphici*, *Cherubici*, et complures argutiarum doctores, et *magistri bursales bullati* dominabantur in scholis, et mole commentariorum ingenia obruebant, disciplinam formandae rationis ex *Tartaretis*, *Bricot*, *Peruersore*, *Eckiis*, *Copulatis bursae montis*, *Exercitiis taurinis*, *et caminis*, *et aliis huius farinis*, ut Philippus noster iterum scite commendat, mutuabantur. Inter argutias refert, *Genus est species*, *nullus et nemo mordent se in sacco*, *Parisiis et Romae uenditur piper q*). Erant igitur eiusmodi *haecceitates*, reuera *asineitates*, quibus ipse se aliquandiu otium perdidisse, grauius dolet.

CAPVT III

Occurrere, sua liberalitate ac munificentia, barbariae, atque exterminare finibus patriae contendebant Germaniae Principes summi, propagandae religionis, atque doctrinae omnis, studio incitati, institutis Academiis, in quibus erant Lipsiensis *r*), Rosto-

p) Declam T. I p. CCCCXII et CCCCLXXXIV

q) p. CCCC LXXXVII CCCC LXXXIX seq. Oratione de studiis corrigendis, auspicii causa, An. cIↃ IↃ XVIII habita.

r) Creuit illa ex ruina Pragensis, de qua supra do-

ſtochienſis *f*), Gryphiſualdenſis, Baſileenſis, Ingolſtadienſis *t*), Tubingenſis *u*) Moguntinenſis, et, ſeculo, quod inſequebatur, XVI ineunte, Vitembergenſis *x*), et Francofurtenſis *y*). Quo uero ſucceſſu, ſatis eſt mani-

cuimus, auctore, ut Io. Trithemius teſtis eſt, Vincentio Grunero, Zuiccauienſi, An. cIↃ CCCC IX de Script. illuſtr. p. CLII Theod. Engelhuſius ad An. ſeculi VIII *Tunc et ſtudium Lipzenſe coepit, magiſtris Pragenſibus Teutonicis a Praga recedentibus, propter materiam uniuerſalium realium, et errorem Huſſitarum.* Chron. p. cIↃ C XXXVIII T. II Leibn. Primum eius cancellarium Nicolaum de Lubeck fuiſſe, prodit Io. Seb. Müllerus Annal. Sax. ad An. VIII p. V

f) Roſtochienſis coepit An. Sec. XIX rectore primo Petro Stenbeckio, u. Petr. Lindenberg. Chron. Roſtoch. L. III c. I p. LXXV et LXXVI

t) Ingolſtadienſis priuilegium, quo eadem libertate et immunitate, ut in *Vniuerſitate Athenienſi, Bononienſi et Viennenſi*, ornauit Ludouicus, Palatinus Rheni, et Bauariae dux, edidit An. cIↃ CCCC LXXII ab Leonardo Pauholzio, qui Chronicon Andreae Ratiſponenſis produxit, allatum p. LXVI

u) Tubingenſem in ditione Virtembergica, anno quidem, ut tradunt, cIↃ CCCC LXXIV Eberhardus, cognomine Probus et barbatus inſtituit. u. Ioach. Camerarius in Vita Melanchth. p. XII

x) Primus Vitembergenſis Rector erat Martinus Polichius, Mellerſtadienſis, medicae artis D. Tabulas Maximiliani I an. cIↃ IↃ II quo coepit Academia, et reliquorum, qui ratum probatumque Friderici III Septemuiri, inſtitutum habebant, praemiſit operi, quod de Academia illa edidit, Godefr. Sueuus, ad. Chytraeus Saxonia Lib. V p. CXLVI

y) Francofurtenſis auſpiciis Ioachimi I Septemuiri Brandenb. coepit an. cIↃ IↃ VI Rectore primo

nifestum, cum scholasticorum ineptiae et in his mox familiam ducerent, et pulpita occuparent. Ita Io. de Lapide, *doctrinam eorum Parisiensium, qui Reales appellabantur, primus ad Basileensium Vniuersitatem transtulit, ibidemque plantauit, roborauit, et auxit*, ut Trithemius praedicat *z*). De Tubingensi illa scribit Ioach. Camerarius in uita Philippi Melanchthonis *a*), *Theologiae tum materia non sacrae literae, et scripturae diuinae erant, sed quaedam obscurae et spinosae intricataeque quaestiones, quarum nugatoria subtilitate exercebantur et defatigabantur ingenia.* Et paullo post *b*), *Erant tum studia Philosophiae, qua Theologia inuoluebatur, scissa in duas praecipue partes. Quarum una, ueluti Platonicam, de ideis, seu formis abstractis, separatisque ab iis, quorum moles corporum sensibus subiiceretur, sententiam tuebatur. Haec de eo, quod generalis cogitatio comprehendit, ut hominem, animantem, pulcritudinem, etiam spondam atque mensulam,*

Conrado VVimpina, Franco. u. Chytraeus in Sax. L. VI p. C LXIX seq. Io. Chr. Becmannus Memorand. Francofurt.

z) de Script. Eccles. p. CCC LXXXII Trithemius Chron. Hirsaug. ad An. cIɔ CCCCL scribit, Iacobum Antistitem Treuirensem, cum Romae esset, a Nicolao V Pontif. praecipuum sedis R. priuilegium obtinuisse, *quod in ciuitate Treuirensi Gymnasium posset instituere generale, in quo omnium facultatum Praeceptores haberentur*, p. CCCLXVI

a) p. XIV

b) p. XXI

sulam, quia natura et res singularis constituitur, Reales *isti sunt nominati. Altera pars, Aristotelem magis sequens, speciem istam de iis, quae suam naturam ipsa haberent, uniuersis colligi, docens, et concipi intelligendo notionem hanc, ex singulis quibusdam existentem atque contractam, neque re, sed nomine tantum consistere,* Nominales *appellati fuere et moderni.* Vtraque pars, quia defensoribus nitebatur, contentiones, et inanes uerborum pugnas committebat.

CAPVT IV

Stetit in plerisque eo fastigio contentiosa illa doctrina, et agrestes sane erant Academiae illae, ut Melanchthon uocat, rostrisque philosophabantur, usque dum elegantior doctrina, et religio uera renouarentur. Ita, satis diu nodum in scirpo quaesisse homines otiosos, memorat Lutherus, qui ex his sordibus liberare ingenuas et liberales artes primo omnium enitebatur. Atque Anno quidem seculi, in quod aetas eius cecidit, sexto decimo ad Iodocum Isenacensem mittebat literas, *plenas*, ut ait ille quidem, *quaestionum aduersus Logicam, et Philosophiam, et Theologiam; id est, blasphemiarum et maledictionum contra Aristotelem, Porphirium, Sententiarios, perdita scilicet studia nostri seculi. Sic enim interpretabuntur, quibus decretum est, non quinquennio, cum Pythagoricis, sed perpetuo, et in aeternum cum mortuis,*

silentium tenere, omnia credere, semper auscultare, nec unquam saltem leui praeludio contra Aristotelem, et sententias uelitari, et mussitare. Quid enim non credant, qui Aristoteli non crediderunt, uera esse, quae ipse calumniosissimus calumniator aliis affingit, et imponit tam absurda, ut Asinus et Lapis non possint tacere ad illa c). Feliciorem in renouandis eodem iam tum anno sacris, et remouendis stultorum placitis, progressum paullo post indicat Io. Langio, Erfurdiensi primario, *Theologia nostra, et S. Augustinus prospere procedunt, et regnant in nostra Vniuersitate, Deo operante: Aristoteles descendit paullatim, inclinatus ad ruinam prope futuram sempiternam. mire fastidiuntur lectiones sententiariae, nec est, ut quis sibi auditores sperare possit, nisi Theologiam hanc, id est, Bibliam aut S. Augustinum aliumue ecclesiasticae auctoritatis Doctorem uelit profiteri d).* Itaque nonnihil profligata iam erat, ante quam nundinatori sacro, Io. Tezelio, bellum indixerat, rixosa illa Scholasticorum cohors atque ad incitas redacta. Neque uero existimandum, ut nonnulli hodie solent, Lutherum, penitus Aristotelem ex Scholis eiiciendum, iudicauisse, sed in eo erant duumuiri, Lutherus et Philippus, ut alter Aristotelis in rebus sacris, et doctrina coelesti, auctoritatem cohiberet, ne, quod factum insolentius huc usque fuerat, iudicis uim

c) T. I Epist. p. X
d) p. XXXV

uim obtineret in definiendis rei ſacrae controuerſiis, alter uero ſua Ariſtoteli, quae perperam, Graecae linguae inſcitia, alio tranſtulerant barbari, redderet, diſciplinaſque uel ex ipſo etiam Ariſtotele uindicaret, et, in ordinem redactas, recte ex Ariſtotele interpretaretur. Quae quidem feliciter, et cum laude quidem ſua, primum inter Germanos praeſtitit Philippus. Huc fere conueniunt, quae ipſe eam in ſententiam ſcripſit, quum quidem, neminem Graecae linguae cognitione, inter Philoſophos, ſuperſedere poſſe, enunciat. *Res*, inquit, *loquitur ipſa, quantum interſit inter Ariſtotelis interpretes, Graece doctos, et illos ineptos, qui, cum res grauiſſimas, ab ipſis auctoribus traditas, explicare non poſſint, nouum quoddam doctrinae genus pepererunt, plenum prodigioſis ſomniis, quod nullum in uita, aut communibus negotiis, uſum habet e)*. Non obliti, quantum in inſtaurandis diſciplinis Philippo debeant non tam Germani, quam reliqui etiam Europae cultioris populi, gratias ei exſoluerunt, illi maxime, qui monumenti, quod Camerarius uitae eius addidit, auctores fuerunt, cum praedicant, fuiſſe OPT. DISCIPLINARVM ET ARTIVM CVM INSTAVRATOREM, TVM CONSERVATOREM, QVI OMNEM DOCTRINAM, QVASI VAGAM AC DISSIPATAM, COL-

e) T. I Decl. p. Iↄ XXXV

COLLEGIT, ET AD CERTAM RATIONEM REVOCAVIT.

CAPVT V

Byzantio denique per Thraces et Saracenos capto, quod Anno CIↃ CCCC LIII accidit, Graeci, patria pulſi, domicilio literis in Italia conſtituto, ab exilio literas humaniores reuocabant exules Chryſoloras, Theodorus Gaza, Theſſalonienſis, Gregor. Trapezuntius, Moſchopulus, Demetrius Chalcondylas, Argyropylus, Byzantinus, Gregorius Tifernas, Hieronymus Spartiata, et plures, rei literariae inſtrumentis ac ſubſidiis eodem una tranſlatis. Vt Martis uis, quae imperio Graecorum ruinam afferebat, fatali quodam exilio Graecorum, Graecas literas in Europam, maximo Romani imperii emolumento, afferret, barbariemque in ea profligaret. Excepiſſe Graecos exules primum Florentiam, Melanchthon memoriae prodidit, atque hinc urbi florentiſſimae, publico nomine, gratulatur famam, quam ſibi collegerit hoſpitio, quod liberale illis, patria profugis, praebuiſſet, literaſque, uelut e naufragio in portum, recepiſſet et conſeruaſſet, atque hinc praeclare de omnibus gentibus, ad quas propagatae ſunt literae, merita fuiſſet. *Maximum*, inquit ille, *beneficium paullo ante haec tempora in uniuerſam Europam, urbs*

FLO-

FLORENTIA contulit, cum primum Graecarum literarum professores, patria pulsos, iussit ad se diuerti, et non modo hospitio iuuit, sed etiam reddidit illis sua studia, postquam amplissimis stipendiis ad docendum inuitauit, in reliqua Italia professores artium, ex Graecia profugos, nemo aspiciebat, et una cum Graecia linguam, et literas Graecas amisissemus propemodum, ni Florentia doctissimos homines calamitate leuasset, quod absque Florentinis fuisset, futurum fuit, ut prorsus adolesceret Latina lingua, sic uitiata barbarie, conspurcataque, et Graecae linguae ne quidem ulla iam uestigia extarent, et occidissent una monumenta religionis nostrae, nec iam sacrorum librorum titulos, amissa Graeca lingua, quisquam intelligeret. Et uerbis, quae proxime sequuntur, subindicat, non ita liberaliter Romae habitas fuisse initio exulum musas, ut alias, quod Theodori Gazae exemplo conficit, qui Aristotelis et Theophrasti libros, in latinam linguam conuersos, Pontifici sumptuosius ornatos obtulit, quam praemium pro laboribus, quos in difficilimo opere collocauerat, accepit, cum nec utilitas quidem operis moueret Pontificem ad ampliorem mercedem, uberioremque gratiam remetiendam *f*). Itaque, Florentinorum beneficio, honestae artes reuiuiscere coeperunt, atque utilitas inde ad omnes Europae gentes deriuata est, excitatis ubique ad aemulationem laudis, et ingenuarum studia

f) **T. I Declam. p. CCCC XL seq.**

dia artium instauranda, uiris rei literariae tum cupidissimis, in reliquis etiam Italiae urbibus, ac Romae denique, ut pristinum literis, quas perdiderant penitus, nitorem et cultum reddere anniterentur. Stipendiis enim liberalibus conducti Graecas Latinasque literas ornabant *Ferrariae* quidem, qua urbe magis floruisse Philosophiam, et eloquentiae studia, quam in ceteris Italiae Academiis, in uita Rudolphi Agricolae legimus *g*), Theodorus Gaza *h*), Guarinus, Strozae, poetae, auspicio et munificentia Herculis, Ducis, *Lutetiae Parisiorum* Gregor. Tifernas, *i*) et qui huic succedebat, Hieronymus Spartiata, *Romae*

g) p. XLVI seq.

h) Extat Th. Gazae Εισαγογὴ γραμματτικὴ, libris IV ab eo confecta, quae primum Parisiis in 4 post saepius, et in Latinam linguam translata exiit. Quam ego quidem uidi, Basileae prodiit, An. cIↄ Iↄ XLV in forma octaui ordinis. Atque primus, quod quidem sciam, Gaza fuit, qui Grammaticam, inter exules illos emisit.

i) Greg. Tifernas inhumanus quodammodo uidebatur Parisiensibus, quod Senatui Academico uelluti imperare stipendium niteretur, cum quidem eum Graecae linguae doctorem nec desiderassent, neque etiam talem ante eum habuissent. Sed, cum iuris Pontificii constitutionem de linguarum studiis exponeret, in eaque nominatim Parisiensis fieri mentionem, probaret, probabat denique consilium senatus, stipendioque decreto, Graecam docere linguam permiserunt, id non facturi, nisi ad constitutionem pertinere, reposuisset Tifernas. Melanthon T. I Decl. p. Iↄ XXXII

mae Gregor. Trapezuntius et Argyropylus, alii alias literas ab inferis reuocabant, ac nominis celebritate exteros, ex remotissimis, et maxime dissitis, Europae regionibus, ad se inuitabant *k*). Trapezuntium ab Eugenio IV Pontif. R., Gymnasio praefectum, docuisse Rhetoricam et poeticen Trithemius tradit *l*).

CAPVT VI

Germani, ut antea in Gallias Italiamque, tanquam ad mercaturam bonarum artium, quae in patria rarae erant et tenues, excurrerant, ita nunc demum, fama Graecorum acciti, commeabant eodem cum primis Rudolphus Agricola, Rud. Langius et Io. Capnio, siue Reuchlinus: Ac *Rudolphus* quidem *Agricola*, in agro Groningensi, Basloniae quidem, anno CIↃ CCCC XLII uti Vossius *m*) testis est, natus, cum mediocre haberet patrimonium, bonarum artium studiis animum poliuit, ac Ferrariae tantos subito progressus fecit in literis, ut soluta oratione cum Gvarino, cum Strozis carmine, de Philosophia cum Theodoro Gaza certaret, totiusque Italiae oculos in se conuerteret, ac satisfaceret uenu-

k) u. Vita Rudolphi Agricolae et Io. Reichlini apud Pfluegerum p. XLVI seq. LIX seq.

l) de Script. Eccles. p. CCCLVI Vernsdorfius de Emend. relig. primord. p. XXXIV seq.

m) de Hist. Lat. L. III c. VI

uenustate actionis iuxta, ac uocis elegantia fastidiosius de Germanorum pronunciandi ratione iudicanti. Reuersus in Germaniam, mox accersitus in Heidelbergensem Academiam a Ioanne Dalburgio, Antistite Vangionum, Philippo Palatino, qui literas ipse amabat, aulamque musis ornatam habere praeoptabat, maximopere commendatus. Ea in Academia, maxima iuuenum frequentia, Graecas Latinasque literas docebat, atque omnium disciplinarum emensus campum, tenebras celeriter disiiciebat. Philippus in uita, quam emisit Pfluegerus, primum hunc *emendauisse genus sermonis, et Dialecticam, ac meliorem discendi rationem demonstrasse* asseuerat *n*). Philippo Palatino, in consilium adhibitus, eruditionem et diligentiam probabat, et, iussu eius, res Imperatorum atque regum ex temporum memoria repetebat, confecto de IV summis imperiis libello, in quo inclinationes et casus regnorum, horumque caussas diligentius obseruauit. Praestitit id ipsum Rudolphus, et epitomen Historiae uniuersae, ex auctoribus optimis, et fide dignissimis, primus inter Germanos adornauit, ciuilis prudentiae laudem hinc merito consecutus *o*).

CAPVT

n) l. c. p. XLIII

o) l. c. p. LIII Vitam Agricolae, et scripta, recenset Trithemius Catal. Vir. illustr. p. CLXV Ger. Io. Vossius laudes eius breuiter ita est complexus, *Vir fuit latine, Graece et Hebraice doctissimus*,

CAPVT VII

R*ud. Langius*, nobili genere in Veſtphalis natus, *Canonicus* Monaſterienſis primis literis Dauentriae formatus, a patruo Hermanno, eccleſiae Monaſt. *Decano*, in Italiam, cum reuiuiſcerent ibi elegantiora ſtudia, miſſus, ſtudioſe Laurentium Vallam, Mapheum Vegium, Franciſcum Philelphum, et Theod. Gazam audiuit, atque in ſoluta et ligata oratione, eleganter formanda, ſe exercuit, ac ſtudiorum ſocios, Mauritium, Comitem Spiegelbergicum, et Rudolphum Agricolam habuit, ut teſtis locuplis eſt Dan. Chytraeus *p*). Reuerſus in patriam, animum ad emendandas ſcholarum, quae barbarie collapſae erant, diſciplinas mature adiecit. opem ferebat Alexander Hegius, Dauentrienſis ſcholae rector, cuius induſtria politiores Literae cummaxime florebant. Reſiſtebant autem conatui Langii laudabili barbariae patroni. Ipſa etiam Academia Colonienſis, quae datis ad Conradum Ritbergenſem, antiſtitem, literis, uſitatam tot ſeculis inſtituendae adoleſcentiae rationem, ac libros in ſcholis conſeruari, ſtolide rogabant, per cauſam mutationis, quae noua eſſet, periculum ſtudiis

Rr ac

Philoſophus ſummus, atque idem admodum diſertus, imo et Muſicae, picturae, aliarumque artium ſtudioſiſſimus. L. III de Hiſt. Lat. c. VI

p) Saxon. L. III p. LXXXIX

ac disciplinis allaturae. Sed Italorum iudicio doctorum, quod praeferebat Antistites, eruditionis renouandae cupidissimus ipse, adiutus Langius causam suam defendit, et obtinuit, facultatem aperiendae nouae scholae nactus. Ei scholae Timannus Camenerus, cum quidem, per aetatem, Al. Hegius eo demigrare recusasset, praefectus, ex instituto R. Langii, qui et bibliothecae suae copiam omnibus fecit, scholam emendauit iuxta ac ornauit *q*).

CAPVT VIII

I*oannes Reuchlinus*, siue, ut, Graece appellari, uoluit Hermolaus Barbarus, *Capnio*, oppido, quod Nemetum dioecesi finitimum est, Phorcae quam portam Harcyniae *r*) dicunt alii, natus, initio in aulam Badensem accitus, propter musicae cognitionem pueris symphoniacis iunctus, industriam discendo demonstrauit, adeo, ut paullo post cum adolescente Badensi Lutetiam dimitteretur. Ea in Academia literae Graecae per Greg. Tifernatem, ut paullo ante diximus, instauratae, per Hieronymum Spartiatam tum excolebantur acrius, quem Capnio audiuit sedulo, ita, ut, inde reuersus, Basileae anno aetatis vicesimo, non sine applausu, Latinam et

q) Chytraeus l. c. p. XC seq.

r) Ioach. Camerarius in uita Philippi, p. *IX* seq.

et Graecam linguam publice doceret, librosque Graecos, quos Nicolaus Cusanus tempore Concilii, quod solenne apud Basileenses erat, eo detulerat, assidue legeret, redderetque sibi familiares. Familiaritate, quam Lutetiae cum doctissimo VVesselo contraxerat, retinebat sibi hunc senem, et de rebus, quae tum in religione, et eruditione uicissitudines complectebantur, diligentius disserebat. Ab eodem VVesselo Parisiis Hebraeam linguam didicerat, eiusque rectius excolendae occasio Capnioni commode subministrabatur. Etenim ex Academia Gallorum Aurelianensi, ad quam iurisprudentiae causa excurrrerat, ubi in Germaniam rediit, erant, qui Capnionem Eberhardo, Duci Vürtenbergico, Romam profecturo, commendarent, ut itineris comitem deligeret, propterea, quod exteras gentes nationesque iam tum cognouisset ille, ac pronunciationis elegantia et commendatione, quod etiam ita euenit, alios longissime superaret. Eo itinere cum industriam probauisset Principi, mox in aulam Friderici III imp., missus est, in eaque, opera Iacobi Iehiel Lonas, Iudaei, qui inter medicos imperatoris exsplendescebat, Ebraeae linguae notitiam copiosiorem sibi comparauit, eiusque commendatione, pro munere, quod *oratoribus* (ita enim legati aeuo medio uocabantur) offerri consueuit, codicem Ebraeum, eleganter descri-

ptum, qui *Mosis* et *Prophetarum* libros continebat, et trecentis aureis constabat, maximo Imperatoris ipsius gaudio, impetrauit. Eodem tempore in aula imperatoris cum esset Principis sui legatus, contigit, ut haberet in manibus *Noui Testamenti* librum pulcherrime Graece scriptum. Quem cum uideret Venetorum, qui tum aderant, et frequenter cum Capnione erant, legatus aliquis, non plane rudem Graeci sermonis Capnionem, intelligens, ad collegas conuersus, *Videte, quaeso*, ait, *in Germania hunc uirum propter cognitionem literarum in admiratione esse, quas nostri tam pertinaciter contemnunt.* Atque non nihil laudis intulisse in Italiam Capnionem, cum peregrinarum literarum studia ibi nondum satis florerent, simul memoria prodidit in *Encomio Sueuorum* Philippus *f*). Vicissitudinibus, quae aulam Vürtenbergicam, uita functo Eberardo, afflixerunt, expositus ipse, et a monacho quodam Augustiniano, qui in ea aliquandiu rem suam curabat, uexatus, demigrauit in aulam Palatini, exiliique miseriam leuabat consuetudine doctissimorum, quos cognouerat Lutetiae Parisiorum, uirorum, Dalburgii, Plinii, Rudolphi Agricolae, Vigilii, aliorumque. Supra commemorauimus, Agricolam, Palatini uoluntate, composuisse Epitomen Historiarum, eadem cum de Capnione nunc commemorent iidem,

uenit

f) p. IↃCCXI T. I Decl.

uenit in mentem ſuſpicari, utrumque in ea conficienda operam coniunxiſſe. Scripſit etiam comoediam *t*), *Capitis caput*, qua mores monachi, quem in aula Vürtenbergica habuiſſe aduerſarium, accepimus, perſtrinxit acriter, quam tamen, conſilio Io. Dalburgii *u*), ſuppreſſit. Interim, cum doctrinam ac uirtutem probauiſſet omnibus, legationi, quae, de matrimonio inter Rupertum, et filiam Ducis Baioariae ineundo, Romam Anno CIↃ CCCC XCVIII inſtituenda erat, omnium maxime aptus iudicabatur. Romae cum anno diutius uerſaretur, tempus omne, quod ad requiem concedebatur, linguae Ebraeae, ad quam naturae quadam bonitate ferebatur, impendebat, magiſtro Abdia, iudaeo, linguae eius peritiſſimo, ſoluto pro ſingulis horis aureo nummo, uſus. Ipſe teſtatur, humaniter quidem in Ebraicis, at non ſine magno

Rr 3 mer-

t) Vtramque, quam edidit comoediam, inaudito tum in Germanis exemplo, inſcripſiſſe *Hennonem* et *Sergium*, atque, illam tamen Heidelbergae ſpectandam publice exhibuiſſe, teſtis Dav. Chytraeus eſt Saxon. L. III p. XCI Vtramque Georg. Simlerus et Iac. Spiegelius, Vimphelingi, ex ſorore, nepos, notis ornatas ediderunt.

u) Trithemius, de Viris illuſt. p. CLXXI Hebraice, Chaldaice, Graece Latineque doctiſſimum fuiſſe, aſſeuerat, oratoremque et poetam elegantiſſimum, uocat, in eiuſque monumentis, praeter cetera, quae confeciſſet, praecipua laude dignum, praedicat carmen, quod *genere Sapphico*, de morte Rudolphi Agricolae, praeceptoris ſui edidiſſet. idemque de Script. eccleſ. p. CCCLXXXIX

mercedis impendio eruditum Graecas literas Romae Argyropylus interpretabatur, in cuius auditorium ingressus Capnio, magno summorum auditorum consessu, Argyropylum humanissime compellans, sibi audiendi potestatem fieri, petiit, interrogatusque, an Graecas literas attigisset, se Basileae, respondit, didicisse linguae elementa, mox propositam e Thucydide, quem forte Argyropylus enarrabat, sententiam et suauiter pronunciabat, (erat enim perstudiosus, ut Melanthon testatur, rectae pronunciationis) et celeriter interpretabatur, ut admiraretur Argyropylus, et, conuersus ad auditores, non sine gemitu exclamaret, *Ecce, Graecia nostro exilio transuolauit Alpes!* x) Quanto autem labore Basileae, Parisiis, Romae, Florentiae, Mediolanique, Graecam linguam didicerit, ipse refert y). Inde ut in Germaniam rediit, reuo-

x) Phil. Melanchthon T. I Declam. p. IↃXXXIX Pflugerus p. LXV Burcardus de Fatis Latinae linguae, c IV p. CLIV

y) Ita enim ad fratrem suum, *Sicut*, inquit, *non apud Ionas, neque ulla in Graecia, sed Basileae, primum ab Andronico Contoblaca. Deinde Parisii a Georgio Hermonymo Spartiate, post Romae ab Argyropylo, Byzantio, publice in Vaticano Thucydidem legente Xysto IV Pontif., ad extremum Florentiae, Mediolaniique, a Demetrio Chalcondyle, Graecorum linguam frustillatim, et quasi micas, de mensa Domini cadentes, accepi, connumerarem illis Hermolaum Barbarum, Innocentio VIII insignem, et mei amantissimum, nisi plus ex eo Romae Latinitatis, quam Graecitatis, habuissem. Ita Hebrai-*

euocatus in patriam, cum in aula Würtenbergica interea, restituto per imperatorem Vlrico, adolescente, quieta essent omnia, et monachus ille insulsus diffugisset, studiis obsequendi suis tempus sumpsit, et excolendae linguae Ebraeae penitus se dedit, primusque omnium Latino sermone *Grammaticam Ebraeam* magna perspicuitate elaborauit. Addidit et ὀνομαστικὸν, siue uocum dictionumque indicem, quo sibi animos eruditorum maximopere deuinxit, cum *Lexico Latino*, quod *Breuiloqui* titulo in uulgus ediderat, eos iam tum sibi deuinxisset z).

CAPVT IX

Vno tempore efflorescebant in Germania literae, et nitorem pristinum recuperabant, in eoque recuperando non mediocris erat laus et gloria Vestphalorum, qui, ut religionis, in Germaniae illa parte instaurandae, primi auctores, ita rei literariae, et fouendae, et liberalius amplificandae primi, uel inter primos certe praecipui, et facile principes, erant auctores. Quam gloriam eis

 defert

cam ego quoque ac sanctam linguam non Hierosolymis, neque in publicis Synagogis, sed a literatissimis Hebraeis, penes Cecios quidem, Iacobo Iebiel Ioans, in Latio autem Abdia Cesinate, atque alias, a singulis singula expiscatus sum. V. Burcardus d. l. p. C XLV

z) p. LXVII apud Pfluegerum, Burcardus c. IV p. CLI

defert Dauides Chytraeus, et, quantum Vestphalis Germania omnis in acceptis referat, diligentius expendit. *Praecipua*, inquit, *Vestphalis laus, in elegantiorum literarum, et linguarum studiis, primum in Germania excitandis, et propagandis, et Latina oratione, soluta et ligata, purius et nitidius elaboranda, merito a nobis tribuitur a).* *Negari*, iterum testatur, *non potest, hominibus Vestphalis, et eorum discipulis, primam in elegantiorum literarum, et linguarum, studiis, in Germania excitandis et propagandis, laudem deberi.* Enimuero, ut locuples ille nobis testis est, florebant doctrina, meritis, et fama, qui ex scholis Alexandri Hegii, Vestphali itidem, et in dioecesi Monasteriensi nati, qui Dauentriensem scholam, tum omnium celeberrimam, per triginta annos illustrauit uirtute et meritis, prodibant Erasmus Roterodamus, Ioan. Murmelius, Hermannus Buschius, Timannus Camenerus, Hermannus Torrentinus, Io. Caesarius, Conr. Coclenius (forte Goclenius) Iac. Montanus, Io. Peringius, Gerardus Listrius, Matthaeus Frissemius, aliique. In superiore Germania Selestadii humaniores literas restituebat paulatim Ludouicus Dringebergius, Vestphalus, ex cuius disciplina Germania accepit uiros, eruditione praeclaros, Iac. Wimphelingium, Io. Capnionem, Io. Cunr. Dalburgium, Georg.

a) in Sax. L. III p. LXXXV et p. XCI

rg. Simlerum, Conr. Celten, Beatum Rhenanum, Io. Sapidum, et complures *b*).

CAPVT X

Igitur Rudolpho Agricolae, Io. Capnioni, Rudolpho Langio, Alexandro Hegio, Ludou. Dringebergio, quicquid in literis elegantioribus didicerant, debere ſe, non negabant Germani, qui eo ſtudioſius de amplificandis illis, conſeruandiſque cogitabant; quo certius inter eos conſtabat, quanto labore et ſumptibus, quanto quin immo uitae periculo, eas in Germaniam ex peregrinis locis regionibuſque plerique intuliſſent, atque contra inſultus aduerſariorum defendiſſent. Ex diſciplina illorum magno certè numero prodibant diſcipuli, qui in finitimas Germaniae terras dimiſſi, propagabant eas, et incredibili ſtudio atque amore ornabant, ut monachorum barbaria et ignòrantia magno impetu profligaretur, regeſque ac Principes muſas praeſidio, quo poterant, maximo tegerent, atque in aulis comiter liberaliterque conſeruarent, cum ſero ſatis animaduerterent, ſe, literatorum incolumitate, incolumes fore ipſos, ſibique et ſuis melius conſulere poſſe, quam quidem, maximo incommodo, periculum per tot ſecula maiores feciſſent, Antiſtitum conſiliis, et monachorum inſidiis, expoſiti et circumuenti. Quo

 pacto

b) Chytraeus Saxon. p. LXXXV XC

pacto Germania, e seruitute ueluti in libertatem uindicata, ac diuinitus liberata, tot ingeniorum clarissimorum gloria contendebat cum exteris, eisque inuidis et palmam dubiam reddebat, dum nulla fere in pronuncia, tanta animi industriaeque contentione, literae excolerentur, clariusque explendescerent, quam gentes externae aequo animo ferre possent. Non uacat nunc exquirere plura, et enumerare exempla, in quibus industrie diligenterque colligendis meae eruditorumque expectationi, exquisita laude, satis fecit Iacobus Burcardus de Latinae Linguae in Germania, per XVII secula, fatis commentario eleganti, capite sigillatim quarto, quo quidem, allatis ex optimis, et, qui aetati illi uel aequales, uel suppares fuerunt, scriptoribus ipsis, per quos restituta est eruditio, testimoniis, literarum instaurationem descripsit, et, quid Germani Georgio Purbachio, Io. Regiomontano, Rud. Agricolae, Io. Capnioni, Rudolpho Langio, Alexandro Hegio, Ludouico Dringebergio, et numero plurimis, debeant, pluribus demonstrauit. Non possum transire laudem, quam tribuit Melanthon *Ioanni a Regio monte*, quando, eum uniuersae philosophiae disciplinas in Francia restituisse, enunciat, et, magnas ei Francos gratias, uel ideo, debere, profitetur c). *Quis uestrum*

c) in Encomio Sueuorum, p. IↃ C XCVIII T. I Decl. itemque pluribus in Encomio Franciae.

strum non amat nomen Regiomontani? quis non neratur eum ut numen aliquod diuinitus in terim missum, ad instaurandam ueram Philosophiam e motibus coelestibus? Nullius enim industria plus raestitit in eo genere doctrinae restituendo, quam Regiomontani, qui, cum ingenio et eruditione in Mathematicis excelleret, uideretque, sine cognitione Graecarum literarum praestantissimos scriptores Mathematum non posse intelligi, dedidit se Graecae linguae, ac secutus Bessarionem, Graecum, Cardi..alem, in Italiam, magna cum laude ibi et docuit suam philosophiam, et homines Graece doctos uicissim audiuit, lustrauit bibliothecas, inquisiuit optimos auctores, ut Ptolemaeo, quem illustrare cupiebat, situm et squalorem detergeret. Itaque magna uarietate monumentorum nos instruxit, enarrauit auctores ueteres, difficiles artis quaestiones agitauit, edidit tabulas, ut posteritas retinere artis possessionem posset d). In re mathematica doctorem habuit Georg. Purbachium, qui nominis celebritatem apud exteros e[?]t consecutus, Italosque et Gallos, ut prosequerentur amore, traxit, et tenuit, uti refert Io. Trithemius *e)*.

CAPVT XI

Eodem cum eruditione omni tempore *Musicae* existimatio ut exterorum, ita Germano-

d) p. I) CC XXXIII seq.
e) de script. Eccl. p. GCCLXXII

manorum, animos cepit, ut maiori, quam unquam, ſtudio et cupiditate excolerent, maioreſque, qui eam fere ignorabant, quam longiſſime ſuperarent. Atque hoc magis, quo rariora ſunt de Germanorum in muſica addiſcenda ueterum ſcriptorum teſtimonia, contendere mihi poſſe uideor, noſtrates, hoc maxime ſeculo, operam in ea excolenda non ſane contemnendam poſuiſſe. Rudolphi Agricolae in ea arte, quos fecerat, progreſſus ſuſpiciebant rigidi muſices cenſores ipſi, Itali, eumque, ſcienter et commode cithara in conuiuiis eruditorum, ludentem, non ſine delectatione animi audiebant. Quin et ipſe carmina compoſuit, et ingenioſe elaborauit, non leuiora eſſe haec ſtudia, ratus, quae Graeci olim colebant, et in ſummo honore, in his etiam excellere, putabant. Neque tam expers erat rerum omnium, quin perſpiceret, muſicen iuuare poetarum artem, quin ab ipſis poetis originem trahere, qui, muſicen cum diuinarum quoque rerum cognitione coniunctam, ſtatuebant, heroumque, et Deorum laudes carmine celebrabant *f*). Non dubitat fere ſumme reu. Vernſdorfius inter omina emendandae religionis referre cultiorem muſices in Germaniam inuectae uſum, quando ita ſcribit, *Nullus, uel rarus, ante ſeculum XVI figuralis, quam uocant, muſicae uſus his regionibus fuit, ſed tantum Choralis, ſiue Gre-*

f) Pomp. Sabinus ad I Aen. Virg.

Gregoriani cantus, tametsi in aulis regum, et Principum aliquanto ante usurpari coepit, ex Italia primum, uel ex Anglia, ut quidam arbitrantur, et inde in Belgium, allatus. Nam Maximilianus I imp., praestantissimum et celeberrimum sui temporis Musicum Iosquinum de Pres, *cuius uariae cantiones, sacrae in primis, exquisita arte, et uetusta grauitate compositae extant, in aula sua fouit, gratiaque complexus fuit. Cuius discipuli,* Isaac, Adrianus, VVillard, Verdelock, Lud. Senflius, Nic. Gombertus, *aliique, artem magis magisque perpoliuerunt. Ita paulatim eadem canendi ratio in urbes maiores, et templa inuecta est, sigillatimque Luneburgi Musicam figuralem primus et docuit, et in templum D. Ioannis An. cIↄ-Iↄ XVI adeoque unico, ante repurgationem sacrorum, anno introduxit Ioannes Heine, auunculus L. Lossii, quo de uid. L. Bacmeisteri laudatio funebris L. Lossii g).*

CAPVT XII

Viam amplificandae eruditionis mox aperuit *ars imprimendi libros*, quam *Typographiam* uocant, diuinitus, ut uno ueluti impetu in tota Europa barbaries prosterneretur, hoc ipso seculo in Germania inuenta, de cuius natali anno, et solo, tot fere urbes hodieque, quot de patria olim Homeri, pugnant inter se et contendunt. Alii enim pri-

g) l. c. p. XXVI

primordia eius artis ad annum feculi XX alii ad XXVIII alii ad XL alii ad XLIV alii ad L alii ad LXV itemque LXVI referunt. Cl. Burcardus Gothelf Struuius, ut auctoritatem Trithemii omnibus praefert, ita neque hic penitus ab ipso dissentit, sed annum, quo inuenta fuerit, L *b*), credit, et coeptam quidem anno XL sed perfectam anno L putat, consensu chronici Coloniensis antiqui, ex quo uerba adduxit, commotus. Matthias Berneggerus, plurimorum, attamen aetate recentiorum, auctoritate et suffragio nixus, ad annum XL reiecit *i*). Locum, quo primum inuenta sit, inuidi Germanorum aemuli commentis obscurare nituntur. *Disceptant inter se*, inquit Cl. Struuius, *de eadem Orientales*, *atque*

b) Trithemius in Chronico Sponheimensi ad annum L numerat p. CCCLXVI Affert idem, mutatis tamen, et copiosioribus quidem uerbis, testimonium ex eiusdem Chron. Hirsaug. Struuius in Introd. ad notitiam rei liter. c. V §. VI in utroque autem exemplo, et, quod Basileae per Guilielmum Radensem primum exiit, et, quod operibus Marquardus Freherus inseruit, substitit Trithemius in Anno cIↄ CCCLXX ut ipse, incertus, ad extremum Chronici illius, moneat Freherus, sibi persuasum esse, uel mutasse consilium Trithemium, et conatu scribendi destitisse, uel nonnulla intercidisse. Verba illa, ab Struuio, ad An. cIↄ CCCC L ex Chronico Hirsaugiensi allata, ex alia iterata editione, quam uidere nondum licuit, coniicio. Subobscure de hac Reimannus Intr. in Hist. Lit. L. II Sect. III p. CCVI

i) Exegef. Hist. Polit. §. IV

atque Europaei, inter hos Belgae, atque Germani, inter hos denique Moguntini atque Argentoratenses k). Nonnulli ab *Scythis*, nonnulli ab *Sinensibus*, maiori opera, et difficiliori labore, quam fide, repetunt, alii ab *Gallis*, Galli, quod familiae, non nationis, esse nomen, sapienter monet Vernsdorfius *l*), nomine inducti, mutuantur, quorum auctoritates, quibus pugnant, exploserunt Viri clarissimi, ab doctissimo Struuio, qui toto Capite V eius libri, quem laudaui, de arte *typographica*, data opera, egit, recitati, quos reuocare iterum et enumerare longum nimis foret. Acriore animorum contentione de natali eius solo disputant Bataui atque Germani. Pro Harlemensibus pugnant complures, quos Bernardus Mallincrotus de orig. artis typograph. attulit, repetiitque Struuius, in eis Hadrianus Iunius, Theod. Schreuelius, Laurentium Io. Sacristeyn, siue Kusterum, referunt, *in suburbano nemore spatiatum, coepisse faginos cortices principio in literarum typos conformare, quibus, inuersa ratione, sigillatim chartae impressis, uersiculum unum atque alterum animi gratia duxisset, nepotibus Generi sui liberis exemplum futurum. Quod ubi feliciter successerat, coepisse animo altiora agitare, primumque omnium atramenti scriptorii genus glutinosius tenaciusque, quod uulgare lituras trahere experiretur, cum Genero suo, Thoma*

k) l. c. §. II
l) de primord. emend. Relig. th. V §. III p. XXXIII

Thoma Petro, excogitasse, inde pinaces totas figuratas, additis characteribus expressisse. et paullo post, *In primis operibus impressis, id obseruatum erat inter primae artis incunabula, uti paginae auersae glutine commissae cobaerescerent, ne illae ipsae uacuae deformitatem afferrent, postea uaginas formas plumbeis mutauit, has deinceps stanneas fecit, quo solidior, minusque flexilis esset materia durabiliorque m).* Ex quibus uideas, utrumque Iunium pariter, ac Schreuelium, uelle, per Laurentium suum formas, ac literas ex metallo confectas, sed, quia necdum Belgae librum proferre potuerint, qui aliis, quam ligneis tabulis excusus fuisset, artis expolitae causas deberi Germanis post alios, Struuius docet. Ingenue magis candideque Marcus Zuerius Boxhornius, ipse Belga, pro controuersia, facilius componenda, putat, statuendum, *ligneos quidem typos a Laurentio Harlemensi primum inuentos, typos uero stanneos, aereos, et plumbeos, ad horum exemplar efformatos esse a Io. Fausto, ciue Moguntino n).* Ex Belgio per Io. Faustum primum Amstelodamum, inde Augustam Vbiorum, denique Moguntiam recte ne, an secus, illi pronunciant, deductam produnt *o*).

CAPVT

m) Repetit haec Berneggerus dicto loco.
n) Struu. §. V pag. CCIX
o) Struuius l. c. §. IV Berneggerus l. c.

CAPVT XIII

Non minore controuersia decertant inter se, de primordiis typographiae, Argentoratenses et Moguntini. *Moguntinis* plerique originem et auspicium tribuunt, iidemque aetate antiquiores historici, in quibus testem primum nomino auctorem, qui, ad Chronicon Conradi Botonis, quod *picturatum* ex more seculi illius uocatur, Brunsuicense in fine ita adiecit, *Dusse Kronecke uon Keysern unde anderen Forsten, unde Steden der Sassen mit ören vvapen besst geprent PETER SCHOFFER uan Gerupheim, in der edelen Stadt MENTZ, DIE EIN ANFANG IS DER PRENTERET. In deme Iare na Christi gebort, dusent uierhundert, LXXXXII uppe den sesten dach der Mertzen.* Desiit uero Botho CIↃ CCCC LXXXIX *p)*. Alterum, quem et antiquissimum eius sententiae testem laudat Struuius, habeo Trithemium, qui in Chronico Sponheimensi ad an. CIↃ CCCC L *His quoque*, scribit, *temporibus* Ars imprimendi et characterizandi libros *a nouo reperta est in ciuitate* Moguntina, *per quendam ciuem, qui* Ioannes Guttenberg *dicebatur, qui cum omnem substantiam propter nimiam difficultatem inuentionis nouae in eam perficiendam exposuisset, consilio et auxilio bonorum uirorum, Io-*

Sf *annis*

p) pag. CCCCXXIII T. III Script. Brunsuic. conf. Leibnitius in Introd. ad hunc Tomum, p. X

annis Fust, et aliorum adiutus, rem inceptam perfecit. Primus autem huius artis dilator fuit post ipsum inuentorem Petrus Opilionis de Gernſheim, qui multa uolumina ſuo tempore impreſſit. Morabatur autem praefectus, Ioannes Guttenberg, Moguntiae in domo, dicta zum Iungen, quae domus uſque in praeſentem diem illius nouae artis nomine dignoſcitur inſignita q). Copioſius haec repetit Cl. Struuius r) ex Chronico, ut obſeruauit, Hirſaugienſi, quibus Trithemius memorat, ſe ex Petro Opilione ipſo, Io. Fauſtii genero, audiuiſſe, magnos Guttenbergium ſumptus in ea arte excogitanda collocaſſe. *Impreſſuri namque*, inquit, *Bibliam, priuſquam tertium compleſſent in opere quaternionem, plus, quam quatuor millia florenorum, expoſuerunt.* Ceterum ex uerbis illis cognoſcas, iiſdem fere circumſtantiis, originem inueniendi, quam de Harlemenſi auctore primo ſupra accepimus, deſcribi. Trithemii teſtimonium eo maiorem fidem meretur, quod, ex Petri Schaeferi, quem Opilionem nominat, ore ſe cognouiſſe, diſerte et palam aſſeuerat.

CAPVT XIV

Argentoratenſes contra non Guttenbergium quidem, ciuem licet ſuum, ſed Io. Mentelinum, auctorem primum, credunt, aucto-

q) p. CCC LXVI
r) l. c. §. VI

auctorem primum, credunt, auctoritate incerti cuiusdam historici, itemque Daniel. Speclini, utriusque tamen recentioris, inducti *f*). Quam sententiam, post complures alios, tuetur Iacobus Spiegelius, ICtus literatissimus, ad L. IX Austriados *t*), et, Anno CIↃ CCCC XLIV inuentam, opinatur, cum contra ea duo illi annalium auctores, annum XL putent. Atque iidem illi fingunt, Io. Guttenbergium et Io. Gensefleischium Mentelio artem, nescio, quibus artibus, surripuisse. Sed uel ex eo etiam colligit Struuius, non adeo firmam esse sententiam, quia ne uerbo quidem Gensefleischii mentio a Trithemio facta uideatur. Alii, cum Tenzelio, per Gensefleischium intelligi Faustum, arbitrantur. Tum, *horum*, inquit Struuius, *Chronicorum auctoritas non sufficit, licet enim in Archiuo Argentoratensi conseruetur, ex eo tamen uim non habent authenticam.* Nolo huc afferre reliqua, quibus, maxime ex Iac. VVimphelingo, qui Argentoratensibus uindicat, demonstrat, omisso Mentelio, originem Io. Guttenbergio fuisse uindicatam. Addo, quod Matthias Berneggerus repetit quidem, Hieronymum Gebvvilerium et Iac. Spiegelium Io. Mentelio tribuere, sed tamen, tanta scriptorum, inter se pugnantium, diuersitate, nihil ipse definit, sed, pro conciliandis pu-

f) V. Struuius l. c. §. XIII

t) p. IↃCXLIX T. Reuber.

gnantium auctorum sententiis, dicendum, arbitratur, *Alios Typographiam primo inuenisse, alios primis inuentoribus collegas fuisse, alios artem diu occultatam primo euulgasse, alios primo exercuisse, alios primo libros uendidisse, et horum quosuis illius artis auctores existimatos esse.* Tanta difficultate impedita est, de inuenta arte illa, controuersia, ut suae quisque patriae studiosus, alteri detrahat, conquisitisque causis, quae speciem habent, laudem suis operose uindicet, exteri denique, ad Germanos, qui in turbido laborant, pertinere, audacter negent.

CAPVT XV

Sed, suam Harlemensibus, uidetur, relinquendam esse laudem, apud quos Laur. Kusterus suspicari, et effingere, rudiori tamen arte coepisse, existimari potest. Maior tamen Germanis illis laus tribuenda est, apud quos alia plane ratione Io. Guttenbergius, Argentoratensis natione, primum uel, in patria urbe, uel, quod magis est credibile, Moguntiae, in quam ciuitatem demigrauerat, accito in laboris, quin immo sumptuum, societatem Io. Faustio, perfecit, meliorem uero imprimendi rationem, literis ex aere fusis, excogitauit Petrus Schefferus, Fausti gener. Ac, quae de Germanis illis diximus, propius cum Io. Trithemii testimonio conueni-

uenire uidentur *u*). Quo pacto, nec defuisse apud Harlemenses, licet liberaliter concedamus, qui in ea excogitanda laborauissent quodammodo, tamen Moguntinis perpetua est gloria, cultiorem ab eis elegantioremque redditam fuisse *x*). Berneggerus, quanquam, *de diuersorum auctorum diuersissimis placitis, quid pronunciandum sit, non ita facile liquere*, fateatur ipse, tamen, VVimphelingum atque Dresserum totam composuisse controuersiam uideri addit, *Asserentes, esse artem hanc inuentam Argentinae, auctorem uero inde profectum Moguntiam, ibidem eandem feliciter compleuisse et excoluisse. Interea tamen temporis alium, qui forsan priori, adhuc Argentinae commoranti, sua praesto fuit opera, Argentinae id opificii genus inceptasse, multaque uolumina castigate ac polite impressisse y*).

CAPVT XVI

Sed ad studia humanitatis reuertamur, ut, quae conditio fuerit et fortuna literatorum, eorumque ingenii monumentorum, paucis dispiciamus. Nolumus tamen hic laudare eorum *eloquentiam*, qui multo sunt illis, quos supra laudauimus eloquentiae stato-

 res,

u) u. Struuius §. VIII p. CCXVI

x) Nic. Serarius rerum Mogunt. L. I c. XXXVII ubi pluribus uindicat suis laudem illam.

y) l. c. confer cl. Iac. Frid. Reimannus, qui, praeeunte Struuio, rem ordine enarrauit omnem Introd. in Hist. lit. Germ. L. II Sect. III p. CCIV seq.

res, ac uindices, inferiores laude. Poetas tantummodo quosdam attingere non alienum erit, qui non tam carmina, quam carmine historias scribere sunt aggressi. Nam laudare eos, qui a uiris industriis quidem laudati sunt, attamen ad elegantiae laudem non accedunt scribendi forma, neque res singulares persecuti sunt, eis merito relinquimus, qui simili industriae, attamen non ingenii, gloria excelluisse, putantur. Quales sunt *Thomas Schulzius*, qui *de monacho et monacha, propter lasciua oscula in saxum conuersis*, *carmen* scripsit *z*), *Frider. Cloegerus de Albaxia*, et *Adamus Sproelingius de Forstenau*, qui sententias, seu, ut uocant, *Symbola* Abbatum Corbeiensium uersibus breuiter, et non ineleganter, sub auspicium huius seculi sunt complexi *a*). Maiori laude ornandum, putat Trithemius, *Petrum Bolandum*, Lauenburgensem, cuius carmen *sapphicum*, de Friderico III imp., itemque de morte Rudolphi Agricolae, et plura, commendat *b*). Commemorat ex Trithemio *Henricum de Geilenhusen* Vossius, monachum S. Martini apud Sponheimenses, qui uitam D. Benedicti carmine cecinit, rebus hu-

z) in Chronico Monast. S. Petri, apud Paulinium, p. CCCXV

a) u. Paulin. Chron. Virg. Ottberg. p. CC XXXII seq. CCXXXVIII sq.

b) de Script. Ill. p. CLXXII

humanis an. CIↃCCCC LXXXVIII ereptus *c*). Non possum, quin ueluti in transcursu commemorem hic, hoc demum seculo, poeticen, ab scoriis et sordibus, quibus per tot secula inquinata fuit, at quo auctore, alii pronunciant aliter, nec ego definire quicquam ausim, repurgatam. Sunt, qui Rudolpho Langio id tribuant laudis, cui nec ego detractum quicquam uelim. Sed uideo tamen, sub initium seculi huius, alios, iam tum, sigillatim, quod ad carminum istud genus pertinet, quod rhythmis crepabat, aspernari consuesse, quod, si plures desint, Cloegerus certe et Sproelingius fecisse uidentur, quos uero sub auspicium seculi huius id praestitisse, inde colligo, quia Henricus Suartius, qui anno CIↃCCCC XXIII scribere desiit, id de illis retulit *d*).

II

Exploratum illud est, et, clarissimorum confessione scriptorum, expeditum, Rudolphum Langium ante Conr. Celten poeticen excoluisse, atque sua perfecisse industria, ut cultior nitidiorque redderetur. Langio eam laudem iam tribuisse Rud. Agricolam, ex Hermanno Hammelmanno, qui de doctis Vestphalis, Orationem perelegantem emisit, plu-

 ribus

c) Trithemius de Viris illustr. p. CLXVI Vossius de Hist. Lat. L. III c. VI p. IↃLXXI

d) Chron. Virg. Ottberg. l. c.

ribus repetit Cl. Burcardus *e)*. Post R. Agricolam Dau. Chytraeus, ipsius Agricolae tum et Hegii iudicio, primum Germaniae poetam uocat. *Primus Germaniae poeta*, scribit ille quidem historicus, *ipsius Rodolphi Agricolae iudicio, auorum aetate, aliquot ante Conradum Celten annis celebris, hic Rodolphus Langius fuit, editis de Excidio Hierosolymae postremo, de Obsidione Nouesii, de Paulo Apostolo, de Maria Virgine, poematis, clarus f)*. Poeticen in Germania excitasse primum Conradum Celten, auctor est Philippus Melanchthon in Encomio Franciae *g)*. Vtrique sua debetur gloria, et in societatem laudis merito uenit Conradus Celtes, poetarum, quos Germania, auspicio eruditionis restitutae, tulit, clarissimus, cuius de patria non conueniunt Scriptores. Henr. tamen Leon. Schurzfleischius, ipsius testimonio Celtae, Celten an. CIϽ CCCC LIX haud longe ab urbe Francorum Herbipoli natum, contra Io. Trithemium *h)*, Paulum Freherum,

e) l. c. c. IV p. CXXIX seq. itemque Reimannus Introd. L. II sect. III p. CCCC XV

f) L. III Saxoniae, p. XC Quae uerba Melch. Adami in Vitis Philosoph. Germanorum p. X repetisse uidetur, ex quo, non auctore primo Chytraeo, mutuatus est Cl. Reimannus l. c. p. CCCC-XV

g) p. IϽ CC XXXV

h) Trithemius *ex Sueinfordia natum*, Catal. uir. ill. p. C LXXIV et, ut Schurzfleischius repetit ex Tomo II Annal. Hirsaug. p. IϽ C XXXVI ex proximo Sueuofurto, urbi, pago Vupfeld, oriun-

rum, Gerardum Io. Voſſium, et Andr. Chriſtianum Eſchenbachium, qui natalem locum Sueuofurto, oppido, quod quinque milliaribus ab Herbipoli diſtat, aſcripſerunt, demonſtrat. Nam Herbipolin, Francorum metropolin uocat, et, inde ſibi eſſe originem, diſerte ſcribit Celtes *i)*. Idem tradunt auctores ſodalitatis literariae Rhenanae in eius uita. Vehementius errauerunt Conr. Geſnerus et Ioſias Simlerus, Celten ſeculi XIV anno ſeptuageſimo claruiſſe imprudentius, nullo auctore, qui id probare poſſit, certi, contendentes, ab Cl. Schurzfleiſchio confutati. Ab Trithemio, et aliis *Protucius* uocatur, quod nomen eſſe fictum, atque ob diſſimulatum forte patriae nomen ab ipſo Celte aſſumptum, Schurzfleiſchius opinatur. Saltem coniicere licet, patriam obſcuram, quae in agro fuiſſe uidetur, reticere Celten, quam illuſtrare ſuo natali, maluiſſe. Vtcunque ſit, certum eſt, et omnium auctoritate ſcriptorum clarum, Celten eſſe primum in-

 ter

dum, ſcribit. Sed Schurzfleiſchius, non ſine cauſa, *Si in loco Vupfeld*, reponit, *eſſet natus*, *accurate loquendo potius ſcripſiſſet Celtes, ſe prope Sueuofurtum eſſe natum, cum pagus Vupfeld prope Sueuofurtum ſit ſitus*, in prooemio ad Rhoſuitam, p. XLIII Natalem, itemque extremum, quo obiit diem notauit Chytraeus in Sax. L. VI p. CLXXIX ubi pariter ad Herbipolim natum teſtatur, deceſſit uero an. cIↃ IↃ VIII

i) de Origine, ſitu, moribus, et inſtitutis Norimbergae.

ter Germanos, qui, ob egregiam in re poetica doctrinam, ab imperatore Friderico III in arce Norinbergensi, commendatione Friderici III Saxon. Septemuiri, Anno CIↃ CCCC XCI aetatis uero tricesimo secundo, lauro, poetarum celebriorum insigni antiquissimo, ornatum. Annum, quo laurum poeticam ab imperatore cepit, nonagesimum primum, ex temporum rationibus confecit et expediuit Schurzfleischius, demonstrauitque, Io. Petrum Lotichium, Paulum Freherum, et Andr. Chr. Eschenbachium falso ad annum LXXXIV reiecisse, propterea, quod, cum anno LIX natus sit, et aetatis tricesimo secundo lauro donatus, consequens sit, statuere, ornatum XCI anno *k*). Ipsam laurum Vindobonae conseruari, hodieque tradunt. Capnione, an Celtes, ut de hoc Melch. Adamus refert *l*), primas comoedias publice habendas instituerit, nunc non inquiremus, demonstrasse contenti, Rudolphum Langium poeticen in Germania potissimum instaurasse, et Conr. Celten primum poetices lauru inter Germanos ornatum *m*). Illud mirari subit, Io. Trithemium, qui aequalis Celtis fuit, et non multo post, quam lauru ornatus

k) in prooemio ad Rhosuitam, p. XL

l) p. XIV

m) Chytraeus in Saxon. L. VI p. CLXXIX quo in loco consentit nobiscum, et inter primos eloquentiae ac Graecae linguae instauratores refert, Iac Burcardus l. c. p. CXXX

natus fuit, de Celte ipso, in Gymnasio Ingolstadiensi eloquentiae et poetices doctore, exposuit (quod anno aetatis Celtis XXXV adeoque triennio post fecit) nihil de laude hac addidisse, cum, eum haud latuisse, exinde pateat, quod poetam tamen laureatum uocat *u*).

CAPVT XVII

I

Suas quidem pariter *Historia* uicissitudines habuit, et de pristina scribendi elegantia deflexerunt auctores, tamen amare eam non penitus destiterunt, ut, si cum reliquis doctrinae politioris studiis conferas, contra ruinam, cui proxima quidem erat, tamen nihilominus se incolumem quodammodo praestiterit, et multorum, quos recensebimus, praesidio se defenderit, Historicorum. Atque hi quidem non una, cum literae in Europa redderentur, antiquam scribendi nitorem et elegantiam aequabant omnes, cum alias efflorescerent studia, alias etiamnum studio et negligentia ignorarentur. Atque supererant, qui, exeunte hoc seculo, annales

u) in Catal. Vir. ill. p. CLXXIV itemque de Script. Eccles. p. CCCXC ceterum de poetis Laureatis eleganter commentatus est Nicolaus Henelius Otio Vratislauiensi, CXIII p. XCVI seq., ubi dignitatem eius instituti uindicat, et uehementer indignatur, plebeios fere eruditos eo ornari,

les ſcribebant, cum iam tum ſummi eruditione uiri, quantum intereſſet, ſcribere annales, et hiſtoriam more inſtitutoque ueterum, ſatis aperuiſſent. Eius rei cauſam ſi in monachos, qui ſua ſibi ſorte placerent, reiicias, non omnino, exiſtimem, erroris accuſari te poſſe, cum plerique ſordidi ſcriptores illi, plane inſtaurationem literarum, quae, tot uirorum meritis praeclara, obſcura nemini inter Germanos eſſe poterat, praetermittant, et felicitatem ſeculi aurei, ſine ullo gaudio, quod alii alias teſtabantur, minus attingant. Alias obſtabant ipſi Antiſtites et monaſteriorum praefecti, quo minus ſcholae emendarentur, ut adeo nonnullis locis difficilius literae propagarentur, et homines caligine diutius laborarent. Quare Abbas coenobii Erfurtenſis *a*) Anno CIↃ CCCC LXXXI ordinis Benedictini ſtatores, qui ad Burſfeldenſem ſocietatem pertinebant, ſerio et grauiter cohortabatur, ut in ſacrorum emendatione, quam ſeuere peragebant, ſtudium ſimul hiſtoriae, et antiquitatis conſeruandae in coenobiis excitarent. Quanquam uero literis ſuis, quas eius rei cauſa ad praeſides collegii Burſfeldenſis ſcripſit, pro ſeculi conſuetu-

a) Paulinius de Praeſulibus Nuenborgenſibus, quem deinceps adducturi ſumus, cum de hiſtoria *ſermonem clauſtralem* recitat, ab aliis Reinhardſbornenſem fuiſſe dictum Abbatem, refert, monet tamen infra, uerius uideri, fuiſſe Erfordienſem. Ipſum Abbatis nomen ibi deſidero omiſſum.

ſuetudine, parum accurate Hiſtoriam ſacram, maxime eam, quae ad ſalutem noſtram pertinet, atque auctoritate ſanctioris doctrinae ſalua eſt, ab ciuili diſtinguat, neque etiam ſtili elegantiam, quae hiſtoriam ceteroquin commendat, tanta accuratione, ut rerum momenta obſeruari ſuadeat, tamen, ſi res conſideres, cauſas ſane grauiſſimas affert, quibus hiſtoriae cognitionem, in omni uita neceſſariam cuiuis, maximopere contendit. Hiſtoriae enim ope et auxilio, coenobiorum iuxta, ac patriae omnis, regnorumque origines, et uiciſſitudines cognoſci, priuilegia et immunitates nullam mutationem extimeſcere, in lucem publicam allatas, lites et controuerſias, ſi quae orirentur, facilius, ſiquidem tabulae et inſtrumenta publica ſupereſſent, finiri et imminui, coetus diuinioris et eccleſiae, collatis diligenter induſtrieque temporum rationibus, quin ipſorummet temporum, rerumque publicarum, uarietates et caſus, quae conſilia in praeſenti capienda eſſent, monere homines, et diſcrimina prudenter arcenda, docere, quin, ingratos, docet, fore, ſiquidem, hiſtoriae contemptione, male de maioribus mereri pergerent, cupidi cetera, ut poſteri de ſe bene mererentur. Hinc, quia ordinis D. Benedicti inſtituta non modo religionis ac pietatis curam, uerum etiam bonarum artium et conſeruationem et defenſionem requirerent,

in

in eisque familiam duceret historia, quae uniuersae Philosophiae administra esset, auctor suasorque est patribus, ut in monasteriis magistros, qui eam publice docerent, constituerent, atque, ut in Germania omni maiori ardore ac studio excolerent, in praesidium aduocandos, monet Antistites et Pontifices, Imperatoremque, quorum illi, in coenobiis annales, et rerum bene gestarum commentarios confici perpetuos, praeciperent, hic, ut a Principibus imperii quibuscunque res singulares, omnibus in locis urbibusque diligentius animaduerti, atque accuratius in literarum monumenta referri, nec tabulariis custodiri et recondi, sed in lucem emitti, imperaret. Quod institutum rei sacrae pariter, ac publicae salutare, in primis, ac felix fortunatumque, si periculum fieret, ominabatur *p*). Consilium utrum comprobauerit fortuna, dicere non possum. Nullum ego sane uel Pontificis alicuius, et Antistitis, uel Imperatoris, uidi edictum, quo, amplificari historiam, et res in Germania gestas conseruari, statuerunt. Istud tamen satis constat, historiam pristinam dignitatem, cum quidem literae diuinitus redderentur, hoc

p) Vid. Sermo claustralis de historia ad sacram congregationem Bursfeldensem, apud Paulinium in Actis et Factis praesulum Nienborgens. p. CXLV Syntagm. itemque apud Leucfeldium Antiquit. Bursfeld. c. V pag. CLXXXIII

hoc ipso seculo, et eodem tempore, quo fieri optauit Abbas, recuperasse.

II

Historicos, quos seculum XV complures tulit, addimus nunc, quanquam non eandem scribendi elegantiam consectati sint omnes, nec potuerint, literarum copia et facilitate destituti. Laudat Gregorius Vittehennius *Hulricum Mantvvinum* Huxariensem, qui *Chronicon Amesbornense* (Amelunxsbornense) compilauisset Anno CIↃ CCCC IV *q*). Ac testatur Theodor. Engelhusius in prooemio, se *Chronico monachorum in Amelungsborne usum r*). Sed, quia Mantvvini illud necdum exiit, nemo dicere certe potest, utrum habuerit Engelhusius, an aliud ab aliis confectum. Multae tamen sunt causae, quam ob rem dubitare equidem nolim. Itemque Vittehennius idem, ad A. CIↃ CCCC XII *s*) testis est, *Henricum de Delburg* de monasterio Boedecensi Chronicon collegisse, Rabano de Hoerde oblatum. Sed de eo posthac nec quicquam habemus, quod constet. Complures etiam, nec in re uulgari occupatos, adducit Io. Craemerus Chronico monasterii S. Petri *t*), in his *Stephanum Brandium* sacerdotem quendam, qui nobilem gentem *Botteleriam* a prima origine ad sua usque tempora perscripserit

Anno

q) p. CXVII
r) p. DCCCCLXXIX T II Leibnit.
s) p. CXIX
t) CCCXIV

Anno CIↃ CCCC L centum aureis, pro praemio, donatus. Addit praeterea, quotannis, quoad uixerit, *porcum saginatum* accepisse. Auctorem uitae *ferrei Landgrauii*, quem fuisse *Eliam ex Spicherte*, Craemerus, fama se accepisse, ait. Ipsa uita a Melchiore Ioeltgenio monasterio Sanpetrino tradita est. Tum *Paulum Rappium de Nether*, qui an. CIↃ CCCC LXII insigne *Chronicon Cauffungensis monasterii* conscripserit, singularibus multis, ex memorabilibus rebus, refertum. Denique *Henricum Banzium* de *Martsuble*, qui monasterii S. Catharinae, allatis priuilegiis, magna cum laude, res enarrauerit, ad annum CIↃ CCCC LII progressus. *Male*, Inquit Craemerus, *quod Domina Abbatissa apud S. Catherinam id Chronicon non continuat. Sed non cuilibet fidit, nec unusquisque ad hunc laborem aptus est.* Postremo, *Ioannem Vanderum*, monachum Benedictinum in coenobio Reinhardsbornensi, qui de *omnibus gentilium Deastris* in Turingia, addita cuiusuis Dei imagine, multo labore scripserit, et ex antiquitate, cuius apprime gnarus fuerit, illustrarit. Matthaeum Huntlerum in cella S. Martini, ad Verram, uidisse librum, refert quidem, sed, utrum in lucem unquam prodierit, nemo, quod mihi constet, animaduertit. Recenset nonnullos Auctor annalium Corbeiensium, quem supra ex Paulinio et Leibnitio attulimus, in his *Philippum Cassellanum*, qui Chronicon Pyrmon-

montanum scripserit, ad Annum CIↃ CCCC-XI *Cyriacum Rotterum*, sacerdotem Schackensem, qui de *Comitibus Sualenbergicis*, ab origine gentis, multo labore confectum, reliquerit ad An. CIↃ CCCC XXVI *Gregorium Hyrte*, qui Pontificum Verdensium uitas exposuerit ad An. CIↃ CCCC XXX de quo suspicatur Leibnitius, esse auctorem Chronici, quod de Episcopis Verdensibus breue edidit *u). Benedictum Englerum* monachum Bursfeldensem, qui *Richardi* Fuldensis uitam copiose dederit ad Annum CIↃ CCCC XXXIII *Ansgarium Ocht* e dioecesi Vurceburgica, qui *uitam S. Burcardi*, diui Bonifacii, propinqui, et monachi Corbeiensis, emiserit ad An. CIↃ CCCC XXXVI *Volcmarum Steberum*, qui de *monasterio Gerdensi* Chronicon conscripserit ad An. CIↃ CCCC-XLII *x*). Vossius addit *Balduinum, parochum* Paderbornensem, qui circa annum CIↃ CCCC XVIII *historiam uniuersalem* ediderit *y*). *Henricum Arnoldi*, Saxonem, atque in concilio Basileensi *notarium*, qui decessit, Trithemio teste, anno CIↃ CCCC LXXXVII et de *diuersis Sanctis* historiam et *Chronicon* domus Cartusiensis apud Basileenses confecit *z*). Tum *Georgium Hugonem*,

u) Tomo II n. XX p. XXII

x) u. Paulinius Syntagm. p. CCCCXIV Leibnitius T. II p. CCCXVI seq. quibus in locis Annales Corbeienses supersunt.

y) de Hist. Lat. L. III p. IↃL

z) Trithemius de Viris illustr. p. CLXVI ubi plura recenset Vossius L. III c. VI p. IↃLXVII

nem, rerum Boiicarum ſcriptorem, ab Io. Auentino commemoratum, *Andream*, S. Mich. apud Bambergenſes abbatem, qui de eis *Sanctis* ſcripſit, qui ex D. Benedicti ordine cuiuſcunque dignitatis eo honore florent. itemque *Io. a Duſſeldorp*, Argentorat. coenobii *priorem*, qui *iter ſuum in terram ſanctam* deſcripſit, anno cIɔ cccc xcIv uita functus.

III

Primum inter eos, quos habemus, locum obtinet HERMANNVS de LERBECK, *monachus Dominicanus S. Pauli Mindenſis*, qui duo nobis, quae extant, ingenii monumenta reliquit. Alterum eſt *Chronicon Comitum Schauenburgicorum*, quod, in aula Schauenburgica aſſidue uerſatus, collegit, exorſus ab Adolpho I annoque cIɔ xxx deduxit uſque ad Ottonem, qui an. cIɔ cccc Iv diem obiit ſupremum. Vt Lerbeccius hoc ſeculo floruiſſe intelligatur, quod ipſe in prooemio de ſe ſcribit, et teſtatur, ſe collegiſſe ſua magna difficultate et labore, cum ex Chronico Slauorum Helmoldi, quod conſpectus teſtatur, tum ex priuilegio Freſonum, et tabulis commentariiſque monaſteriorum aliquot, in dioeceſi Mindenſi, clariſſimorum. Hiſtorici Cl., maxime Herm. Conringius, Petrus Lambecius, Meibomii, induſtriam et laborem, quin iudicium quoque in eo laudant, accurationem tamen et fidem, quam, ſuppoſitis deceptus ipſe documentis, aſſequi haud

haud potuiſſet, laudare non queunt. Neque fabulas omnino emiſit, cuiuſmodi eſt inſignis illa, et per tot ſecula propagata, de caſtro Luneburgico, a C. Caeſare extructo *a*). Vtrique Henrici Meibomii, auus et nepos, iſtud obſeruationibus ſuis illuſtrauerunt, alter An. CIↃIↃXX et quidem primus edidit, alter Tomo I Script. Germ. inſeruit, et aui obſeruationibus ſuas, breues licet, adiecit *b*). Alterum, quod ex Lerbecii monimentis habemus, *Chronicon Epiſcoporum Mindenſium* eſt, quod cepit ab Hercuberto, primo Antiſtite, produxitque ad Ottonem, qui e uita exceſſit An. CIↃCCCXCVIII reliqua, quae acceſſerunt, auctores habent HENRICVM TRIBBE et E. HEVEKE. Henr. Tribbe, *Reynecke Tribbe*, uocat patrem ſuum *c*). deque Henrico alius quidam e regione iſtius loci addidit, *compleuiſſe eum Cronicam poſt mortem fratris Hermanni de Lerbeke* teſtatuſque eſt, magnum detrimentum eccleſiae iſti *per lites eſt gvverras* intuliſſe, nulla eius rei ab ſe mentione facta, ut uel hinc etiam hiſtorici officium deſeruiſſe uideatur. Ipſum hoc Chronicon primus edidit nouiſſime illuſtr. Leibnitius, duos codices manu ſcriptos nactus, quorum alter ex ipſo, quo auctores illius uixerunt, ſeculo ſuperſtes fuit, quem cum altero, a

Tt 2 Ioach.

a) p. IↃXVII

b) V. Meibomius T. I p. CCCCXCI

c) p. CC VII T. II Leibnit.

Ioach. Io. Madero descripto, comparauit, et, ubi, differre, animaduertit, in ora operis annotauit *d*). Ceterum non displicet, repetere, extare nunc quatuor *Chronica Mindensia*, quorum primum edidit Pistorius, alterum Henr. Meibomius, tertium Christianus Franc. Paulinius, cuius postremi auctor, BVSSO VVATENSTEDIVS, *Canonicus Hamelensis*, in eodem, quo ille, qui Lerbeccium continuauit, Antistite, Alberto, Comite de Hoia, subsistit. Vnius, non possum, quin mentionem iniiciam, auctorem Chronici illius, quod Meibomius, auus anno CIↃIↃCXX edidit, eiusque nepos Tomo I script. Germ. addidit, in multis conuenire cum Hermanno Lerbeccio, ut cum uterque eandem telam exorsi sint, suspicio sit, utrumque eosdem rerum commentarios, et literas, consuluisse, impari tamen, quod ex lectione tibi constabit, successu; quoniam quidem *anonymus* ille longius progressus est, attigitque scribendo annum seculi LXXIV Hermannus uero Lerbeccius, et, qui reliqua persecuti sunt, maiori doctrina, iudicio, accuratione, industria, rerumque copia, illum longissime superant, magno sane, si contendas, discrimine. Non uacat nunc, pluribus probare, quae cursim monui, curiosis et eruditis, si inquirere pluribus uelint, fides constabit. Pistorianum igitur istud, Meibomianum, Paulinianum, et

d) T. II numero XIX p. CLVII usque CCXI

et Leibnitianum si conferas, animaduertes, eosdem fontes inquisiuisse omnes, atque alium alios secutos. Agnouit Paulinus in prooemio ad suum. Sed omnibus suus constat labor.

IV

THEODORICVS DE NIEM, patria Niemio, agri Paderbornensis oppido, oriundus, quem Magdeburgicum uocat Georg. Fabricius *e*), ab Henrico Meibomio sen., tum Casp. Sagittario, erroris propterea accusatus. Vir sui seculi literatissimus, atque in aulis Pontificum quinque, Gregorii IX Vrbani VI Bonifacii IX Innocentii VII et Gregorii XII ecclesiae uicissitudines penitus cognouit. initio *Clerici* Lucensis, post uero *literarum Apostolicarum Abbreuiatoris* nomine ac titulo clarus fuit, quod esse officium honestum, et lucri plenum, neque ulli, nisi uiris literatis, idoneis ac bene meritis datum, ipse tradit *f*). Atque per hoc ipsum nomen scribam, uel, ut uulgus uocat, *Secretarium*, intelligi, putant Io. Cuspinianus, Matthias Flacius, Nic. Cisnerus, Melchior Goldastus, Ger. Io. Vossius, Henr. Meibomius senior, Io. Andr. Bosius, aliique *g*). Commendatum

e) Orig. Saxon. L. II p. CLXXV
f) in Vita Ioannis XXIII p. XLIX
g) Gobelinus Aetat. VI c. LXXXVII p. CCCXXII titulos aulae R. expromit, quem si consulas, distinguere eum literar. Apost. Abbreuiatores, uideas, ab aliis secretariis, siquidem per *Correctores*

tum a Bonifacio IX ad Episcopi Verdensis munus, quod, Ottone ad Bremensem uocato, uacuum erat, inde iterum, cum, repetito Rodenburgo, quod ad ditionem Verdensem pertinebat, Ottonis, antecessoris, aliorumque assectarum, inuidiam excitauisset, ad Cameracensem delatum, tradit Cranzius *b*), Casp. Bruschius et Gabriel Bucelinus, Meibomius senior Cranzium secuti. Atque hic, ex eo, Verdensem fuisse Antistitem, coniicit, quod Niemius de Schism. *i*) meminit *Episcopi Verdensis electi*, omisso Antistitis, per modestiam, nomine, quod aetatis illius scriptoribus usitatum. Atque hinc, cum ederet primum, *Secretarium Apostolicum*, *Episcopum Verdensem et Cameracensem*, appellauit. Eadem repetiit in notis ad Lerbeccii Chron. Com. Schauenb. *k*). Sed dissentit ab auo nepos Henr. Meibomius, partim temporum ratione, quae fallat, partim uerbis Niemii, cuiusmodi, ut ibi extant, nemo prudens de se narret, inductus. Neque credit, Cameracensem fuisse, et dubitandi causam hanc affert, quod Fratres Sammarthani, in Gallia Christiana, ejus haud meminissent. Repetiit

literarum Apostolicarum, *Abbreuiatores* ibi intelligat. Ceterum existimo et cum Cl. Christoph. Aug. Heumanno statuo, fuisse illos curiae R. ab epistolis. de libr. anon. et pseudon. p. CXXXII

b) L. X c. XLII metrop.

i) L. III c. XXXIX

k) p. Ib XLVII

tiit easdem dubitandi caussas C. Sagittarius *l*). Neque Theodoricus Engelhusius aliter, quam *magnum Curtisanum*, et sacri palatii auditorem, uocat, si Antistes Verdensis et Cameracensis fuisset, hoc certe nomine, quod ad laudem pertinere uidisset, eum compellaturus scriptor eiusdem seculi et aetate aequalis *m*). Vt adeo, clarius, post Cranzii testimonium, proferri in lucem, optemus, Maiorem Niemius, quia rebus Pontificum interfuit, fidem scriptis, ipsos inter Pontificios, meruit, a Ludouico Maimburgio, semel iterum, atque saepius, laudatus in Indice Rom., licet, ne legerentur libri eius, inter *prohibitos* iam pridem relatus. Edidit de *Schismate*, quod fuit inter Vrbanum VI et Clementem VII et reliquos, per XXXIX annos, libros III Norimbergae A. CIↃ IↃ XXXII emissos, quibus accessit IV quem *Nemus Vnionis* uocat, Basileae per Sim. Schardium, ex manuscripto A. CIↃ IↃ LX expressus. Bosius ea distinguit, quae Vossius, Meibomius et Sagittarius composuerunt *n*). Diuersum ab illo statuo, quem in uulgus edidit, inscriptum, *Descriptio de Inuestitura Episcopatuum, regum Teutonicorum, ex quodam antiquissimo libro Florentino per me, Theod. de Niem, literarum Apostolicarum scriptorem et Abbreuiatorem, reperto,*

l) Intr. in Hist. Eccl. c. X p. LXXXII

m) in Chron. p. IↃ CCCC LXXIX T. II Leibnit.

n) in Comp. Prud. ciu. p. XXVI

dum dominus Papa Ioannes XXIII illic cum sua curia resideret, fideliter extracta. quem Sim. Schardius, in Syntagm. tractatuum de imperiali iurisdictione, auctoritate et praeeminentia, ac potestate eccles. deque iuribus regni et imperii, ut inscripsit, Argentorati CIƆ IƆCIX inseruit *o*). Qui liber praeclara multa de controuersiis inter Imperatores ac Pontifices, de constituendis per imperatores Antistitibus, sacerdotibusque, continet, in quibus memorabile est, quando, Pontificum libidine et auaritia, ipsas, tot expeditionibus sacris, perditas amissasque ciuitates, et prouincias, aperte et ingenue scribit, praeterea singularia quaedam de Germania antiqua, Germaniaeque populis, Treuiris, Turingis Saxonibus, aliisque expromit. Insignis est, quem *de Vita Ioannis XXIII* composuisse, saepius supra diximus, commentarius, quem inter libros, quos confecit, fuisse extremum, exordii uerba indicare uidentur. Ioannem uero ita descripsit, ut hominis pessimi, ac Pontificis, omnibus uitiis contaminati, exemplum daret, raro historici exemplo, quia, suae aetatis mores, ut sunt, persequi res periculi plena est. In eius uitiis non postremum est, quando, ducentas, et amplius, uxores, sacrasque uirgines Vestales, corrupisse primo Pontificatus anno, diserte probat. Tum uero de quaestoribus sacris, et *indul-*

o) p. CCXLVIII-CCLXXXVI

indulgentiarum praeconibus, quos Bonifacius IX (Niemius VIII *p*) uocat) per *Alemanniam, Daciam* (Daniam medii aeui ſcriptores ita uocare notum eſt) *Sueciam et Noruegiam* dimiſerat, teſtatur, ſe audiuiſſe ſaepius, praedicantes, *quod etiam S. Petrus, ſi uiueret maiorem remiſſione peccaminum poteſtatem non haberet, quam ipſi ab eodem Bonifacio receperunt, ad ſalutem animarum illorum, quibus illi eandem remiſſionem communicarent* etc. *q*). Ita de Concilio Conſtantienſi multa, quia interfuit, ſingularia habet, cum de Ioanne ſuo, eiuſque exauctoratione, tum de Huſſi defenſoribus, qui, literis, exempli cauſa, CCCCLII ſigillis munitis, et Conſtantiam miſſis, eius, praeter fidem datam, combuſti, patrocinium, magno conſenſu, ſuſcepiſſent *r*). Ceterum, tametſi in Ioanne Creyt (forte Creidio) improbet, eum, ab epiſtolis quidem Ioanni, Pontifici, ſed *ſtylum Cancellariae* non omnino tenere, tamen ipſe, ſtili aulae Romanae peritus, ſtili Romani, quem Roma olim probabat, expers, formulas habet, quibus abhorrent aures, cuiuſmodi multas dedit Cl. Meibomius *ſ*). Primus uitam Ioannis XXIII ab Niemio ſcriptam, in lucem emiſit Henr. Meibomius ſen. An. CIↃ IↃC XX Francofurti,

p) p. VI Sed uide Gobelinum Aetate VI c. LXXXVI ſeq. p. CCC XIX ſeqq.
q) p. VII
r) p. XXXVII ſeq.
ſ) T. I p. LI

cuius nepos T. I repetiit in principio, quanquam non omnino plenam *t*).

V

GOBELINVS PERSONA An. CIↃ CCC LVIII *u*) in Vestphalis natus, in Italia literis animum excoluit, Romaeque diutius uersatus, in Pontificum, Purpuratorumque, consuetudinem admissus, plura, quae ei usu erant, didicit, linguamque Italicam, ut de se scribit *x*), plenius intellexit. Somniis indulsisse nonnihil e seculi more uidetur *y*). Ac in familia camerae Apostolicae se fuisse, ait *z*). Atque A. CIↃ CCC LXXXVI sacerdos inter LXXII inauguratus est *a*). Anno CIↃ CCC LXXXIX Ottoni Dykio, *capellae* in ecclesia Paderbornensi successor rectoris nomine constitutus *b*). Non congruit omnino temporum ratio, cum epistola Gobelini, quam anno iam tum octogesimo octauo ad Theodorum VVittehennium, propinquum suum, et sacerdotem D. Nicolai apud Hüxarienses recto-

t) Conf. G. Io. Vossius de Hist. Lat. Lib. III p. IↃ XLV Bosius de Comp. Prud. Ciu. §. LXVI p. XXVI Sagittarius Introd. in Hist. Eccl. c. X §. VIII p. LXXXI seq.

u) aet. VI c. LXIX p. CC LXXXVI Consentit Engelhusius in Chron. p. cIↃ C XXIX T. II Leibnit.

x) aet. I c. V p. LXIX

y) Aetat. VI c. LXXVIII LXXXII p. CCC II CCC XIII

z) c. LXXVIII

a) c. LXXXI

b) c. LXXXII p. CCC XIII

rectoris nomine dedit. Ipſam epiſtolam ſtudio hic repeto, quemadmodum Petrus VViſſelbeccius, de quo ſupra diximus, in Annalibus Hüxarienſibus interpoſuit ad An. CIↃCCCLXXXVII *c)* Gobelinus Perſona *Reu. Dn. Theodoro VVittehenn, Parocho ad S. Nicol. in Hüxori, ſalutem a ſalutis fonte. Eleemoſynas, quas Hartmannus de Amelunxen et Stephanus Hellingius pro inſtauranda et exornanda capella* S. Trinitatis, cuius indignus Rector ego nunc ſum, *fidei tuae liberaliter crediderunt, a Ioanne noſtro fideliter accepi. Gratias utrique ages meo nomine, cum offertorio precum mearum. Labor in Domino ſuccedet ex uoto. Porrigunt enim mihi ubique manus ſuas fideles animae, quarum merces et retributio Dominus ſit in aeternum. Dilectiſſime* propinque, *mittas mihi, rogo, propediem longum iſtud* necrologium *in ſacriſta ueſtra reconditum. Perlegam et remittam. Scis enim,* quanto deſiderio tenear huiuſmodi antiquarum deliciarum. *Vale in Domino. Paderbor.* anno CIↃCCCLXXXVII *die S. Helenae.* Vides itaque, ſibi repugnare Gobelinum, quem conciliare non poſſis, niſi putes, eum iamtum in ſuperſtitis locum Ottonis fuiſſe ſubſtitutum. Sed, num illud ex uerbis ipſius, quae pariter hic repetenda cenſeo *d)*, elicere liceat, uehementer dubito. Ita enim ibi, *Anno Dom. CIↃCCCLXXXIX - eodem menſe* (Ianuarii) *ſecunda*

c) p. XCVIII ed. Paulin.

d) Aetate VI c. LXXXII p. CCCXIII

da die praecedente, (uidelicet XXIII) *Dominus Otto de Dyke*, *praesbyter*, *rector*, *capellae S. Trinitatis*, *sitae in ecclesia Paderbornensi obiit*, *et sequenti die auctoritate Apostolica mibi prouisum est de eadem* etc. Ceterum obiter hic addo, Gregorium VVittehennium, Necrologium illud, quod Gobelinus petiit secum communicari, integrum addidisse *e*). Mox ecclesiae, ibidem in foro sitae, sacerdos Anno CIↃCCCCV inuidiam senatus populique ciuitatis contraxit, cum quidem per Imperatores Pontificesque edictum, de exequiis, secus peragendis, quam constitutum antehac fuerat, pro concione reiiceret, inuidisque, qui conspirauerant, cedere, quam discrimen maluit adire *f*). Nihilo felicior fuit Ephori, quem *officialem* uocant, dignitate ornatus, cum monachos in ordinem redigere, moresque corruptos seuerius coarguere anniteretur, sanctioris disciplinae curam, religionisque et pietatis studium reuocaturus. Monachorum religio uenenum, pro pietatis ardore, proponebat. Vt denuo migrare cogeretur, quo tempore, incertum. Bilefeldiae *Decani* officio perfunctum, ex epistola Theodorici, Antistitis Coloniensis, intelligimus, qua libertatem illi renouandae disciplinae, coercendorumque, qui repugnarent morosius; hominum religiosorum potesta-

e) Chron. Huxariensi p. CIII-CX

f) c. LXX p. CC LXXXIX

teſtatem permittit An. CIƆCCCCXVI *g*). *Decanum* Bilefeldenſem dioeceſeos Paderfontanae (Paderbornenſis, at, Paderfontanam commodius dici poſſe, autumat Gobelinus *h*), quem ſecutus eſt Engelhuſius) appellat Theodoricus Engelhuſius *i*). Sed, quantum profecerit, ſucceſſus docet, quum dignitatem cum ſolitaria uita commutauit, in monaſterium Bodeccenſe, ut literis otium pararet, ingreſſus et ſepultus. Annum mortis Henrici Meibomii, auus et nepos, ignorauerunt. Ita enim nepos *k*), *Annum mortis Gobelini ignorare ſe, notat auus meus, nec ego illum noui.* Theodoricus tamen Engelhuſius, qui eiuſdem temporis fuit, eum patefacere uoluit. Obiiſſe enim Anno CIƆCCCCXIV ſcribit in Chronico *l*). Sed conſpectus operis Gobelini, quod anno feculi duodeuiceſimo finiit, annum Engelhuſii refellit. Ex uerſu tamen, quem ſubiicit, uiceſimum eliciendum puto, qui ſatis eſt obſcurus *m*). Multa, quae Meibomius ſen. recenſuit, reliquit, quibus nominis memoriam conciliare anniſus eſt, claruitque ſuo ſeculo carmine, et, *hymnum*,

g) p. LVII
h) Aetat. VI c. XXXIX p. CCXXXIX
i) in Chron. p. IƆCCCCLXXIX T. II Leibnit. atque auctor Chronici Belgici Magni, T. III Piſtoriano.
k) p. LX T. I
l) p. cIƆCXXIX T. II Leibnit.
m) Sunt uero uerſus illi,
Quadringenteno deno bino bis in anno
Ipſe tibi refero, menſis Septembris in imo.

hymnum, in sacrum *Visitationis* Mariae Virg. diem, se composuisse, ipse prodit, cuius initium est, *Tecum principium*, a Ioanne XXIII Pontifice R., confirmatum *n*). Ita poeta quidem fuit, sed cum reliquis, qui carmine paullo post excelluerunt, non comparandus. Complura operibus suis inseruit, quibus poetae laudem tueri contendit, sed ad seculi ingenium sui redit. Vt Vrbanus VI Pontifex, infelix uel ideo existimandus sit, quod monumento ab poeta non laudando fuerit ornatus *o*). Seculi tamen consuetudinem superauit iam tum, quando ab plebeia annorum enumeratione recessit, et egregio labore *Cosmodromium*, siue, ut in prooemio uocat ipse, *mundi cursum*, quem VI aetatibus distinxit, se superare rerum cognitione scriptores plebeios, satis commode demonstrauit. Toto autem opere, unde profecerit, prodit ipse, ut fidem facilius inueniat, et eius rei caussa testes ueritatis liberaliter expromat. Quare, cum, dubitaturos de fide, perspiceret, eam mox ipse liberat, *Ea, quae hucusque*, ait, *conscripsi, fere omnia ex libris famosis, pauca de scriptis priuatis, pauciora ex relatu, paucissima propria imaginatione collegi.* Et de futuris, quae relaturus est, sollicitus, eadem regione pergit, *Ea uero, quae sequuntur, paucis de scriptis authenticis interpositis, fide dignorum*

n) Aet. VI c. XC p. CCC XXX
o) Aet. VI c. LXXXI p. CCC XII

gnorum relatu, aut uisus experientia deprehendi p). Atque ita scriptores plerunque, quos auctores habuit, affert, criminisque suspicionem arcet. In antiquiori historia saepius quidem antiquum obtinet, et fabulas nonnullas retinet, cuiusmodi insignis illa, et per tot secula probata est de Saxonum e Graecia origine, quam ex Vitechindo repetit q), neque alia plane est de Bedae Venerabilis cognomine, cuius originem ridicule profert r). Tamen libro primo Geographum, et alias non plane imperitum Graecae linguae se probauit, quamuis in deducenda oppidorum origine originem non semper attingat. Augustinum et Isidorum, quin etiam C. Caesarem, Liuium, Eginardum, ac plures, legisse, sibique familiares illos maxime reddidisse uidetur. Cosmodromium uero suum ab orbe condito coepit, produxitque usque ad An. seculi XV duodeuicesimum, et, quo propius ad aetatem accedit suam, eo, ut maiorem operam ostendit, ita fidem felicius tuetur. Vt mirari non subeat, aetatem sextam, eamque supremam, copia rerum superare reliquas omnes, praecipue pluribus res Pontificum Vrbani VI Bonifacii IX Innocentii VII Gregorii XII Io. XXIII Benedicti XIII horumque dissidia, de quibus supra docuimus, pate-

p) Aet. VI c. LXVIII p. CC LXXXIV

q) Aet. V c. XI p. C LVIII seq.

r) Aet. VI c. XXXV p. CC XXXII

patefecit *f*). Vnum iſtud mirari ſatis non poteſt Meibomius ſenior, utrumque Theodoricum Niemium et Gobelinum Perſonam, qui ciues erant, in Veſtphalia nati, et ambo in curia, nec ſine nominis fama, uerſati, neque tamen neutrum alterius feciſſe mentionem. Verba ipſa Meibomii in Vita Gobelini extant *t*). Sed ipſe, in cauſam facile penetrans, mox ſubiicit, *Gobelinus in ſchiſmate Papali partibus Vrbani plurimum fauit, a quo Niemius ita diſſentit, ut Vrbani mores, conſilia et facta acerbe inſectetur et reprehendat.* Fontem diſſidii aperit in libro IV de *Schiſmate et in Nemore Vnionis*, itemque in Gobelini ultimis, Aetatis VI capitibus. Sumpſit inde materiam, unde Niemii fidem infirmaret Maimburgius, quod ſecus de Vrbano, ac Gobelinus, Vrbani domeſticus, ſententiam tuliſſet. Sed reponit ad ea Meibomius, Henrici nepos, planum ex eo eſſe, Niemium, quum aperte ſcripſit, liberaſſe fidem, alterum qui diſſimulauerit, ubi minus potuerit, dubiam feciſſe *u*). Praeterea aemulationem, quae inter ciues aetate aequales ſaepe intercedit, putem, impediiſſe, quo minus alter alterius non meminerit. Cetera Gobelinus, ſub Bonifacio IX ipſe memorat, ſe librum inchoaſſe ſuum, ſub

f) Meibom. in Not. ad Chron. Com. Schauenb. p. I5 XLVII T. I Meib.
t) p. LVI
u) p. IV T. I

ſub Martino V eiuſque anno primo abſoluiſſe ſexagenarum anno CIↃ CCCC XVIII quo deſiit Concilium Conſtantienſe *x*). Notis primum edidit eum Meibomius ſenior Francofurti per Vechelios CIↃ IↃ XCIX ex codicibus duobus manuſcriptis. Sed dolet praematuram mortem Meibomius, nepos, Ferdinandi, Antiſtitis Paderbornenſis ac Mindenſis, qui melioris notae codicem, membrana ſcriptum habuit, cuius deinde, praeclari illius, ac uenerandae uetuſtatis monumenti, quia, cum Gobelinum parte I inſerendum curaret, particeps fieri non potuit, aui opera contentus, tantum paucis, quantum praeſtiterit hic ipſe, in fine, antequam clariſſimi aui Obſeruationes adderet, demonſtrauit *y*). Aui ſuas interdum adiecit, monuitque, perperam, et per errorem, a Vincentio Placcio, et Th. Rainando, Gobelino Perſonae, eripi, quod ingenui ei iam pridem uindicarunt *z*). Plura ex Gobelino in [illegible] ſuam contuliſſe Cranzium, ex Metropoli, itemque Hermannum Kerſenbrochium in Catalogo Epiſcop. Paderborn. penitus deſcripſiſſe demonſtrauit Meibomius ſenior in Notis ad Gobelinum *).

Vu VI

x) p. CCCXLVI Aet. VI cap. extremo, idem ex ipſo Gobelino repetit Engelhuſius in Chron. p. IↃ CCCCLXXIX T. II Leibnit.

y) p. CCC XLIX ſeq.

z) p. LIX ſeq.

*) p. CCC LXVIII itemque in teſtimoniis ſcriptorum de Gobelino, p. LIX et ad Lerbeccii Chron,

VI

Duobus his additur VLRICVS REICHENTAL, qui Concilio Constantiensi pariter interfuit, et eius historiam emisit, sed, ut iudicant de ea eruditi censores, sine ordine, et multis erroribus, inutilibusque, ut solent, commentis refertam. Anno primum cIɔ cccc lxxxiii tum saepius, exiisse, probant, mihi nec dum uidere integrum fuit a).

VII

Seculo XV uixit auctor HISTORIAE ARCHIEPISCOPORVM BREMENSIVM, licet inscriptio eius, usque ad Carolum IV peruenisse tantummodo, doceat, desinatque in anno cIɔ ccc xcv tamen, quia Sigismundi, imperatoris, et Martini V Pontificis, conciliique adeo Constantiensis, meminit, planum est, et manifestum, hoc aetate seculum attigisse. In ipsa historia fideliter Adamum Bremensem imitatus est, ut eius summam, retentis quoque uerbis, reddere uoluisse uideatur. Legit etiam Helmoldum, Arnoldum, et Albertum Stadensem, ex iisque

comit. Schauenburg. p. Iɔ XLVII ex eoque Ger. Io. Vossius de hist. Lat. L III c. IX ut propterea etiam Vossio succenseat Meibomius, Henrici nepos, p. LIX uid. post Meibomios Sagittarius l. c. c. X §. VII p. LXXIX seq. Caluoerius in Sax. gent. et christ. p. Iɔ XCI qui, quae referunt, Meibomiis, maxime seniori, debent.

a) Bibl. Halens. P. XXXI p. XXXVIII

que deprompsisse quaedam, animaduerti licet. Edidit ex codice Henr. Ranzouii Erpoldus Lindenbrogius Lugduni Batauorum anno CIↃ IↃ XCV sed extremi, Godefredi, Comitis de Arensberg, uitam mutilam restituit, ex alio codice in Scriptoribus Septentrionalibus, in quibus ab Adamo Bremensi proximus est.

VIII

Huc pertinet Auctor, quicunque uero fuerit ille, incertum, NARRATIONIS DE FVNDATIONE ET RESTAVRATIONE MONASTERII S. MICHAELIS IN LVNEBVRCH, cuius monasterii reditus gymnasio Luneburgensium illustri nunc cedunt. Ipsam uero narrationem suam edidit auctor post annum seculi duodeuigesimum, monasterii uicissitudines, quas semel atque iterum subiit, breuiter complexus. Edidit ope Pfeffingeri, Gymnasii Ephori, fama monimentisque clarissimi, illustris Godefr. Guil. Leibnitius *b*).

IX

HENRICVS SCHVARTIVS, quem Gregorius Wittehennius Hüxariensem nominat ad annum CIↃ CCCC XXIII *c*). Auctor uero, qui supplementum addidit, in *Aulica*, quam

Vu 2

b) T. II script. Brunsuic. numero XXX p. CCC LXXX - CCC LXXXIII uid. idem Introd. in hunc Tomum p. XXXIII

c) p. C XXI Chron. Huxariensi.

quam esse aulam regiam, Caroli M. arce, in Saxonia illustrem constat, anno, ut Cl. Christ. Fr. Paulinius calculum subduxit, CIↃ CCC XLIX natum esse Schuartium docet *d)*, parente fabro lignario, Conrado Huxariensi, qui in Aulicam concesserat. Parentibus, ut memorat fusius Cl. Paulinius, mature uita functis, puerulus noster ab auo Simone Schuartio educatus est. Atque hinc, Huxariensem, loco quippe educationis, uocatum, Paulinius putat. Hildesheimii literas didicit, monachus, anno aetatis XXIII Ordinis *Cistertiens.* in coenobio Hardeshusano, ad Dimolam, fl., factus, sacerdos denique in *Valle Dei* constitutus, anno CIↃ CCCC XXIII precibus *Abbatissae*, Apolloniae Grubiae, chronicon perexiguum, neque tamen ingratum sacerdoti primariae, ex documentis et tabulis confecit *e)*. Auctor, qui, omisso nomine, produxit ad An. CIↃ CCCC XXIII quo obiit Schuartius, spatium aetatis LXXIV emensum, tradit. Auctor uero *anonymus*, ad annum duntaxat LXXXIX seculi progressus, scribendo perpauca ipse addidit, scribendi copia Schuartium non superaturus. Maiorem sane operam collocauit in illustrandis coenobii Virginum Ottbergensium, siue *in Valle Dei*, ut postea, commutata ratione, clarum extitit, antiquitatibus, et scribendi solertia utrumque uicit, allatis

d) p. CCLI §. LXXXII
e) VVittehennius l. c.

allatis tabulis ac diplomatibus, celeber. Paulinius, qui, editam ab se, de coenobio isto, dissertationem Schuartiano hoc chronico, quod ex bibliotheca Michaelis Vranii, rectoris Gymnasii Hirschfeldensis, acceperat, adauxit, et Syntagmate rerum Germ. conseruauit *f*).

X

CHRONICON EPISCOPORVM HILDESHEIMENSIVM, cuius auctorem esse potissimum Eggehardum Vragiensem Abbatem Leibnitius putat *g*). Ipsum uero Chronicon incipit a tempore sacerdotii, productumque ab alio est ad Magnum, qui a Martino V Pontif. R., consecratus est, uita functus A. CIↃCCCCLII *h*). Emisit illud, de quo hic sermo est, Leibnitius *i*), itemque summam eius Chronici *k*).

XI

ERPHESFORDENSIS de *Landgrauiis Turingiae* scriptor, quem Io. Pistorius *l*) edidit, multa de Turingorum rebus singularia in annos retulit, Landgrauiosque recensuit,

 et

f) p. CLXXIV-CCLIV

g) Introduct. in T. II p. LIII in T. I num. XLVI Supra pluribus libro X de eo commemorauimus.

h) Vid. Iac. Reutelius, qui seculo XVI pariter Chronicon Hildesheimense conscripsit, a Paulinio editum Syntagmate p. CV

i) T. I p. IↃCCXLII - IↃCCLXII

k) p. IↃCCLXXII - IↃCCLXXIV

l) T. I script. Germ.

et ciuitates praecipuas enumerauit usque ad annum cIↄ cccc xxvi. Incipit ab orbe condito quidem, sed mox ad imperium Romanum descendit, ut altius originem Turingorum repetat, et fabulas ueterum Germanorum probet. Nam, uel ex eo fidem eius, in remotis illis temporibus, cognoscere licet, quod Iulium Caesarem Luneburgi et Ilenburgi conditorem pariter celebrat, dissidiaque Saxonum et Turingorum eadem, qua alii, simplicitate, exponit. Sed ita solent, ut auspicia gentis suae illustriora reddant.

XII

THEODORICVS ENGELHVSIVS, uel, ut corrupte uocatur, *Magister Diricus Engelhuys*, *Presbyter Einbeccensis*, ab Gregor. Wittehennio *M. Tidericus Engbus*, *Huxarianus* ad An. cIↄ cccc xv *m*) uir magnae doctrinae, multaeque lectionis, nec minoris existimationis, a Bruschio *uir magnificus*, et *lumen Saxoniae* uocatur de Reformat. *n*). Eimbeccensem patria fuisse, crediderunt Guil. Budaeus in Vita Alberti II Antistitis Halberstadiensis et Henr. Meibomius senior in Indice Scriptorum, quos Buntingii Chronico Brunsuicensi praemisit. A quibus uel ideo dissentiendum putauit Cl. Ioach. Io. Maderus, quod Io. Leznerus

m) p. CXIX

n) c. XI Lib. I p. CCCC LXXXIX et c. XLIV Lib. II p. IↄCCC XLII T. II Leibnit.

nerus in Chronico Daſſelenſi *o*) claros Einbeccenſes data opera collaudauit, eius haud meminit: Sed tamen dubium reiicit monumentum ſepulcrale, quod in opere Io. Bruſchii de Reformatione extat, ex quo uerſum illum, qui huc pertinet, repeto,

Cui quondam nomen *Tidericus* contulit omen,
Ex *Einbeck* natus, *Engelhus* cognominatus,
Qui clarus ingenio, moribus, ore, ſtylo *p*).

Cuius monumenti auctorem, Bruſchius putat, *Hermannum Ryd de Rene*, qui ſub idem tempus in monaſterio Vitenborgenſi, quo deceſſit Engelhuſius, uixit, et propter merita in rem publicam ſacram laudatus a Bruſchio eſt. Illuſtris Leibnitius, quia haec non occurrunt in Cilonienſi et Sultenſi manuſcriptis Buſchii, dicere et enunciare auctorem Rydium non audet *q*). Ceterum mirari ſubit, Gregorium VVittehennium dicto loco eum nominare *Huxarianum*, ad quem locum cl. Paulinius dubitantium ſententias recitauit. Malim tamen credere monumento ſepulcrali. Conſcripſit Engelhuſius *Chronicon*, inde ab orbe condito, ad ſua uſque tempora, ſeruato, quod uſitatum eſt pleriſque, annorum ordine, cuius inſtituti cauſas ipſe reddit in prooemio, et auctores omnes, ex

 quibus

o) Libri VI P. I c. VIII
p) p. CCCC LXXXIX
q) In Introd. ad T. II p. XLVI

quibus ſua mutuatus eſt, adducit, ex quibus intelligere licet, eum non ex uno, ſed pluribus profeciſſe, ea tamen conditione, ut in antiquiore hiſtoria melius aetatis cuiuſuis peritos ſequi, quam hunc imitari, queas, cum et ſcriptorum, qui barbaro aeuo res geſtas ſuperiorum temporum attigerunt, et a ueritate ad fabulas reciderunt, fidem liberius probauerit, et propagare inutilia, ſuo noui ſcriptoris conſenſu, fuerit anniſus. Ita ille etiam, exempli cauſa, Saxones, antiquo Saxonum ſcriptorum errore, ex Macedonia in Germaniam, longo errore, deducit *r*). Coniicit Leibnitius, in animo habuiſſe Baſilium Io. Heroldum edere illud Chronicon, quia, cum Eliſabethae, Britannorum reginae, Marianum Scotum, et Martinum Polonum inſcripſiſſet, pollicitus erat edere poſt id tempus Conradum Engelhuſium, *Conradum*, pro, *Theodorico*, per errorem appellans. Poſt hunc idem inſtitutum habuit literatiſſimus medicus Halberſtadienſis, Guil. Budaeus, atque ex bibliotheca Michael. Neandri exponere promiſit, temporum tamen iniquitate impeditus, propoſito laudabili deſtitit. Perfecit omnium primus Ioach. Io. Maderus, quatuor codices manu exaratos nactus Conringii, Landſbergii, Hofmanni, et Finckii, ſed tamen in Madero accurationem deſiderat Leibnitius, eiuſque cauſam ſuſpicatur, quod Conringia-

r) p. cIↄ V

ringianum ſerius forte impetraſſet. Ac initio Leibnitius ipſe Acceſſionum partes duas, quas impetrauerat *ſ*), addiderat, ſed, exemplo Conringii manuſcripto, accuratius cum Maderi collato, multa deeſſe, animaduertens, nec pauca ex alio quodam codice MS., qui e collegio *Fratrum Minorum* Gottingenſi, in bibliothecam *S. Crucis* eccleſiae Hannoueranae tranſierat, adiici poſſe, de renouando toto opere conſilium cepit, praeſertim, cum haberet tres libros manuſcriptos, unum quidem Gerhardi Molani, Abbatis Luccenſis, qui deſinebat A. CIↃ CCCC XVIII alterum Conringii, qui uergebat ad annum XXI tertium Gottingenſem illum, quem ab loco, quo nunc conſeruari, diximus, Crucianum uocat, iſque ſubſiſtebat in anno XXXII uel XXXIII Finkianum, quem contingere annum XXIII recenſet, utrum habuerit etiam, an minus, ſuſpicari non omnino licet, quia tres illos toto opere, literis diſtinctos, in uariantibus ad oram lectionibus, Finkianum non item affert *t*). Extat uero Chronicon in parte ſecunda ſcript. Brunſuic. ad extremum. Edidit praeterea idem Leibnitius Engelhuſii *Genealogiam Ducum Brunſuicenſium* aliquot perbreuem, quam Io. Svvarzkopfius antehac conſeruauit ac Madero reliquit. Latet etiamnunc Index uocabulorum, quem *Vocabularium*

ſ) Tomo II p. LXXXIV - LXXXVII n. XII

t) Leibnit. introd. in T. II num. LI p. LIV ſeq.

rium inscripsit, ab eo confectus *u*). Ex uita decessit Engelhusius A. CIↃCCCCXXXIV in monasterio Vitenborgensi, cuius, si Buschii uerba sunt *x*), in societatem postremo se recipi, passus est, ibidemque auctor est humatus *y*).

XII

ANDREAS, *Presbyter* RATISPONENSIS, in monasterio D. Magni, anno, quo natus sit, incertum, de adolescentiae annis ipse nonnulla retulit in annales. Straubingae in scholis literas didicit *z*), in monasterium ingressus est anno CIↃCCCCX *a*). Interfuit pacis conciliationi, quae inter Hussitas, et Imperatorem Sigismundum Ratisponae instituebatur, atque nonnulla singularia de bello, quod cum illis est gestum, retulit, quod supra est demonstratum. *Huic negotio*, scribit ille, *ego frater Andreas Presbyter, canonicus monasterii S. Magni, Confessoris, in pede pontis Ratisponensis, interfui, et sicut uidi et audiui, ita hic scripsi b*). Quae uerba propterea hic exprimo, quod titulum, quo se distinxit etiam alias, ipse reliquit. In familiaritatem Principum patriae admissus, facultatem *Chronici*, quod

u) num. IV p. XX de Geneal. refert Leibnitius introduct. p. LV nonnulla de Maderiana recitat C. Sagittarius l. c. §. XI p. LXXXIV

x) l. c. p. CCCCLXXXIV

y) p. IↃCCC XLII

z) p. XLIX Chron. Anno CIↃCCCCX

a) p. XLVI

b) p. LV

quod habemus, *Bauariae* edendi impetrauit *c*). Ac eo quidem Duces Bauariae enumerauit, familiarumque notitiam, quam *Genealogiam* uocamus, cuius partem ſuppeditauit Ludouicus, cui inſcripſit ipſum Chronicon, ſingulari induſtria contexuit, et fidem ingenui hiſtorici tenuit, allatis, quae probant, et memoriae rerum geſtarum conſulunt, optimis documentis. Vt, propterea ab ciuibus ſuis *Linium* fuiſſe appellatum, putem, ut docet Io. Auentinus. Nam, ſi ad nitorem ſermonis quis referat, ineptire uideatur. Dictio enim horrida eſt et barbara, nec ullo modo, niſi propter perſpicuitatem, quam naturae bonitate aſſecutus eſt, laudanda. Scribendo attigit annum ſeculi XXXIX Quae ſequuntur, addidit uſque ad An. LXXXV LEONARDVS PAVLHOLZ *de Operhouen, preſbyter dioeceſis Ratiſponenſis*, de quo nihil reperimus, praeterquam, quod Heidelbergae literis operam dedit, doctoribus, qui admirationem ſibi conciliauerant, uſus *d*). Andream coepiſſe Chronicon, ex prooemio coniicere licet, A. CIↃCCCCXXV quo etiam, ut ipſe addidit, editum eſt *e*). *Chronico* ſubiungitur *Hiſtoria fundationum nonnullorum inſignium monaſteriorum* per Bauariam, quae repetere hic nolo. Primus Andream edidit M. Freherus Am-

c) p. III et LI
d) p. LXIV ſq.
e) p. IV

Ambergae CIƆ IƆCI *f*). Denuo emisit Io. Schilterus Tomo Script. Germ.

XIV

Auctor *Chronici monasterii* Virginum sacrarum, quod A. CIƆ CCLXV Vitechindus, *Comes de Monte*, Lodenae in dioecesi Antistitis Mindensis instituerat ad regulam D. Augustini, *Lemgouiam* anno CIƆ CCCVI translatum, breuiter uicissitudines eiusdem enarrat in anno demum CIƆ CCCC XLVII subsistens *g*).

XV

PRESBYTER BREMENSIS, cuius nomen ignoramus, *Chronicon uetus Holsatiae*, sub nomine continuationis Helmoldi, ab anno CIƆ CLXIV usque ad annum CIƆ CCCCXLVIII emisit. Auctor tamen Helmoldi, historici clarissimi, nomine potius, quam rebus, et proposito, nomen sibi conciliare uoluisse uidetur. Incipit enim ab orbe condito, et fabulas, consensu praepostero confirmat. In quibus, ab compluribus propugnata illa, de Saxonum, quos propter pertinaciam *duros* et *petritos* a petra, propter animi magnitudinem, uocat, ex Macedonia aduentu multis, ut apud Vitechindum extare diximus, uerbis repetitur *h*). Capite tandem

f) u. Sagittarius Introd. in Hist. Eccles. c. XXII §. XIII p. IƆLII

g) Extat T. II Meibomii, p. IƆXXVI usque IƆXXXII

h) c. VII et VIII

dem decimo quinto *continuatio* incipit, qua Danos longius repetit, atque origine Iudaeos, quia, uel leuissima cum Iutiae nomine cognatione, mysterium sibi aliquod uisus est deprehendisse. Sed et in Danos odio inuectus, fidem in Danorum rebus labefactauit, ab Casp. Danevverthio, Thoma Bartholino, iuniore, Petro Lambecio, Godefr. Guil. Leibnitio, Ioan. Mollero, inuidiae, et partium studii, merito accusatus. Ob res tamen Holsatorum lectu dignus habetur ab omnibus, quia multa, alias non item explicatius tradita, conseruauit. Manuscriptum istud chronicon superest in duabus bibliothecis publicis, Hafniensi academica quidem, et Hamburgensi senatoria, atque Hamburgensis quidem codex manu Erpoldi Lindenbrogii scriptus recentior, est folio uno mutilus in fine. Habuerunt eundem Io. Adolph. Cypraeus, sacerdos ad D. Michaelis apud Schlesuicenses, qui ad Pontificios cIɔ Iɔcxxııı transiit, et Petr. Lambecius, qui in animo habuerunt in lucem aspectumque publicum proferre. Et uideo quidem in catalogo librorum, a P. Lambecio promissorum, notis illud illustratum ab eo relictum *i*). Daniel Nesselius, qui Lambecio successit, ex cura Lambeciana expromere itidem uoluit. Sed nemo fidem liberare potuit. Nuper Godefr. Guil. Leibnitius ex codice Lambecia-

i) Originibus Hamb. p. xxıv et xxvıı

beciano, beneficio Nesselii, parte I Accessionum Historicarum, quas saepius laudauimus, inseruit, sed, quod dolendum, in fine aliqua desiderantur, et, quia ibi extant uerba, *deest hic folium unum k)*, suspicari licet, esse eodem Lindenbrogiano codice ab Lambecio descriptum, uel ipsummet Lindenbrogii manuscriptum. Quare optat Cl. Mollerus, ut Arnas Magnaeus, Islandus, ex codice, quem pleniorem habere dicitur, uel restituat integrum, uel ea, quae in Leibnitiano desunt, supplere ne grauetur *l*).

XVI

Excerpta ex ordinario ecclesiae S. Matthiae in Brunsuic. a Templariis per Iohannitas ad Fratres Calendarum, seu S. Spiritus translatae, uti quidem titulus praefert, collegisse potissimum HENRICVS VISBECCIVS uidetur. Fuit is *Protonotarius duorum consulum indaginis* apud Brunsuicenses, uti se ipsum uocat. Atque ab consulibus illis rector ecclesiae S. Matthaei designatus fuit. Is uero, quia anno CIↃ CCCCXXII decessit, in ipsis *Excerptis* tamen anni huius seculi LIX mentio fit, uel hinc patere existimo, alium, quae superant, adiecisse. Plura, quae referri merentur, habet singularia de Templariis, quorum ordo per Clementem V Pontif. R., impulsu quidem Philippi,

k) p. CV

l) in Diatrib. hist. crit. ad Helmold. §. XXXV XXXVI item in Isagog. ad hist. Chersonesi Cimbricae, Leibnitius in praef. ad P. I Accession. Hist.

lippi, Pulcri, Galliarum regis, diſſipatus, tum inſignem in Germania commutationem excitabat, quae Brunſuicenſes etiam attigit, atque Ottonem, Alberti I filium, Ordinis illius ſodalem, grauius affligebat. Praeterea multa, quae alias non copioſe extant, refert ille de ſocietate Fratrum Calendariorum, quae Brunſuici floruit, cuius leges enumerat, et, qua pietate inter ſe uixerint, et officia coluerint, pluribus demonſtrat. Tradidit opus exiguum quidem, attamen non contemnendum, illuſtri Leibnitio perreuerendus Philippus Iulius Rehtmeierus, de patria compluribus documentis huc uſque praeclare meritus *m)*.

XVII

HENRICVS BERNDTENIVS, abbas Mariaerodenſis, coenobii ſui hiſtoriam uſque ad ſua tempora perſcripſit. Incipit enim ab initio ordinis ſui Ciſtertienſis, qui Iſenhagenae An. CIↃ CC XLV colonis ſacris ex coenobio Riddagſhuſano eo deductis, inſtitutus eſt, anno autem eiuſdem ſeculi undeſexageſimo Backenrodam, quae Mariaeroda appellata deinde eſt, delatus. Res uero coenobii huius perſequitur uſque ad annum CIↃ CCCC LIV quo iterum Henrico Hagenio ſucceſſit, ſucceſſori olim, cum munus Abbatis depoſuiſſet, ſuo, non quidem uita functo, ſed

m) Extat T. II Leibn. n. XXXVIII p. CCCC LXX uſque CCCC LXXVI

ſed pariter munere iſto ſe abdicanti. Ex uita Berndtenius migrauit CIↃ CCCC LXIII *n*). Ipſum Chronicon annó CIↃ CCCC LIV edidit quod in prooemio ipſe docet. Alii uſque ad annum CIↃ IↃ LXXX annis quibus, non tamen rerum copia auxerunt. Extrema addidiſſe Franciſcum Borſemium, Godof. Guil. Leibnitius obſeruauit *o*). Atque ipſum Chronicon edidit ille ex Auguſta bibliotheca Guelferbytana, cum alio quodam, attamen non eiuſdem bonitatis, codice, quem ſuppeditauit Conradus Bertoldus Behrenſius, medicus et hiſtoricus eximius, collatum.

XVIII

HENRICVS VVOLTERVS, *Canonicum S. Anſcarii*, Bremenſem ſe uocat in prooemio *p*), familia, ut coniectura tenet, non obſcura natus. Meminit enim Henrici Volteri, itidem *Canonici*, in Vita Alberti Antiſtitis XXXIII anno CIↃ CCC LXXIX *q*), tum Henr. Volteri, *Capellani*, in Boldeuino, Antiſtite XXXVII ad annum CIↃ CCCC XXXV *r*) et in eodem Boldeuino ad annum, qui ſequitur, XXVI *ſ*). *Canonicum S. Anſcarii Bremenſem et Buccenſem* denique in Gerhardo, XXXVIII An-

n) c. XXX p. CCCC LXIV
o) in prooemio ad T. II quo, et numero quidem XXXVI continetur, p. XXXVIII
p) p. XIX
q) p. LXVIII
r) p. LXXIV
ſ) p. LXXVII

Antistite, *Praepositum S. VVillebadi* eo nomine laudat *t*), quos nostro propinquitate coniunctos, Meibomius opinatur. Ipse Volterus nihil eam in rem memoriae prodidit, eos nominasse contentus. Vt in suspicione perseueremus, nihil, aui parentisque nomine, an propinquorum saltem compellandi sint, certi statuere queamus. Vixit tempore Nicolai, Pontif. V ut ipse saepius meminit. Fuisse Oldenburgicum, Hamelmannus suspicatus est. Extat cura H. Meibomii, Henrici nepotis, *Chronicon* Volteri, quo uitas Antistitum Bremensium, inde a condito Sacerdotio summo, quod a Carolo M. factum, docet, perscribit, usque ad Henricum Schuarzburgicum, XXXIX numero, in quo anno CIↃ CCCC LXIII acquiescit. Henrico Schuarzburgico successit Io. Rhodius, honesta urbis familia ortus. Atque hic ipse res Bremensium post Voltherum nostrum inquisiuit diligenter, atque in literas retulit, *Chronico*, uel, ut ab quibusdam uocatur, *Registro bonorum et iurium ecclesiae Bremensis*. Ex hoc ipso dedit Excerpta ill. Leibnitius parte secunda script. Brunsf. numero XXIII Sua uero Voltherus, ut ipse loquitur, *ex dispendiosis dictis*, *et Chronicis antiquis* collegit *u*). Neque fontes, ex quibus sua hausit, penitus reticet, et silendo obscurat, quin laudat *Chronicam authenticam*,

Xx *Rem-*

t) p. LXXX
u) in prooemio, p. XIX Tomo II Meibomiano.

Rembertum, qui uitam doctoris sui D. Anscharii perscripsit, *metra reciproca, a quodam ecclesiae Canonico dilucide facta, continentia seriem totam uitae* eius *x*). *Adalgarium*, qui Remberti uitam *claro*, ut loquitur, *stylo* scripsit *y*). *M. Helemboldum*, per quem Helmoldum *intelligit*, in *Chronico*. Tum consuluisse *Adamum Bremensem*, *Albertum Stadensem*, et *Chronicon*, quod manuscriptum laudat Meibomius, *Herbordi Schenaei* et *Gerardi Rynesbachii*, ex uestigiis quibusdam deprehendisse sibi Meibomius uidetur, et ex pluribus locis demonstrat, Volterum nunc liberalius proposuisse fabulas, nunc ueritatem effudisse. Saepius, quando formulas antiquas non habuit expeditas, Germanicis usus est. Aliquoties eo Volteri Chronico usi sunt Herm. Hammelmannus, Gerardus Gisekenius, et Iustus VVinckelmannus. Denique utendum tradidit Meibomio seniori, ex tabulario Oldenburgico, Illustrissimus Comes Antonius Guntherus, accurateque nepos Henrici Meibomii descriptum, quamuis non omnino plenum, cum quaedam, minus nitide scripta, assequi non potuerit, scriptoribus inseruit suis *z*).

XIX

Auctor CHRONICI RASTADENSIS, quis fuerit, et quo sigillatim anno natus,

x) p. XXV
y) p. XXVI et p. XLIIX
z) T. II p. XIX-LXXXII

tus, ignoratur. Meminit in eo *Chronici Bremensis a)*. Henr. Volteri, quandoquidem paullo post ipsius Henrici Volteri, *Canonici S. Anscharii Bremensis*, ter mentionem facit *b)*. Eadem enim, quae de Doctore et Praeposito Vpsaliensi, Pontificis Nicolai V uel nundinarum praefecto et quaestore, uel sacrorum instauratore, quem Gerardus, Comes Oldenburgicus, in oppido Delmenhorst interceperat, sed ab Gerardo, Bremensium Antistite, proscriptionis sacrae fulmine compulsus, iterum dimiserat, ex Chronico Bremensi narrat, copiosius recenset Volterus in Gerardo *c)*. Chronicon uero suum orditur a principio coenobii, quod in seculum XII incidit, et ad ditionem Bremensem spectauit, Abbatum memoriam persequitur usque ad Ioannem, Abbatem XXII Anno CIↃ CCCC-LXIII ipsum Chronicon desinit, utrum uero auctor ille longius sit progressus, dicere non licet, quia in fine deesse quaedam uidentur. Placuit opera auctoris Ioanni Schiphouero, ut Chronicon suum Oldenburgicum, omisso eius nomine, penitus locupletaret ex illo. Primus edidit, ex eodem, quo Volteri diximus, tabulario exemplum nactus, Henricus Meibomius, H. nepos *d)*.

a) p. CXIV
b) p. CXV
c) p. LXXIIX
d) T. II p. LXXXIX-CXIX

XX

ANNALIVM CORBEIENSIVM conditor nomen ſuum illis quidem non praemiſit, ipſis autem annalibus prodidit, et ad Annum cIↄ cccc xxxvII natum, die, diuo *Antonio* ſacro, ab eo ſibi nomen ANTONII impoſitum, teſtatur, et, quia ad annum cIↄcccc LXIV ſerpentes familiae inſignia ornare ſcribit, ex gente *Snakenburgicorum*, de qua Io. Leznerus Chronico Daſſelenſi *e)* et in hiſtoria, quam de Ludouico Pio, imp., confecit, expoſuit, non ſine cauſa ſuſpicatur celeber. Paulinius, ortum eſſe. Anno cIↄ cccc XLVII in coenobium Iburgenſe miſſus, ſtudiorum cauſa, eſt. Eademque ut perficeret, anno LIII ad auunculum, cuius tamen nomen reticuit, *Canonicum* maioris eccleſiae Mimigardeuordenſis, cuius in ſe educando fidem laudat, profectus eſt. Anno LXIII Abbate Hermanno, qui ex Stockhuſiorum familia fuit, monaſterium Corbeienſe ingreſſus, *matura*, ut ſcribit, *aetate* (anno aetatis XXVI) *et iam Subdiaconus* conſtitutus. Atque huius Abbatis Hermanni, quem *placidum et doctum* appellat, auſpiciis, *Annales conſarcinare* coepit Anno LXIV Exorſus eos eſt ab initio coenobii, anno quidem Iↄ ccc xv produxitque ad An. cIↄ cccc LXXI quo, poſtquam Hermannus, Abbas, etiam ex uita migrauerat, ex coenobio Corbeienſi, quod diſciplinam perdidiſſe

e) L. IV c. XV

didisse uidebatur, Hirschfeldam in coenobium concessit, *Magistri nouitiorum* titulo ac nomine auctus ornatusque. In quo coenobio CIↃ CCCC LXXVI decessisse, scribit Cl. Paulinius in prooemio, qui primus Annales istos, beneficio Mich. Vranii, quem supra laudauimus, in lucem publicam emisit *f*). Repetiit eosdem in Operibus Historiae Brunsuicensis Leibnitius *g*), atque in prooemio simul, quanto usui sint, exemplis ex iis demonstrauit.

XXI

BVSSO VVATENSTEDIVS, patria Mindensis, pistoris, filius, et *Canonicus* Hamelensis *h*), *Chronicon Mindense* conscripsit, Antistite VVullebrando, teste Schuartio loco supra dicto, quem antistitem, *summum benefactorem suum*, uocat in uita eius *i*). Coepit id ipsum Chronicon ab A. IↃCC LXXX usque ad An. CIↃ CCCC XXXV sigillatimque in Vullebrando suo, cui Albertus, Comes Hoiensis, successit, ut paucis indicat. Supra, quatuor nunc extare Mindensia Chronica diximus, in quibus multam laudem consequitur Vatenstedius, sed omnibus tamen, et iisdem hoc

Xx 3 seculo

f) Syntagm. Rer. Germ. p. CCC LXV - CCCCXLII
g) T. II n. XXV p. XXVI CCXCVI - CCC XIX in prooemio.
h) Schuartius Chron. Virg. Ottberg. ad An. CIↃ CCCC VIII p. CCXXX
i) p. XLII

ſeculo claris, palmam ſane dubiam reddit Hermannus Lerbeccius, qui maiori copia annales locupletauit. Omnes ſi conferat patrius quidam ciuis, res Mindenſium non mediocriter illuſtrare poſſit, cum quiſque ſua opera conferre aliquid in memoriam Pontificum et patriae elaborauerit. Neque ſua defraudandus eſt laude Vatenſtedius, qui nihil finxit, ſed, ut ipſe teſtis eſt *ad Mindam ſuam, ueteres chartas, antiqua regiſtra, et quicquid docuit candida canities*, excuſſit. Ex quibus coniicit Cl. Paulinius, conſuluiſſe forſan in membranis utrumque, quod Io. Piſtorius et Henr. Meibomius primi protulerunt, certe diplomata, quae Piſtorius emiſit, euoluiſſe ſuſpicio non inanis eſt. Sub Alberto Hoiano, qui anno CIↃ CCCC LXXIV rebus humanis ereptus dicitur, exceſſiſſe e uita, coniectura tenet. Hunc enim *modernum Antiſtitem* nominat, eiuſque uitam *aliis deſcribendam ſe relicturum*, diſerte ad extremum ſcribit. Primum publici iuris fecit Vatenſtedium Cl. Paulinius notiſque plurimis illuſtrauit Syntagm. Rerum Germ. Accedunt poetae duo, alter *Videchindus Duldorpius*, qui *Vicarius*, Mindenſiſne, an Hamelenſis, incertum, uocatur, alter *Albertus Freyſchmidius*, Pollenſis, qui ſeculo exeunte uixit, uterque Antiſtites Mindenſes, carmine quemque breui, celebrauerunt.

XXII

CHRONICON S. AEGIDII apud Brunſuicenſes, eo in coenobio confectum apparet ad Annos CIƆ CCC XCI CIƆ CCCC XXIX CIƆ CCCC LXVII et ſequentem CIƆ CCCC LXXIII *k)* Auctor quiſquis primus fuerit, Chronicon quidem coenobii ſui condidit, ſed tamen ab orbe condito initium cepit, ex ſcriptoribuſque nonnulla, ſine ſingulari cura conſarcinauit, in antiquis temporibus ſapere ex aliis fontibus, ex ſuis uero oppido pauca deduxiſſe uidetur. Perſtitit in anno CIƆ-CCCC LXXIV Interim tamen, quia in rebus Brunſuicenſibus non plane nullam operam poſuit, ex Io. Piſtorio, qui primus eum, ex bibliotheca Henr. Petrei, edidit, in Tomum III Script. Brunſu. tranſtulit God. Guil. Leibnitius *l)*. Piſtorius, cum nihil de auctore certi haberet, *Compilationem Chronologicam* inſcripſit.

XXIII

F. CORNELIVS, monachus familiae Benedictinae, ubi uixerit, non conſtat. Abbatum Fuldenſium uitas et mores, inde a primordiis coenobii, eiuſque Abbate I Sturmione, uſque ad Ioannem II Abbatem LIX annumque, ut in titulo extat, CIƆ CCCC LXXIX breuiter perſequitur, ipſumque opuſculum hinc *Breuiarium Fuldenſe* inſcripſit. Chriſto-

 pho-

k) p. IƆ XCVIII

l) p. IƆ LIIX IƆ C

phorum Brouerum, qui maiori industria, et copia etiam, Antiquitates Fuldenses recensuit, inspexisse Cornelium, licet eius non meminerit, Cl. Paulinus, qui hunc ipsum in Syntagmate suo edidit *m)*, suspicatur.

XXIV

IO. BVSCHIVS, Zvvollensis, in ludo patrio anno aetatis quinto decimo primum in superiori ordine locum tenuit, et cum haberet ingenium docile, anno duodeuicesimo, in lingua *Graeca*, *Logica et Philosophia* ita se profecisse, putabat, ut contendere cum doctoribus suis posse sibi uideretur. Docuit etiam ipse in schola, et praefuit, ut ait ipse, quinto loco, LXXX auditoribus, quos in lingua Graeca et Logica erudiuit. Hinc a parentibus Erfordiam ad *Studium Vniuersale*, id est, Academiam, missus est, ut familiae aliquando ornamento foret. Quae ipse ita narrat, ut ambitionis, dicam, an imbecillitatis iudicii, reus uideatur. Quamuis ingenio seculi inepta haec commentandi ratio aliquid in acceptis referre uideatur. Contra parentum, propinquorumque uoluntatem, animo ad pietatis sanctiorisque uitae amorem erecto, monasterium Vindesemense, uno duntaxat a patria urbe lapide, quod in ditione Traiectensi *reformationis* nomine erat celebre, sibi delegit, in quo religionis ardore tempus con-

m) p. CCCC XXI - CCCC XLVI

conficeret, dubiis ſane compluribus, de ueritate religionis, quae Chriſtum ſalutis Vindicem ſuſpicit, principio uexatus. Anno CIↃ CCCC XXIV in monaſterium, dioeceſis Colonienſis, *Bodingenſe* miſſus, ſacris aliquandiu uacauit. Mox emendatione adhibitus, primum interfuit illi, quae An. CIↃ CCCC XXVIII *Ludinkerkae* in Friſonibus, coepit, eoque anno CIↃ CCCC XXIX peruenit. Inde eodem adhuc anno digreſſus *D. Mariae in Sion in Beuervvick* in Batauis, eandem curam ſuſcepit, collega Godefrido de Teyla *n*). Poſtuero, quam Godefridus ille *Prior* factus in monaſterio Vitenborgenſi eſt, *Subpriorem* Buſchium aſciuit *o*), quo munere per biennium functus eſt *p*). Anno CIↃ CCCC XL *Praepoſitus in Sulta*, monaſterio, iuxta Hildeſhemium ſito, conſtitutus, emendationem eius, quam difficili negotio coeperat, ad formam et regulam VVindeſemenſem perfecit *q*). Huic praefuit annos fere nouem. Anno CIↃ CCCC XLVIII a Friderico, Antiſtite Magdeburgico, *Noui Operis* apud Halenſes *Praepoſiti* dignitate auctus, ſeptem paene annos ſalutari conſilio ſe monaſterium gubernaſſe, teſtis ipſe eſt, ſed diſciplinae ſeuerioris cura multorum animos commouit, ipſiuſque Antiſtitis Friderici, ut munus deponeret ſua ſponte, non ita multo

 poſt

n) u. Buſchius de Reform. L. I c. I II III
o) c. XI p. CCCC LXXXVIII
p) c. XII p. CCCC XC
q) c. XIII p. CCCCXCIII ſeq. CCCC XCVI

poſt a Nicolao Cuſano emendationis, per Germaniam, collega nominatus, addito D. Paullo, Diui Mauritii apud Halenſes pariter *Praepoſito*, ut adeo Antiſtitem conſilii uehementer poeniteret *r*). Quantum profecerit ſacro iſto negotio, ipſe praedicat ad Annum CIↃ CCCC LXXIII, *Nunc -- ambulaui in religione pluſquam per ſex millia quingenta et uiginti milliaria, ad diuerſa monaſteria reformanda, ad centum uiginti pene ciuitates et oppida, praeter uillas interiacentes, et ad plus, quam uiginti caſtra* *ſ*). Saepe, propter ſtudium renouandae ſanctioris uitae, morumque conſuetudinis, uitae diſcrimen adiiſſe, ſupra accepimus. Hinc annos LXXII natus Dei praepotentis in ſe, tot inter pericula conſeruato, prouidentiam gratus agnoſcit *t*). Duo, quae ipſe recenſet, monumenta poſteritati dedit, alterum de *Viris illuſtribus*, ſiue *de Origine Congregationis Vindeſemenſis et Viris illuſtribus*, eo titulo ab Heriberto Roſueidio, Antuerpiae CIↃ IↃ C XXI forma octaui, ut dicunt, ordinis, emiſſus *u*). Librum iſtum confecit, depoſito *Praepoſiti* Halenſis, in *Nouo opere*, officio, ad Sultenſes ſuos reuerſus. Ita enim ipſe teſtis uerus, *Dominus in Vindeſem me remiſit, ad ſcribendum de Viris illuſtribus librum, quia alias ſcriptus non fuiſſet*

r) p. CCCC XCVIII IↃ II IↃ III ſeq.

ſ) L. III c. LIV p. IↃ CCCC LIV

t) L. III c. I p. IↃ CCCC XIV

u) Leibnitius Introd. ad T. II n. XXXIX p. XLII

fuisset x). Alterum nominis monimentum, quod ab ipso editum habemus, est opus perelegans, de *Reformatione Monasteriorum*, siue, ut ipse inscripsit, *de diuersorum utriusque sexus monasteriorum ordinum diuersorum reformationibus*, quatuor libris distinctum, quod anno CIↃ CCCC LXXV aetatis LXXVI absoluit *y)*. Ex eo ipso statum et conditionem monasteriorum satis perspicue cognoscere licet. Ipse Buschius, exactis fere XX annis in Sultensi monasterio anno CIↃ CCCC LXXIX otium, senio, laboribusque confectus, delegit, tumulo etiam, postquam uiuere desierat, in eodem illatus *z)*. In conquirendis omnibus libris magnam sane operam laboremque adhibuit Celeberrimus God. Guil. Leibnitius, ac primam quidem partem illius, quae T. II conspicitur *a)*, ex Hamerslebiensi monasterio ab Henr. Hofmanno, tabularii praefecto Hanouerano, descriptam habuit. Pleniorem codicem manuscriptum ex bibliotheca Academiae Cilonienss, opera et auxilio V. C. Sebastiani Cortholdi, impetrauit. Sed cum necdum integer uideretur Buschius, multis tandem precibus Io. Casp. Zeppenfeldium, coenobii Sultensis Praepositum, ut, qui extabat, in coenobio isto, descriptum communi-

x) L. I c. XIV p. IↃ IV
y) L. III c. LIV p. IↃ CCCC LV IↃ CCCC LXIV
z) u. Appendix ad Io. Buschium p. IↃ CCCC LXXI
a) p. CCCC LXXVI - IↃ VI

nicaret, adduxit. Ex quibus, quanto potuit ſtudio, reſtituit Buſchium, non eo tamen ordine, quo uoluiſſe uidetur, dum, quae ipſe habuit ab Hofmanno deſcripta, prius recenſuit, reliqua, quia ſerius accepit, non potuit non, multis interpoſitis ſcriptoribus aliis, et addere, et emendare *b*).

XXV

CHRONICON ELVVANGENSIS *monaſterii*, quod incipit an. CIↃ XCV et deſinit an. CIↃ CCCC LXXVII perexiguum eſt, et rebus, quae memoriae ſeculi cuiuſuis inſeruiant, indiget, *excerptum*, ut loquitur Freherus, per Matth. Mareſchalcum, Canonicum Auguſtanum, editum a M. Frehero parte I in fine.

XXVI

Auctor CHRONICI *Epiſcoporum Verdenſium*, quem, accommodate ex Chronico Corbeienſe ad annum CIↃ CCCC XXX *c*), colligit, eſſe GEORGIVM HIRTIVM, Leibnitius illuſtris. Ita enim habent annales illi, *Georgius Hyrte, lector in uicino monaſterio, omnium Pontificum in Verden Vitas, ordine et prolixe deſcripſit, interiectis multis rarioribus rebus.* Incipit uero iſtud Chronicon a temporibus Caroli M. anno IↃ CC LXXXVI primoque, quem putat

b) p. IↃ CCCCVI - IↃ CCCC LXXI u. Introductio eius ad T. II p. XLIV

c) p. CCCXVII T. II Script. Brunſu.

putat cum aliis, Pontifice S. Suiberto, ac finit in Bertoldo, anno sigillatim LXXX seculi XV multaque habet singularia, quamuis breuiter cuiusuis memoriam, in alias regiones etiam egressus, celebret. Quanquam Bertoldi, aliorumque, qui ante eum fuerunt, VII nomine, imagines additas, recenseat auctor ad extremum, noluit tamen aere denuo exprimere illustris Leibnitius, scriptis eam conseruasse, contentus. Edidit enim Chronicon, beneficio intimi, apud potentissimum Borussorum Regem atque El. Principem Brandenburgicum, consiliarii Aluenslebii *d*).

XXVII

Factorum et Actorum Praesulum Nuenborgensium, usitatius Numburgensium, auctorem existimat Cl. Paulinius esse IOANNEM *Isenacensem*, qui *Decanus* ecclesiae fuit *cathedralis*, ut dicunt, Numburgensis. Ioannem auctorem facit Iodocus Trutuetterus, epistola, qua Diterico Hoepfingio, *Decano S. Mariae* apud Isenacenses, Chronicon hoc remittit, auctorique gratiam suo nomine exsoluit *e*). Vixit Ioannes iste, Petro et Georgio Hauguitiis, et Theodorico III, ex Burgsdorfiana gente, Antistitibus, Antistitesque suos, inde ab Hugone I anno ɪↄccccLXVIII breuiter quidem, attamen industrie,

d) T. II p. CCXI - CCXXII

e) p. CLII

ſtrie, uſque ad Henricum II annum uero cıↄ cccc lxvii quo e uita migraſſe, alius, quicunque fuerit, annotauit. Henricus uero, Antiſtes LXXXI demum praeconem illum ſuum mortalitate ſecutus eſt *f*). Alius, idemque obſcuro nomine, proſecutus eſt, additis tamen duobus duntaxat Pontificibus, Diterico IV et Ioanne III praeclara et antiqua Schoenburgiorum familia procreatis. Et quia pro Ioannis, an. cıↄ cccc xcii deſignati praeſulis, ſalute uota nuncupat, certum eſt, hic finem ſcribendi feciſſe. Vtrum uero Caſpar Holzapfelius, VVangenheimenſis, quem famulum Ioannis Iſenacenſis uocat Paulinus, et, in collegio D. Virginis Iſenaci *Scholaſtici* titulo anno adhuc cıↄ cccc xcvi uixiſſe, tradit, utrum, inquam, auctor ille ſupplementi perexigui ſit, diuinare non queo. Illud tamen addit Paulinius, accepiſſe illud antiquum monumentum ab Holzapfelio Franciſcum Sextum, collegii eiuſdem *Canonicum* ultimum, ab hoc, quippe ſocero ſuo, Io. Himmelium, ſacerdotem Iſenacenſem, cuius, proaui ſui, beneficio protulit in lucem ipſe Paulinius *g*). Paulus tamen Langius, et Caſparus Sagittarius, utrum habuerint, cum Citienſium et Numburgenſium res antiquas perſcriberent, uix dubitandi cauſas, ſibi, ſubeſſe, perſuadet.

XXVIII

f) p. CXLV
g) Syntagm. Antiquit. Germ. p. CXXIX-CLII

XXVIII

SIGISMVNDVS, religiosi apud Augustanos ordinis uir, edidit *Augustanum Chronicon ecclesiasticum*, siue, ut ipse inscripsit, *descriptionem monasterii Sanctorum Vdalrici et Afrae*, idque ab initio rei christianae inter Augustanos, usque ad annum CIↃ CCCC LXXXI quod anno seculi eiusdem octogesimo tertio Ioanni, abbati suo, inscripsit. Agnouit in eo, si ad antiquiora respicias tempora, errores Pistorius, neque emendare de industria uoluit, ut, quae in primis illis seculis fides sit, omnibus constaret. Praeter insigniores eos, et fabulas, Ottoni III imp., collegii septemuiralis originem tribuit, et collapsae in Germania disciplinae inter sacerdotes, culpam nefarie imponit imperatoribus, qui, uindicantes sibi antistitum sacrorum constitutionem, quibuscunque copiam, parata pecunia, *simoniace*, muneris sacri fecissent. Prouocat ad schedas, et maius chronici uolumen. Optat Pistorius, ut simul edi in lucem potuisset. Quia uero spes eius impetrandi nondum fuit, Sigismundum interea parte III script. Germ. complexus est *b*).

XXIX

Auctor *chronicae Slauicae*, quam Erpoldus

b) p. LXXXIX adde Vossium de Hist. Lat. L. III c. VI p. IↃLXXI.

dus Lindenbrogius emisit, in Vagria uixit *i)*, et res Slauorum, cum primis Vagriensium, Lubecensium, Rostochiensium, finitimorumque complurium, usque ad annum CIↃCCCC LXXXVII breuiter enarrauit. In antiquissimis rerum Slauicarum temporibus auctores sequitur Adamum Brem., Helmoldum, Cornerum, rerum Lubecensium scriptorem. Edidit hoc Lindenbrogius cum alio quodam, eoque breuissimo, *Chronico Slauico*, quod incipit a Christo nato, usque ad annum CIↃ CC LXV itemque cum *Historica narratione de origine gentis Danorum, et regibus eiusdem k)*.

XXX

ALBERTVS CRVMMEDICCIVS, familia militari (forte equestri) in Holsatis natus, initio Ecclesiae Lubecensis *Canonicus* fuit, et per plures annos in curia Romana uersatus, atque officio *Notarii in Rota* functus, denique Antistes Lubecensis est electus. officio, non, ut debuit, functus est, tametsi proposuerat. Nam, dum splendidius et sumptuosius, quam reditus ferre possent, mensam instrueret, et liberius iusto uiueret, liberaliusque beneficia daret, accidit,

i) quod cap. III ipse prodit. an. CIↃ CCCC LXXVII indicat se id temporis, et, ut coniicio, Lubecae, de qua pluribus disserit, uixisse.

k) Tomo scriptor. Septentrional.

dit, ut facultates sacerdotii, pignori obiectas, fere in discrimen adduceret, nec relinqueret, unde mortuus, quod accidit ciↄ.ccccLXXXIX efferretur. Mortuo enim creditores adfuerunt constanter, sibi quisque de securitate cauturus. *Mitram pontificalem, cum gemmis ornatam, et baculum pastoralem argenteum et annulos, quibus utebatur, in mortis articulo sorori suae, pro sepultura, alienandos, assignauit*, ut testis locuples est auctor, qui supplementum Chronici Lubecensis confecit *l*). Ac moerore sane, quam ex aere contraxerat, confectus, uitam perdidit, annos plus minusue LXX natus. Aulae, in qua saepius fuit, legationesque, maxime a Christierno, Danorum rege, cui obsequio dicam, an officiis et studiis, deuinctus uideri uolebat, delatas assidue obiit, aptior, quam sacerdotio, cui magnum, quoad uixit, detrimentum attulit imprudens. Cranzius, liberiori uiuendi ratione, munificentia, et legationibus, quas suis sacerdotiique sumptibus etiam subiit, testatur, res contraxisse *m*). Vno tamen monumento, quod extat, de Lubecensibus bene mereri elaborauit, *Chronico*, quod a primordiis sacerdotii Aldenburgensis, quod quia Lubecam auspiciis Henrici L. translatum est, Lubecense etiam uocatur, cepit, atque

Yy ab

l) p. CCCCV

m) Metrop. L. XII c. IV quem locum affert Meibomius.

ab loco, quo postremo floruit, *Lubecense* inscripsit. Incipit uero a Conditore, Ottone M. et, quem primum Antistitem ibi nominauisse dicit, Marcone *n*) horumque res breuiter usque ad Arnoldum, Vestphalum, in quo desinit, recenset. Finem statuit *Anonymus* anno CIↃ CCCC LXXVI Collegit uero omnia, ut ipse loquitur, *ex Chronicis uariis, et registro mensae Episcopalis Lubecensis*, meminitque Helmoldi, ex quo profecisse in primis uidetur. *Anonymus* ille, qui et uitam Crummediccii paucis attigit, eadem breuitate produxit Chronicon usque ad Guilelmum Vestphalum, qui anno CIↃ IↃ V Antistes est factus. Primum ex tenebris protraxit Henricus Meibomius, iunior, de patria ciuitate, Lubeca, uel hac ratione, bene meritus *o*). Nactus idem exemplum, quo usus antehac fuerat, lau-

n) Quamuis ex Helmoldi Chron. Slau. Lib. I c. XII haud dubie Marconem primum Antistitem constituat, tamen, non sine causa, miratur ad Crummediccium Meibomius, Helmoldum, qui tamen Adamum Bremensem frequentius sequitur, hic discedere ab illo, qui Hist. Eccl. L. II p. XVIII Tom. Lindenberg. diserte, *Eduardum*, quem Latine Euagrium dici, commentatur, primum ab Ottone, Antistitem constitutum asseuerat. Crummediccius uero Eduardum, uel ut ille quidem scribit, Eguardum, secundum uocat. Pluribus de Eduardo ex Adamo Bremensi egimus supra, et demonstrauimus, primum eum ab Adamo nominari antistitem Aldenburgensem.

o) T. II p. CCCXC - CCCC XII

laudaueratque Henricus Bangertus, cum Helmoldi et Arnoldi Chronica notis ornaret.

XXIX

TELOMONIVS ORNATOMONTANVS, ab Henrico Meibomio uocatur ciuis Brunſuicenſis in Chronico Riddagſhuſano *p)*, alias ludi magiſter apud Brunſuicenſes. Auctorem, ſuſpicatur Leibnitius, immutandi pruritu Telomonii, uel, ut Meibomio ſcribitur, Telamonii nomen aſciuiſſe, cum forte dictus fuiſſet Tilemannus, cum quidem id temporis Tilemannus quidam, rector ſcholae Brunſuicenſis, reperiatur in *Collectaneis Blockianis*. Edidit *deſcriptionem belli inter Henricos duos*, Duces Brunſuicenſes et Luneburgenſes, quorum alter Guilelmi, alter Ottonis, erat filius, et *ciuitatem Brunſuicenſem*, quod anno CIↃ CCCC XCII eſt geſtum, ad Ludouicum, nepotem ſuum, qui literis etiamnum operam dediſſe tum uidetur. Ipſo anno, quo pax utrinque coaluit, edidit, uidelicet XCIV atque Hildeſiae, quam laudibus effert, edidiſſe, coniectura probat *q)*. Multa ſane, quae ad mores ciuium, locique naturam pertinent, in commentarium retulit, nihilque, quod ad laudem Brunſuicenſium conferre quicquam poſſit, praetermiſit. Illud tamen deſiderat, quod a cultu elegan-

 tioris

p) T. III p. CCCLXXXIX
q) p. LXXXVIII

tioris doctrinae longissime absint. *Nulla*, inquiens, *hic studia gentilium literarum, poeticam oratoriamque prorsus ignorant, Grammaticae duntaxat ac Dialecticae operam adhibent* r). Cetera Telomonius, cum ad antiqua patriae tempora recurrit, et origines Principum renouat, insigniter errat, quando, illos per Fridericum II imp. *Saxoniae Ducum* titulum amisisse simul, *et Luneburgensis Ducatus*, per eundem recuperasse, asseuerat, cum tamen certum sit, et alias a nobis demonstratum, Fridericum I cui Aenobarbo cognomen est, ob causas, quas recte adducit Telomonius, Henricum L *Ducatu* Baioariae et Saxoniae multasse, Fridericum II uero, quod uerum est, Brunsuicensibus Ducis titulum longo post tempore demum reddidisse ſ). Libellum ipse suum anno, quo pacem Duces inter et ciuitatem Brunsuicensium restitutam diximus, edidit, repetiitque Leibnitius, parte II Script. Brunsuic. t).

XXX

GREGORIVS VVITTEHENNIVS u), natus Huxariae CIↃ CCCC XL *in festo omnium Sanctorum* x), parentibus Sebast. VVittehenne, pa-

r) p. XCI

ſ) p. LXXXIX

t) p. LXXXVIII - CIII

u) *VVeissebenne*, stilo Saxoniae nostratis, ipse auctor p. CXXXIV monumento, quod fratri Casparo posuit, filium uocat *albae gallinae*.

x) p. CXLII

patricio et ſenatore, qui A. cIↃ CCCC LXV mortuus eſt *y*), matre, Martha, gente Rotermundia, quae uita exceſſit anno LXXII, annoque poſt obiit etiam Frater eius *M. Caſpar z*). Patruus Gregorii fuit Theodorus, de quo ſupra in Gobelino diximus *a*). Moguntiae et Coloniae Vbiorum ſtudiis operam nauaſſe, diſcimus ex monumento, quod mortuo illi poſuerunt. Anno cIↃ CCCC LXVII aetatis XXVII *Preſbyteri et Canonici* dignitatem impetrauit in patria ad D. Petri, eoque officio XXXI annos functus e uita migrauit anno cIↃCCCCXCVIII aetatis LVIII *b*). VVittehennius *Chronicon* Petri VViſſelbeccii, quod ſupra laudauimus, exaratum eius manu accepit a fratre ſuo M. Caſparo. De quo ita, *Perrexi, quo ille deſiit, anno* (cIↃ CCC XCV) *et ad meam uſque aetatem fideliter deduxi*, ad annum cIↃCCCCXCVIII in quo ſubſiſtit *c*). Magnam ille induſtriam collocauit in antiquitatibus, quas habuit VViſſenbeccius, perueſtigandis, uoluitque omnia inſtrumenta integro complecti uolumine, ſed religioſorum hominum inuidia, queritur, impeditum ſemper, nihil perfeciſſe *d*). Dolendum ſane, nonnulla

 tem-

y) p. CXXIX
z) p. CXXXIV
a) u. Chron. p. CH
b) p. CXLV ſeq.
c) p. C et CXLIV
d) p. CXXXVI

temporis iniuria periisse *e*). VVittehennium secutus *M. Nicolaus Erbenius f*), ciuis eius et ad D. Kiliani in patria urbe sacerdos primarius, pari diligentia ad annum usque CIↃ IↃ LXIX pertexuit, rebusque, quae memoria digna sunt, ipsisque Pontificiis ingrata, distinxit, adeo, ut perlibenter, si potuissent impetrare, luci publicae eripuissent *g*). Ita memorabile est, e. c. quando Erbenius ad annum CIↃ IↃ XVIII *h*) refert, in Sacerdotio Huxariensi primarium dixisse, cum quidem Lutherus Tezelio positionibus suis obicem posuisset, *Min leere Broder Merten, vvenn du dat Fegesuhr, und die Papenmarckententerey stoermen und vvegschludern kanst, bestu vor vvahr en groter Here.* Atque, cum felicius propositum succederet, alios dixisse, non ita multo post, testatur, *VVann dat Ding lange duhrt, vverden use Pfründen sehr innschrumpfen i*).

XXXI

VVERNERVS ROLEVINCCIVS, licet seculo XVI excesserit, huc tamen potissimum spectat, quia, quiequid superest de eo,

e) dicto loco.

f) Anno CIↃ IↃ LXIV beneficio S. P. Q. Huxariensis in Academia Marpurgensi Magistri laurum adeptus est p. CLVII Plura de uita eius Paullinius in praef., quae, breuitatis causa, omitto.

g) p. CLIX

h) p. CL

i) p. CLI

eo, hoc XV seculo confecit. Erat is natione Vestphalus *k)*, Larensis patria, ordine *Carthusianus*, apud Vbios, eruditione et scriptis clarus, anno, ut Vossius *l)*, ex eoque Sagittarius *m)*, CIↃIↃ II uita functus. Huc usque a plerisque collaudatus fuit propter *Fasciculum temporum*, quem ab orbe condito ad aetatem suam, cum primis annum, ut Vossianus codex probauit, CIↃ CCCC LXX produxit. Nonnulla tamen addita, additis quatuor annis, post comparent. Atque anno LXXIV desiit ea, quae Louanii patefacta est, editio, tamen auctoris nomine omisso. Adiecisse tamen annos deinde complures, Vossius testatur, ac produxisse ad annum CIↃ CCCCLXXX Sed in editione Pistorii annus LXXXIV ultimus est, idemque Innocentii VIII Pontificis R. primus. Ab anno CIↃ CCCCLXXV exorsus *Ioannes Linturius*, Curia Variscus *n)*, ad annum CIↃ IↃ XIV progressus, pa-

k) p. IↃ C XLV refert, se in Monasteriensi dioecesi natum.

l) L. III c. VI

m) in Introd. c. X § X

n) Historiam Varisciae, sigillatim Curiae dedit Io. Andreas Planerus, Mathematum Professor in inclyta Saxonum Academia, sed in elegantioribus studiis maxime uersatus, et nuper praemature rebus humanis ereptus. Hoc ipso, quod hic laudamus, specimine bene de Variscis est meritus, quando Curiae sigillatim res perscripturus, Variscorum origines longius repetiit, laudemque et

triae tamen magis, quam reliquarum gentium, res, memoria dignas, enarrauit *o*). Vossius, et qui Vossium secutus est, Sagittarius, praeclari illius, quo de patria optime est meritus, operis necquicquam iniiciunt mentionem. Vossio, ueluti tamen per somnum, opinor, excidisse, quando, de *origine Frisonum* reliquisse librum, scribit, cum haud dubie Vestphalos accipere eo nomine debuisset. *De antiquorum* namque *Saxonum Situ et Moribus* libros tres in uulgus edidit, Coloniae, ut celeber. Leibnitius testis est, in forma ordinis quarti, cum quidem nominis famam scriptis amplificare conaretur. Iterato labore, luci publicae restituit Orthvinus Gratius *p*) post sex et uiginti annos, quam Vernerus ediderat, anno CIↃ IↃ XIV et Erico, Monasteriensium Pontifici. inscripsit, atque ita Leibnitius, quia non Vestphalorum modo, sed Ostphalorum quoque, Saxonum, adeoque Brunsuicensium, mores attigit, atque illustrauit, parte III script. Brunf. renouauit *q*). Ipse Roleuinccius prooemio, *Nescio*, ait,

famam uel hoc scripto sibi primum collegit, anno CIↃ IↃCC II dignum quod conferuetur.

o) Vid. prooemium T. II Pistoriani, quo continetur,

p) Ipse nominauit se Ortvvinum de Graes, in dioecesi Monasteriensi natus, Dauentriae, disciplina Viri Cl. Alexandri Hegii, adoleuit, unde, ait, se Dauentriensem uulgo nominari p. IↃCVI seq. T. III Leibnitii, qui nonnulla de eo ipso addit, in Introd. in T. II n. XXV p. XX seq.

q) p. IↃCVI - IↃCLIII

sit, qua forte in VVestphaliam, quasi in natale solum delectabilius aduolo absens, ueluti ipsa prae cunctis aliis, quod non putatur, deliciis atque diuitiis sit referta. Puto, aliquid ibi latere, quod non aeque praesto mortalibus est, de quo si sermo suppeteret, tanquam patriae debitor, ad Dei gloriam, et cunctorum istorum, qui hinc originem traxerunt, et de post futuri sunt; pauca e multis, utinam fructuose, placeret conscribere.

XXXII

Eodem refero ERDVVINVM ERDMANNVM, consulem Osnabrugensem, uirum propter eruditionem, et multam rerum cognitionem, omnibus, Principibus iuxta, atque Antistitibus, carissimum, quemadmodum ex Hermanno Hammelmanno colligit, et docet H. Meibomius, Henrici nepos. Ad annum CIↃ CCCC XLII testatur, se in Concilio Basileensi in causa, quae de captiuitate Ioannis, Comitis Hoiensis, intercedebat cum ciuitate Osnabrugensi, suis de securitate prospexisse r), et ipse, se interfuisse consiliis, asseuerat ſ). Is uero, ut antiquitatis amator fuit, ita *Chronicon*, quod habemus ab eo confectum, *Episcoporum Osnabrugensium*, ab initio sacerdotii summi, quod ad Carolum M. refertur, usque ad annum CIↃ CCCC LIV magno labore, composuit, admonitionibus quidem

 Con-

r) p. CCLVI

ſ) p. CCLXIII

Conradi, Antiſtitis Oſnabrugenſis, et Lamberti de Beueſen, *eccleſiarum Cantoris maioris, et ſancti Ioannis Oſnabrugenſis Praepoſiti*, ita, ut *ſub ſcamnis antiquorum Praelatorum, qui paruam aut omnino nullam de his habuere curam* repererit multa, uti loquitur in prooemio *t*), multa collegerit, ex tabulario ſcriniiſque ſacerdotii ſummi *u*), neque uero tabulas integras ſemper recitauerit, uel recitare potuerit, quod intelligas ex ipſius uerbis *x*). Prouocat ad Chronicon Schauenburgicum, opinor, Hermanni Lerbeccii, de quo diximus ſupra *y*). Obiiſſe CIↃIↃV contra Hamelmannum docet Henr. Meibomius, H. nepos, qui et primum e manuſcripto, attamen, quod dolet in primis, minus integro libro, protulit P. II Scriptorum Germanicorum *z*).

XXXIII

Huc pertinere VITVM ARENPECCIVM, intelligo, auctore Ioanne Auentino. Is etenim inter ſcriptores domeſticos numerat, et, parentum memoria, claruiſſe, teſtatur ſub *Georgio*, cognomento diuite. Vitus noſter, patria Landiſhutanus, dignitate ſacerdos Friſingenſis, hiſtoriam Bauaricam, eodem Auentino teſte, Latina et Germanica lingua diligenter colluſtrauit,

t) p. CXCV
u) p. CCXLIX
x) p. CCLXXIX
y) p. CCXXXI
z) p. CXCV - CCLXIV

uit, et *Chronicon* reliquit, quod in bibliotheca Frisingensi asseruari, obseruat Vossius *a*). Ex quo *Excerpta* duntaxat de Guelfis dedit Leibnitius *b*), integrum Chronicon doctis Bauariae uiris proferendum relicturus. Legit Scriptores, qui historiam Guelforum antiquitus perscripserunt, in his maxime Ottonem, Radeuicum, Frisingenses, monachum VVeingartensem, aliosque testes domesticos, adeoque Origines Guelforum collegit industrie, quae disperse alias occurrunt. Singulare in eo obseruat Leibnitius, quando, Azzonem, patrem Guelfi IV Ducis Baioariae primi, per Henricum IV anno CIↃ LXXI constituti, Estensem fuisse, unus ille memorat, probatque, Guelfos ex Italia necessitudinem repetere, quam ante Auentini tempora ignorauerant Brunsuicenses, ut testis est Leibnitius *c*). Sed tamen et erroribus quibusdam, ut assolent id temporis, quando ad superiora respiciunt, seduxit Auentinum et Crusium, uiros cetera industrios, et rerum antiquarum imitatores alioquin prudentes. Neque tamen adeo cumulauit eos, ut reliqui isto etiamnum tempore, sed prudenter selegit, ut integrum uidere aliquando eius Chronicon praeoptemus *d*).

CAPVT

a) L. III c. VI p. IↃ LXV
b) Tomo III numero XXVIII
c) ad T. III p. XI XII
d) Leibnitius Tomo III numero XXVIII

CAPVT XVIII

I

Transeo Io. Shiphoferi Chronicon *Archi-Comitum Oldenburgensium*, auctoris incerti *Megdeburgicum*, Ioannis Craemeri *monasterii S. Petri in Monte Crucis ad Verram*, Io. Legatii Hildesheimense, aliorumque, qui, licet scribendi dignitatem, quae historicos decet, nondum assecuti fuerint, adeoque non ad emendatam historiae rationem accesserint, tamen, quia seculo XVI desierunt, ne fines egredi uideamur, hic praetermittuntur. Ad eos igitur transimus, qui patrio sermone historias, maiori nunc, quam ante hoc tempus, numero confecerunt, in quibus expromendis omnium conatus superauit illustris G. Guil. Leibnitius, qui parte tertia Scriptorum, qui Brunsuicensium res illustrant, fere plerosque complexus est Germanos. Necdum, quod equidem sciam, in lucem aspectumque publicum prodierunt, quae laudibus effert Io. Craemerus e), et quidem *Liborii Schelenii*, Ludimagistri in uilla Scherbde, qui omnium Landgrauiorum (Thuringiae) *res memorabiles gestas* carmine, et sermone quidem patrio, descripserit, anno CIↃ CCCCLIII memorabili praemio donatus. Non fuisse rudem rhythmis, et res satis accurate potuisse

e) p. CCCXIV

tuisse exprimere, tradit. Tum *Petri Suruelti*, qui Sanctorum Patronorum (forte monasterii Sanpetrini) uitas rhythmis pariter, uti essent plebi usui, dicitur complexus CIƆ CCCCLV *f*). Sed, quia plebi consulere duntaxat in animo habuit, facile est intellectu, e plebe poetarum fuisse auctorem, itemque *Ioannis Laurentii*, *Vicarii* Gothani, uti uocatur, qui paruum *Chronicon* de Monasterio *S. Crucis* Germanice, quod gratum acceptumque fuisset, confecit *g*).

II

Auctor *Chronici Luneburgici*, quod lingua Saxonica ab initio Ducatus Luneburgici, usque ad annum CIƆ CCCC XXI protulit, ciuis Brunsuicensis fuit, atque hinc, amori ciuium dandum aliquid, existimans, iniquius de Ducibus Brunsuicensibus, nominatim de Magno, quem Torquatum uulgo dicunt, eiusque filiis, quibus diuturnum cum Brunsuicensibus bellum intercessit, pronunciat, sicuti pluribus ex seculo XV constat, causasque eius belli patefecit Illustris Leibnitius *h*). Ex ipso titulo, quem praefecit Chronico, quo animo erga Duces fuerit, constat, ut simul intelligamus, quam fidem, siquidem a reliquis discesseris, uoluerit tenere. Atque ex hoc ipso annalium conditore animaduertas, odium,

f) p. CCC XV
g) p. CCC XVI
h) In Introd. in T. III p. VI

odium, quod cum aequalibus et superstitibus saepius suscipitur, ad maiores illorum, nihil tale unquam promeritos, ab hominibus imprudentia deuolui. Cetera, ut in primordiis *Ducatus* haesitat, ita ipsius Hermanni Billingi natales obscuros et humiles ex plebeiis annalibus, et incertis scriptoribus, quos secure secutus est, confirmat. Edidit eundem Leibnitius *i*).

III

IO. STADVVEGIVS, Poppendiccensis, *Chronicon*, quod ex prooemio patet, ab orbe condito, ad sua tempora scripsit. Desiit enim in Alberto II et Felice V. Pontif., nam, exemplo Martini Poloni, de Imperatoribus simul, atque Pontificibus Romanis, una semper regione, exposuit, quod ex ea quidem parte, quam a temporibus Caroli M., omissis superioribus, in lucem emisit illustris Leibnitius, intelligimus. Breuior quidem est, sed, in rebus Guelforum, non contemnendus, quanquam in primis illis temporibus non omnino accurationem assequatur. Vsus eo est, cum de Irminsula, et Hermanni Billingi natalibus commentaretur Henr. Meibomius, senior, atque, his cognitis, Leibnitius explorauit id ipsum Chronicon, factaque eius ex tabulario ciuitatis Hildesheimensis

i) T. III n. IV p. CLXXII - CXCIX

mensis, per Cl. C. B. Behrensium copia parte III script. Brunſ. conseruauit *k*).

IV

Excerptorum Chronici HERMANNI CORNERI, *ab A. cIↄ CCC LXXI ad An. cIↄ CCCC XXXV cum Continuatione ad Annum cIↄ CCCCLXVI* auctor ad an. cIↄ cccc xxxviii agit de nobili Visculorum apud Brunsuicenses familia, ac Henrici quidem Visculi, consulis, filios, Guilielmum et Nicolaum, cum matre Beata, describenda curasse Hermanni Corneri, Doctoris Theologi, uti uocatur Chronico Luneburgico, paullo ante allato *l*), cuiusque uitam breuiter recensuit Leibnitius *m*). *Chronica*, quorum alterum coepit ab orbe condito, desiitque in Carolo M., alterum a Carolo ad sua tempora produxit,

k) p. CCLXIII - CCLXXVI

l) p. CLXXXII

m) Introd. in T. II num. XLVI p. LI seqq. Lubecensem uocat Meibomius, auus, familiaeque Dominicanae monachum. Huius Scriptoris opus historicum, quod, Hieronymo Henningesio affirmante, produxerit usque ad an. cIↄ CCCC XXXV ad superiores Germanos peruenisse colligit ex Francisci Irenici Exegesi Lib. III c. LIX LXII LXIII et CV Manuscriptum extare in bibliotheca Amplissimi Senatus Luneburgici testatur in Vindiciis Billinganis p. XXXVIII seq. Tom. III Script. Germ.

duxit, usque ad annum CIↃ CCCC XLV scribendique operam nauasse *Tilemannum Roterhoff.* Quamuis ipso in auctore annus seculi XLV nominetur, Leibnitius tamen, quia in codicibus Cornerianis duobus, quorum alter Luneburgi latere dicitur, alter Helmstadii, in anno XXXV subsisterent, hunc ipsum, pro XLV reponendum, putat *n*). Supplementum ab anno CIↃ CCCC XXXV usque ad XXXVIII, quod mox adiecit, deprompsit ex bibliotheca Seren. Princ. Elect. Brunsuicensis, omissis, quae ex Corneri Latino Chronico, in compendium redegerat, atque Germanice reddiderat auctor, uti, tres anni, qui additi duntaxat ab hoc ipso sunt Corneriano illi, extarent. Ceterum res Luneburgensium et Brunsuicensium continent, interpositis interdum, quae in Germania tum usu uenerunt *o*). Non multo post comparet *Fragmentum Chronici Bardeuicensis*, quod longius quidem respicit, atque a tempore Ludouici Pii, imp. initium capit, sed rerum gestarum seriem perbreuem sistit, usque ad annum CIↃ CCCC XLI ut annos numerasse, neque tamen errores omisisse, uideatur, quod uel ex unius Henrici L. causa mihi constat, quem, a Mediolanensibus corruptum, deseruisse

n) in Introd. in T. III p. VI seq. u. Excerpta ipsa Chronici p. CC I

o) extat T. III p. CXCIX CCXVI

ruisse Imperatorem Fridericum, narrat *p)* Plura ad illustranda, quae de Magno, uulgo Torquato, supra attigimus, confert *Narratio uetus de Ducis illius fatis*, quae ibidem apparet *q)*.

V

HENRICVS LANGIVS, consul reip. Luneburgensis, qui ob aes alienum, quod bello cum ducibus Brunsuicensibus, de quo paullo ante diximus, contraxerant, pecuniaeque, quae ex reditibus ad rem sacram, *Praelatorum* maxime, pertinebat, satisfacere, recusauerant, cum collegis in uincula coniectus, nouo magistratui, qui in abrogati ueteris illius locum substitutus fuerat, cedere est coactus. Quae res uti Luneburgenses uicinosque acrius committebat, ita mutationis periculo perterriti illi, arbitrio regis Daniae, tum Holsatiae domini, et Antistitum Suerinensis pariter ac Lubecensis, pacem, non sine urbis detrimento, receperunt A. CIↃ CCCCLXI id pluribus ex temporum rationibus memorauit Leibnitius *r)*.

p) p. CCXVI - CCXIX

q) p. CCXIX - CCXXI

r) p. VIII T. III introd. p. in primis Conrad. Botho Chronico ad An. CIↃ CCCCLIV p. CCCC VIII addatur Iac. Keurelius, Chronico Hildesh. §. XLIII p. CV Syntagm. Paulini.

Atque de origine huius belli, et caufis, ipfe pleraque in tabulas retulit Langius, calamitatefque, quas eo ipfo fubiit, perfcripfit copiofius, fub titulo *de Origine belli Praelatorum Luneburgici f)*.

VI

CONRADVS BOTHO, *ciuis Brunfuicenfis, et patruus illorum ciuium nomine de Bothen*, qui Vernigerodae uixerunt, uti quidem teftis, aetate proximus, eft, et in labore profequendo adiutor Io. Kerkenerus, qui obfcurum auctoris hucufque nomen patefecit. Edidit Botho ille *Chronicon Brunfuicenfium Picturatum, dialecto Saxonica*, uti quidem infcribitur ab illuftri Leibnitio, opinor, quia potiffimum Brunfuicenfium, ac Guelforum, origines, et res memorabiles, enarrauit. De his enim data opera tradit, quamuis ipfum Chronici initium altius repetat, atque ab orbe condito, more feculi, ordiatur. Non tamen copiofus eft in antiquiffimis temporibus, fed mox ad gentis fuae familias defcendit. *Picturatum* uocatur, quia imaginibus, ex ligno confectis, quarum una faepe complurium faciem refert, conftat. Initio fub nomine duntaxat *Chronici Picturati*, uel *Chronike der Saffen*, obfcuro auctoris nomine, exiit

f) u. Leibnitius, qui in lucem emifit T. III n. X p. CCXXIII - CCLIV

exiit, atque ita in lucem emisit Petrus Schaeferus, Io. Fausti gener, Moguntiae cIↄ cccc-xcII De quo uerba supra, quum de Moguntia, artis *typographicae* sede prima, exposuimus, recitata sunt. Sed Bothonis nomen detexit illustris Leibnitius, cum ederet, nactus exemplum ex Sereniss. Brunsuicens. Principis bibliotheca, in quo Io. Kerkeneri uerba, quae consequuntur, addidit, *Illam Chronicam anno cIↄ Iↄ XXXVII die Lunae post Blasii, de pecunia ex testamento Alberti Lyssemann piae recordationis, a Iohanne Bockbynder in Bruns. pro X solidis nouis et XVI denar. Bruns.* Ego Iohannes Kerkener, *officialis, emi, quae ad librariam in VVernigerode debet pro posteris poni, quam CONRAD BOTHE, ciuis Brunsvvicksensis, et patruus illorum ciuium nomine de* Bothen *in VVernigerode morantium, congessit* etc. Atque idem *Io. Kerkenerus* Chronicon Bothonis ab anno cIↄ cccc lxxxix quo substitit ille, deduxit usque ad annum cIↄ Iↄ xl sed industria cum Bothone non comparandus. Erat uero Io. Kerkenerus ille, ut de hoc nonnulla adiiciamus, *officialis Brunsuicensis*, eoque anno, quo primum per Schaeferum exiit Chronicon Bothonis, cIↄ cccc xcII scholae D. Virginis apud Halberstadienses alumnus, sicuti ipse testatur. Ac de Bothonis Chronico ita in tabulas retulit, *Ego* Iohannes Kerkener *istum librum feci renouari,*

nouari, pro quo quinque solidos Halberstadienses ex testamento Domini Alberti Lyssman exposui etc. *t*). Fabulas multas, ut assolent isto seculo, retinuit, et renouauit, multas tamen iam tum quoque in dubium uocauit, ut alias exemplum de Henrici Leonis cognomine dedimus, sed tamen et singularia quoque, alias omissa, adiecit, praesertim in rebus Brunsuicensibus, in quibus Saxonum imagines renouauit, Guelforumque origines proximas, ex originibus primis et antiquissimis patefecit. Atque hunc primum, post Vitum Arenpeccium, de quo paullo ante diximus, qui ex antiquitate, obscurius licet, protulerit, testem gentis Guelficae excitat illustris Leibnitius, quando quidem ad annum IↃCCCCLXXXVII *u*) obseruat, Azonem, Guelfi eius nominis IV et Baioariae ducis I patrem, fuisse gente Estensem, *de Monte Calina*, quae Calaonis arx proxima Atestino oppido fuit, et ad antiquum Estensium patrimonium pertinuisse censetur *x*). Multa etiam ex eo hausit A. Cranzius, quod ex uestigiis Leibnitius obseruauit. Idem Bothonis Chronicon cultiori lingua Germanica poliuit deinde Ioannes Po-

t) u. Leibnitius Introd. in T. III p. XI Kerkenerus ipse ad ann. cIↃ CCCC XCII et cIↃ IↃ VII p. CCCC XXIII T. III Leibn.

u) p. CCC XVI

Pomarius, ſacerdos Magdeburgicus, anniſque ad ſuam uſque aetatem, ſigillatim annum CIↃ IↃ LXXXVIII locupletiorem dedit. Io. Pomarium ſecutus eſt Matthaeus Dreſſerus, Chroniconque iſtud, repetita paullo poſt opera, ad annum CIↃ IↃ XCVI produxit, ut, Pomarii iuxta, ac Dreſſeri nomine, eadem forma circumferatur, ſub titulo *Chronica der Sachſen und NiederSachſen.* Pomarius tamen explanator non ſatiſfecit iudicio Hiſtoricorum in rebus Germanicis apprime uerſatorum, Henrico Meibomio, ſeniori, et Conrado Sam. Schurzfleiſchio, quorum alter Chronico Riddagſhuſano, cum aduocat teſtem *Chronici Saxonici*, Hoc *Brunſuigae olim*, ait, *neſcio, a quo, uernacula lingua conſcriptum, et Moguntiae anno CIↃ CCCC XCII typis expreſſum eſt, proximis uero annis Magdeburgi inepte et inerudite uerſum denuo prodiit y*). Alter *Chronicon Saxonicum, a ueteri quodam monacho compoſitum, atque a Ioanne Pomario cultiori lingua Teutonica, licet aliquando non ex mente auctoris, expolitum auctumque*, ſcribit de Marchia Miſnenſi *z*): Ex quibus teſtimoniis ſimul perſpicias, ignotum etiamnum Meibomio et Schurzfleiſchio Conradi Bothonis fuiſſe

 nomen,

x) Leibnitius Introd. p. XII
y) p. CCC XLIII T. III Meib.
z) diſp. XVI §. I p. III

nomen, quod Leibnitius primum ex schedis Kerkeneri inuestigauit, addito simul, de quo supra diximus, Kerkeneri supplemento *a*).

CAPVT XIX

Bibliothecae, quia literae efflorescebant, hoc maxime tempore restaurari coeptae sunt, non tamen, quod cursim obseruo, studio semper et commendatione eorum, qui sacrorum in coenobiis emendationem magno ardore peragebant, qui uitae morumque consuetudinem urgebant in primis, atque de reuocanda disciplina seuerius cogitabant. Ipsi concilii constantiensis doctores, rectoresque, de insigni Fuldensium bibliotheca certiores facti, codices peruetustos, manu exaratos, accersendos curauerunt, eosque, non sine detrimento monasterii, alio deportarunt, quemadmodum in annalibus Fuldensibus, quos *Breuiarii* nomine superesse accepimus, queritur auctor incertus ille quidem, attamen illorum temporum aequalis, et fide dignus ad annum CIↃ CCCC XIV *b*). Ac de Gobelino, Monasterii Sponhemensis Abbate

a) T. III Script. Brunsu. p. CC LXXVII. CCCC XXVI

b) p. CCCC XLII Syntagm. Paulini.

te XIX qui diuersus ab Gobelino Persona est, magnopere queritur, dissipasse, et surripuisse libros iuxta ac priuilegia, atque, insciis omnibus, Tranerbachium ad Mosellam, quod sedem sibi delegerat, deportasse. Quo facto, multa amissa, dolet. Nec rogatus, neque in concilio Basileensi accusatus, atque, ut redderet, monitus, fidem, quam dederat, liberauit. Ac pauca quidem a comite Palatino rheni et Duce Baioariae, Friderico, recepisse, de libris uero, quos deducendos curauerat Gobelinus, restitutum fuisse nullum, tradit, ad annum CIↃ CCCC XXXIV Trithemius *c)*. Paullo post, cum de emendatione, per Fridericum, quem praediximus, ducem facta, memorat, *Bibliotheca*, ait, *nulla fuit, quia monachi deformati non libros, sed ludos, et uoluptates, sequebantur. Octo enim uolumina, praeter Bibliam, in duabus partibus diuisam, parui pretii, aut ualoris tempore reformationis fuerunt tantum in hoc monasterio inuenta. Nam Bibliothecam quondam satis pretiosam, posteaquam regularis disciplina coepit in hoc loco paullatim declinare, et rerum quoque temporalium substantia cum integritate monasticae conuersationis deficere, monachi, qui tum omnes erant proprietarii, distraxerunt, uendentes furtiue libros pro uili pretio, ita, ut nihil remanserit uoluminum tantorum, quod alicuius*

 fuerit

c) p. CCCLIII seqq.

fuerit aestimationis, ad annum CIↃ CCCC LXIX *d)*. Trithemius, Abbas ipse monasterii Sponheimensis factus, uix XLVIII uolumina, exigui tamen pretii et aestimationis eadem, inuenit. Sed tam celeriter auxit, ut cum celeberrimis totius Germaniae bibliothecis, copia librorum et numero, certaret, ad eamque uisendam concurrerent Principes, Antistites summi, et eruditione praestantes uiri, in quibus, praeter ceteros, laudat Io. Camerarium Dalburgium, Antistitem Vormatiensem, Ioannem Capnionem, Conradum Celten, Franciscum Bononium Tergestinum, aliosque, quos, breuitatis causa, non repeto, qui semel atque iterum coram libros, in omni eruditionis genere selectos, et raros conspexerunt frequentes, atque, ut assidue euoluerent eos, in monasterio diutius substiterunt *e)*. Alias quidem belli flamma, hostiumque rapinis, ad paucos redactae sunt bibliothecae, tabulisque spoliatae, quod de monasterii Valdsachsensis, in ditione Ratisponensi illa, testatur Andreas Ratisponensis, quae Hussitarum repentina incursione detrimentum maximum cepit *f)*, alias aquarum etiam eluuiones corrumpebant, cuiusmodi ia-

d) p. CCCLXXXIII

e) l. c. p. CCCXCV seq. ad an. CIↃCCCCLXXXIII itemque ad an. XCVI p. CCCCVIII

f) Chron. Bauariae p. LV

iacturam, quae anno CIↃ CCCC XXXV coenobium Benedictinum in insula Mindensium afflixit, deplorat auctor Chronici Mindensis *g*). Alias tamen liberalitate multorum res libraria aucta est, et incrementa cepit maxima, bibliothecae renouatae, tabulae et literae ex puluere et squalore, scriniisque studiosius sunt conseruatae. De Hermanno, Abbate Monasterii Bergensis, memorat Henricus Meibomius, dissipatam bibliothecam instaurasse magna opera, accitisque in opem et auxilium monachis, libros describendos curasse, alios, ut inopiam liberalitate iuuarent, implorauisse, ut adeo iactura, quam monachorum otio et desidia fecerant, mox sarciretur. Maximopere improbabat et detestabatur Hermannus superioris temporis negligentiam, quando libros, magno labore, et sumptibus, collectos, uidebat, incuria corruptos, conscissos, et puluere etiam obrutos, situque et sordibus consumptos, quos faciliori negotio conseruare potuissent, quam sumptibus recuperare liceret *h*). Celebrant annales Sanpetrini Iustinum Fenchlerum, Reginam Froelingiam, Andream Romaeum, Christophorum Prammerum, Georgium Sandaeum, qui liberali ope bibliothecam locupletiorem reddiderunt, atque libros quisque

g) p. IↃ LXXI T. I Meib.

h) Meibomius in Chronico Bergensi, p. CCCIX T. III Script. Germ.

que optimos, in quibus uolumen manu exaratum *de Conciliis uniuersalibus* insigne est, suppeditarunt *i*). Atque Gobelinus Persona ad libros, et eos quidem rarae antiquitatis, prouocat, hosque testes inde ab ducentis annis et amplius, collaudat *k*). Magna item industria fuit Henrici Berndtenii, Abbatis Mariaerodensis, in augenda monasterii bibliotheca, neque ab aliis modo describendos curauit libros, sed descripsit ipse etiam, ut copia maiori instrueret bibliothecam, ac locupletaret insigniter et ornaret *l*). Vel eo in primis nomine laudatur Georgius, cognomine Piscator, abbas Zuifaltensis, in dioecesi Constantiensi, quod bibliothecam, optimis libris refertam instituit, a Bebelio carmine propterea celebratus, quod C. Bruschius edidit *m*). In coenobio Schirensi Guilielmus Kienbergerus et Georgius Sperlin, abbates, eadem industria et laude rem librariam auxerunt *n*). Omitto alios plures, quorum iniit numerum C. Bruschius et Daniel Nesselius, bibliothecae Augustae Vin-

i) u. Io. Craemerus Chronico Monasterii S. Petri p. CCCXVI seq. Syntag. Paulini.

k) Cosmodr. aet. VI cap. XXXIX p. CC XXXIX

l) u. Chron. Marienrodense, c. XVII p. CCCC LIII T. II Leibnit.

m) Geneal. Monasterii Germ. p. IↃCLXV seq.

n) Bruschius p. IↃCLXXVI

'indobonensis praefectus, in Supplemento rufschiano, quo multorum in Austria, Bavaria, literatorum in locupletandis bibliothecis industriam collaudauit. Cum primis librorum copia auctas bibliothecas, postquam ars prelo imprimendi libros inuenta est, uel ex Chronico Augustano, quod Io. Pistorius edidit, palam est, quo pluribus uerbis auctor accessiones bibliothecae Augustanae commemorat *o*). Hildesheimensem item bibliothecam locupletare hac etiam ratione poterat Bertramus, antistes, quod memorat Io. Legatius, praeco eius et testis temporis illius superstes *p*). Tametsi rara sint de libris ex aeuo illo testimonia, tamen ex annalibus, quos magna copia condiderunt historici aeui medii, intelligimus habuisse codices antiquitate instructos, et tabulas uetustate optimas, ex quibus hortos illi suos rigare poterant, et, siquidem iis caruissent, libri pertenues, quos ex eis temporibus habemus superstites, uiderentur. Quod planum est, et patet ex illis scriptoribus, qui maiori impetu, quam copiis, instructi in campum, uastum illum quidem, sunt ingressi. Quare, cum, monachorum ignauia, animaduerterent, inclinare artes et

o) p. IↃXCII
p) Chron. Hildesh. p. CCCCXXII T. II Leibn.

et literas, librosque amitti, immunitates et priuilegia, multo labore, interdum sumptu, conquisita, perdi, suamque adeo libertatem ipsam in discrimen maximum adduci, et periculum esse, ne historiae lumen omne penitus extingueretur, hoc demum seculo maiori cura et industria documenta, et antiquitatis remotae instrumenta colligebant, accuratius describebant, et, in lucem, cum sine incommodo fieri poterat, proferebant. Tabularium Corbeiense, auspicio huius seculi et primo eius anno, in ordinem redigebat Martinus Mohnartus, magnamque difficili, attamen laudabili, opera, gratiam inibat ab Vülbrando, Abbate ipso, paullo ante constituto. Non multo post describebat omnia priuilegia coenobii, ac tribus uoluminibus, quae grandia fuisse, annalium conditor asseuerat, diligentius distincta seruauit, qui Abbati ab epistolis erat, Robertus Hilpertus *q)*. Dolet uicem monasterii S. Petri Crucebergensis, cuius antiquissimas literas atque tabulas, iniuria temporum amissas, deplorat, ut primas, quibus coepit, desideret, belli, uel incendii, calamitate oppressas et consumptas. Hinc *requiem, cum tribus missis*, ut loquitur ille quidem, cecinerunt, gratiam his uotis precibusque, illo tem-

q) u. Annales Corbeienses ad annum cIↃ CCCC et cIↃ CCCCVII p. CCCXVI T. II Leibnit.

tempore ſolennibus, pro labore relaturi *Alexandro Loevve*, ſcriba Iſenacenſi, quod omnia *priuilegia monaſtica*, *donationes*, *dotatiooes concambia*, et reliqua diplomata, nitide deſcripta, uolumine complexus fuerat, atque hoc ipſo ab interitu uindicauerat anno CIϽ CCCC LXXIV *r)*.

CAPVT XX

Quae hactenus commemorauimus, ſatis demonſtrant, quae fuerit Germaniae fortuna, antequam artes ingenuas acciperet, atque literis elegantioribus initiaretur. Ex quo autem cultus diuinior, atque ante hunc humanitatis ſtudia emergere coeperant, cultior ea facta eſt, atque exteras nationes non modo ingeniorum felicitate, quae nunquam defuit, ſed doctrina etiam, meritis, monumentis, merito aequauit. Ipſimet Pontificiae religionis ſocii ſuam in multis ex noſtratium ingenio, effinxerunt poſtea fortunam. Sacrorum emendatio, per D. M. Lutherum reddita, alios inter ipſos mores, quam cuperent, concitabat. Saltem nunc tegere cautius uidebantur, quae antea ne diſſimulauerant quidem,

r) **Chron. monaſt. S. Petri, p. CCCXVI Syntagm. Paulini.**

quidem, ſed, ſua ex utilitate intellexerant, uix fieri aliter poſſe, conſuetudine longo temporum interuallo comprobata. Bonarum artium ſtudia, non minore ciuium uoluptate, trans alpes in Germaniam allata, ueterem Graeciae Latiique gloriam auſpicato recuperabant, ut Germanis inſigniora rei literariae incrementa in acceptis ſimul referat ingenuus quiſque, nec, niſi inuidus laudem, quae in ſocietatem inſtaurationis admittit eos, eripere conetur.



INDEX SCRIPTORVM
QVI RECENSENTVR, ILLVSTRANTVR EMENDANTVR.

A.

An-

B.

Dit-

D

E

Genea-

M

N

O

ma-

5

T

V

Vitae

INDEX

INDEX
RERVM.

A

Adria-

belli

Gosber-

Hage-

13

Heri-

Hussus,

Ioan-

Leibni-

Made-

M

Nahar-

N

O

Pipi-

 501,

Sigismun-

Suein

Vnvvan-

F I N I S.

MENDA INSIGNIORA.

Pag. 7, versu 2 lege, quem Slaui, cum primis Aldenburgenses. p. 17 Capitolio. p. 21, v. 23 consitis. p. 22, v. 6 iubebantur. p. 23, 20 argumentum. p. 24, v. 2 coniungit. p. 29, v. 8 ius. p. 32, v. 14 cum Druidas. p. 33, v. ult. c. XXXII §. IV p. 40, v. 26 de, pro, *quae*. p. 70, v. 21 femina it. addicta. p. 93, v. 5 Iↄ CCLXXXVIII, et vers. 28 lege c. VIII. p. 98, v. 27 uel pro, *ut*. p. 99, v. 32 in f) lege Iↄ CCLXXVII. p. 119, v. 1 nominari. p. 121, v. 11 Bremenses. p. 136, v. 5 dissensionisque. p. 141, v. 15 del. *ut*. p. 142, v. 27 Tassilone. p. 145, v. 25 praesulem Mog. inclytum. p. 152, v. 24, quae. p. 156, v. 19. tum lit. v. 21. merita, p. 159, v. 24. oratione, p. 162, v. 10. Brovverus. p. 179, v. 12. Piscofesheim. p. 184, v. 2. quaecunq. in curia. p. 186, v. 22. laudat. p. 188, v. 15 Vicbertus. p. 192, v. 10 ex Vngarorum ope. p. 193, v. 22 Hos. p. 194, v. 12 Alios forte *mouit*, et v. 16, 17 lege *Henr. bellum contra Vngaros renouasse tradit*. p. 198, v. 15 coniiciebant.. p. 201, v. 17 Licum. p. 213, v. 9. ei. p. 219, v. 14 somnio. v. 20. causa. v. 21. opibus, pro, *quibus*. p. 236, v. 29 nouo. p. 243, v. 11 collatas. p. 257, v. 22 Sigvvardum. p. 277 in not. v. 11 uniuersi imperii. p. 282, v. 14 Simoniae, v. 16 asseclae. p. 285, v. 18 sedis R. v. 27 qui *testatur*. p. 320, v. 19 *an. cIↄ LXII addit. Ipsum* etc. p. 353, v. 26 obnunciare. p. 345, v. 13 pro, *qui simul*, Trithemius. p. 346, v. 10 pertinere *iudicasse*. v. 17 *inter* imperatores etc. p. 366, v. 18 publico. p. 367, v. 8 Antistes VI. p. 374, v. 13 aliquanto. p. 396, v. 8 Hermannum. v. 11 S. Vdalrici, pro, *Adalrici*. p. 416, v. 3 Sed pro *seu*. p. 419, v. 8 Distelmeieri. v. 25 indicant. p. 422, v. 20 uti. p. 433, v. 25 putabat, pro *ratus*. p. 439, v. 4 instituta. p. 479, v. 13 A. cIↄ CCXL. p. 491, v. 6 post *Brunsuic.* lege *Leibnitius*. p. 530, v. 21 Pauholz. p. 545, v. 28 Altena. p. 548, v. 15 cIↄ Iↄ CLXXIX. p. 553, v. 9 non dubie. p. 562, v. 16 augusta. p. 573, v. 1 causa p. 589, v. ult. ut P. L. p. 629, v. 18 *se* humaniter etc p. 643, v. 1 del. *auctorem primum credunt*. p. 641, v. 10 ex pro *et*. p. 659, v. 21 lit. *et* guer. p. 673, v. 2 sexagenarium. p. 683, v. 18. Pauholz. p. 685, v. 7 Dancvverthio, v. 22 cIↄ Iↄ CXXXIII. p. 687, v. 5 afflixit. p. 688, v. 5 quidem, pro *quibus*, et v. 24 XXXVI. p. 699, v. 18 a Io. Henr. Hofm. p. 703, v. 28 p. Iↄ LXXXIX. p. 705, v. 23 aes, pro *res*. p. 716 Schiphoueri. p. 717, v. 5 cIↄ CCCC LXV.

Reliqua L. B. auctori absenti condonabit.

(o)